BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE - FIRENZE
BONAMICI
243

R. BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE
DI FIRENZE

OPERE BIBLIOGRAFICHE E BIOGRAFICHE

RACCOLTE DAL

DOTT. DIOMEDE BONAMICI

di Livorno (1823-1912)

Novembre 1921.

R. 1

IACOBI PHILIPPI
TOMASINI PATAVINI
EPISCOPI ÆMONIENSIS

ELOGIA
Virorum Literis & Sapientia Illuſtrium
ad viuum expreſſis imaginibus exornata.

Ad

SACRAM MAIESTATEM CHRISTIANISSIMAE

REGINÆ ANNÆ
Galliæ & Nauarræ Regentis.



PATAVII, ex Typographia Sebaſtiani Sardi. M DC XLIV.

SVPERIORVM PERMISSV.

Duon. 212

POTENTISSIMA ORBIS REGINA,
LAETVM AVGVSTAE DOMVS AVSTRIACAE GERMEN,
CVIVS MAIORES IMPERIVM IN ORIENTEM
ET OCCIDENTEM VICTRICIBVS ARMIS EXTENDERE.
TE PIETAS, IVSTITIA, FORTITVDO, CLEMENTIA
SECVLI DECVS DELICIVMQ. DVRATVRVM
GRATIIS AC MVSIS CIRCVMFERVNT.
FELIX REGIS FILIA, SOROR, ET CONIVX
AVITAM, IBERIA RELICTA, GLORIAM
FLORENTISSIMO GALLIAE REGNO INTVLISTI.
AETERNITATEM REGIA STIRPS BORBONIA
TVIS DEBET AVSPICIIS:
REGEM GALLI REGNIQ. INCREMENTA
TVO MVNERE HABENT.
HEROE CHRISTIANISSIMO
LVDOVICO XIII.
PIO, IVSTO, FORTI,
CVI MELIORIBVS ANNIS
ADSVRGEBAT BLANDIOR FORTVNA,
IVBENTE SVMMO RERVM MODERATORE,
AD SVPEROS TRANSLATO,

LVDOVICO XIV.

MAGNI PATRIS FILIO
TENERA IAM AETATE INTEGROS FASCES
PROVIDA CONSERVAS:
ADVLTIORI LONGVM OBTEMPERATVROS LIMITES
VERAE LIBERTATIS VINDEX
AEQVO MARTE VLTRA MOSAM ET RHENVM
ANIMOSA PRODVCIS.
PVBLICAE LAETITIAE VICINARVM GENTIVM
PLAVSVS
FAMAE IMMORTALITATI
AVSPICATOS AETERNOSQ. OMINATVR.

SACRAE MAIESTATI TVAE:

CVI INTER DEBITA CONFERTIS VIRTVTIBVS
TROPHÆA
EXILE HOC ILLVSTRIVM ANIMARVM PALLADIVM
REGIO NOMINE GRANDIVS
OBSEQVENTISSIMI CVLTVS MONVMENTVM
INGENTIS GLORIAE LONGINQVVS ADMIRATOR
DICAT, SACRAT
HVMILLIMVS SERVVS
IACOBVS PHILIPPVS TOMASINVS
AEMONIAE PRAESVL.

Emi-

Eminentiſsimo Principi

IVLIO MAZZARINO

S. R. E. CARDINALI,

Domino & Patrono.

QVI ſapientiæ ſtudio præclariſq; vitæ actionibus bonorum in ſe animos oculoſq; conuertêre, ſolido Virtutis præmio contenti rectè factorum conſcientiâ, mortales ad Regiæ Majeſtatis ſolium ſe ſiſtunt, Reginæ Orbis Potentiſſimæ clementiam ad ſecurius poſteritatis judicium enixè ambientes; quò tanti nominis auctoritate uniuerſis conſpicuum fiat, quàm rectè ſuam in hoc theatro quiſq; perſonam egerit. Nec verò muliebrem etiam ſexum ab hac gloriæ ſocietate retinuit blandior animus: qui viros ingenij præſtantiâ non tantùm exæquauit, ſed firmo virtutum & literarum contubernio miris ſæpe

modis

modis prçcelluit. Quam naturæ benignitatem quoniam in tam Veneranda Majeſtate ſuſpenſis animis mirantur non ſolùm orbis incolç cultiores, verùm & gentes barbaræ; eximiæ benignitati tuæ, cujus non obſcura jam exſtant in me argumenta, illud accedere patiaris, ut exile hoc ingenii mei monumentum tuo arbitrio liberiùs in conſpectum regium admittatur, indelebile perennaturi in Regiam Majeſtatem intimioris obſequij mei pignus: cui à T. E. fauore non minor in aulæ luce, quàm in umbra ſcholarum, fides erit. Beneficium certè laudabili vetuſtatis exemplo non deſtituetur, nec tuæ comitati generoſæ alienum erit; cujus nunc immortalis gloriæ incremento veros uberrimoſq; fructus quotidie percipis, quòd tuo munere plures voti ſummam feliciter expleuerint, quos tuâ dignari libuit clientelâ, nempè Tibi exactiſſimo ingeniorum cenſori placuiſſe, debitumq; ſummis animi dotibus cultum reddidiſſe. Tuum namq; eſt, IVLI MAZZARINE, ingens ſacræ purpuræ decus, quòd in florentiſſimo Galliæ Regno beatus Muſarum chorus liberali otio leniter perfruatur. Nimirum indiuiduo Martis & Muſarum conſortio eam Summi Pontificis VRBANI OCTAVI piæ memoriç Tibi conciliâſti gratiam, ut ſagacitate tua auerteris ingentes motus, qui ſummo diſcrimine Italiæ Galliæq; tranquillitati imminebant. Inde LVDOVICVS XIII, vt Regno poſterisq; paternè proſpiceret, perſpectâ plurimis probatæ fidei documentis animi tui integritate, AVGVSTISSIMAE REGINAE, Filioq; ad tanti imperij ſpem ſecundis omnium votis nato, prouidè teſtatum voluit, quantum in tuis conſilijs prudentiæ plenis præſidij foret. Quam ſanè

Regis

Regis optimi de tuo genio ſententiam dum ſummo ſtudio aſſequi contendis, eam inſigni moderatione non tantùm æquas, ſed adeò felici euentu excedis; ut non Te ſolo ciue gaudeat VRBS illa Vrbium domina, ſed GALLIA magnis ingenijs fœcunda, fortiſſimiſq; viris nobilitata, quorum dexteritate ac virtute Regni limites ſupra multorum opinionem in dies creſcunt. Ampliſſimam iſtius regiminis fortunam Rex Regum auguſtæ familiæ auſpicatam, & perennem velit, intimum Chriſtiani orbis meumq; votum eſt.

Patauij Cal. Octobris. M. DC XLIV.

E. T.

Deditiſſimus cliens
Iac. Philippus Tomaſinus
Epiſcopus Æmoniæ.

AD

AD ILLVSTRIVM VIRORVM MANES,

quorum ELOGIA contexuit

IACOBVS PHILIPPVS TOMASINVS

EPISCOPVS ÆMONIENSIS

Nobilis Galli Epigramma.

ÆThereâ, celebres Animæ, quæ vivitis aulâ,
Quaſq; Dei dulcis nectare paſcit amor,

Defixos in eum, ſi fas, huc vertite viſus,
Et geminate novis gaudia veſtra modis.

Vos juvat in Cælo poſt funera vita perennis:
Vos ſimilis noſtro ſemper in orbe manet;

Cùm tam multiplici cumulatas laude PHILIPPVS
Hinc iterum pennis tollat ad aſtra ſuis.

Dignus hic inter Vos, longæ poſt ſecula vitæ,
Æternùm merito vivere longa polo.

Illuſtriſsimo, & Reuerendiſsimo Domino

IACOBO PHILIPPO TOMASINO
EPISCOPO ÆMONIENSI.

MARCVS ANTONIVS CVCCINVS
EPISCOPVS ANGLONENSIS. S.P.D.

ILluſtrium Virorum vultus, ſiue picturæ lineamentis, ſiue arte fuſoriâ & ſigillari expreſſos, ſiue ſtatuariâ & celaturâ ſculptos, nedum apud Romanos & Græcos, verùm & apud quaſcumq; ferè vel barbaras nationes poſteritati exponendi mos fuit antiquiſſimus. Ea eo de cauſa, vt Auguſtorum vultuum, ſiue ſignorum, ſiue ſimulacrorum aſpectu res præclarè ab ijs geſtas, & glorioſa facinora poſteri edocti, exemploq; excitati, quid imitandum, recolendumq; ſibi præ oculis haberēt, tritumq; antiquitatis veſtigio callem ad exoptatiſſimam virtutis metam attingendam calcarent expeditiores; ſiue etiam ne Heroum vultuum lineamenta, ſpecieſq; imperio dignę ex poſterorũ memoria exciderent. Quod quidem ornamētorũ genus pręcipuè apud Romanos qua in exiſtimatione habitum fuerit, Romana hiſtoria copioſè teſtatur: itaut etiam in ludis Circenſibus eorundem imagines & ſigna ſolenni pompâ circumferre conſueuerint: & vt ipſemet Petrarcha tuus de tabulis pictis per hæc verba recenſet. *Romæ in templis Deorum, aut Cæſarum, in thalamis, inq; publicis plateis, ac porticibus conſecrârint*: nullumq; antiquæ nobilitatis efficacius extiterit argumentum, quàm majorum ſignis familias, agnationeſq; decorari.

Iam tua quàm plura luculenta ſcripta in lucem prodiere. Iam litteraria Reſpublica eorum radijs ſe ſe illuſtrari perſentit. Iam litterarum amatores profeſſoreſq; ex ingenti virtutum tuarum cumulo, quid introſpiciendum, quidue optandum, imitandumue ſibi proponant, ſatis ſuperq; affluere vno ore fatentur. Ego verò ingenuè more meo profiteor, tibi tuiſq; virtutibus à litteraria

Republica deberi quàm plurimū ea potiſſimùm de cauſa, quia in noſtram ætatem inſignis viri Franciſci Petrarchæ memoriam ingenij tui monumentis in annos omnes conſequentes duraturam magno cum fœnore reuocâſti, ac poſt plura ſæcula in Muſæorū, atq; Academiarum ſingulare decus atq; augmentum, in vniuerſæ Italiæ lucem ſapientū ingenti plauſu *Petrarcham Rediuiuum* ante omnium ferè oculos ſuſpiciendum reduxiſti. Cujus gloriam tuis eruditiſſimis lucubrationibus non minùs profectò auxiſti, quàm ipſemet Petrarcha viuens & virens laureâ fronde redimitus ſapientiſſimi Regis Roberti locupletiſſimo teſtimonio ditatus vniuerſi Chriſtiani orbis, ne dum vniuerſorū ſapientum illius ætatis famâ celebratus in Capitolio, auguſtiſſimo virtutis theatro, æterni nominis celebritatem, Senatu Populoq; Romano acclamante, jure & merito adeptus fuit. Miſſa facio (ne tuæ modeſtiæ tædio ſim) *Veterum Donaria*, atq; antiqui ritûs abſtruſa quæq; per Te reſerata. Miſſas facio *Votiuas* illius ſuperſtitioſi cultûs *Tabellas* Te interprete ad germanum ſenſum explanatas. Prętermitto Antiqua Romanorū Gręcorumq; Numiſmata pluribus in partibus è cimmerijs, vt ita dicam, tenebris eruta in lucem, ſplendoremq; meridiani ſolis expoſita atq; explanata, ac deniq; illorum ſacrificiorū ritus, triumphorū, ludorū, ſpectaculorum ordinem, triumphales rectaſq; cœnas, teſſerarū, miſſilium, congiariorum ſupellectilem, tricliniorum, thermarum vſum à Te affabre, & quaſi penicillo delineatum. Quorum ſcriptis mirum in modum tui auxiſti nominis celebritatem. Cui quidem hoc vnum gloriæ deerat ſuperaddendum, vt, ne dum nos, qui Deo dante adhuc tecum breui hac fruimur lucis vſurâ, verùm & omnes poſteri vultûs tui aſpectu, & innatâ quadam majeſtate, votis vſq; ad inuidiam fælicibus oblectandi appoſitam, veramq; viuamq; materiam præ oculis haberemus. Cæterùm ecce Patauina ſolertia votis omnium ſatisfecit: dum vultum tuum, ac phyſiognomicæ ſublimitatis lineamenta (non dubiarum rerum præſagia) ære cęlata magna cùm voluptate contemplamur. O verè digna induſtrij cælatoris dextera, quæ vultum tuum (vt ita dicam) ſpirantem memoriæ poſterorum omnium cælauit, & donauit. Porrò dum imaginem aſpicio, mihi

metipſi

meipſi tecum adeſſe, teq; alloqui videor. Non Zeuſis, non Apellis, non Lyſippi, non Parrhaſij, non Praxitelis, non Phidiæ manus laudabilior,

Verùm enimuerò ego præ cæteris de hujuſmodi tibi aucta gloria, tibi ſummopere gratulor, teq; vt hoc tenue obſeruantiæ meę argumentū, quod cum fide erga te mea perpetuam obtinebit viriditatem, vt pro eximia humanitate tua hilari fronte recipias in ſumma, exoro, atq; obteſtor. Quod reliquum eſt ex Lucania in præſentiarū nil mihi penitus, de quo te certiorem faciam, occurrit: cùm à vita politica longè diſtemus, vndiq; montibus circumuallati, ſyluis ſepti, & quaſi in remotam regionem mundi reducti, ſolitariam ferè vitam degimus. Hæc pauca dumtaxat tibi, vti antiquitatis ſtudioſo, referenda cenſebam. Primum eſt, non multis ab hinc annis, nō procul ab hoc oppido Clarimontis in dextero latere cujuſdam monticuli, Orientem verſùs exurgentis, ruſtico homini in peragrando mirum profectò eueniſſe. Is enim, dum ibidem ſolitarius ſpatiaretur, in cornu ex abrupta parte dorſi mōtis ferè ſupra duos palmos exporrectum oculos fortuitò conjecit. Rei nouitas ruſticum animum ſtupore affecit: accolæq; inſolito relatu exciti feſtinantes ad locū perrexerunt, ac mirabundi magna cum ſolertia loculo effoſſo cornu Vnicornis ferè integrum longitudinis quatuor palmorum admirante Populo extraxerunt: illudq; philoſophi, & phyſici, peritorumq; judicio probatum in partes diſſectū præcipuis viris prædæ datū fuit: cujus particulæ in hodiernū vſq; diem adſeruantur. Ingenij tui acumine quomodo res ſe ſe habuerit, valebis indagare. Verùm hac in regione pro comperto habetur, animal antiquiſſimi atq; vniuerſalis diluuij fluctibus illuc objectum, ibidemq; obrutum perijſse.

Huic miro euentui & alter nō minoris nouitatis ſuperadditur. In pomerio Vrbis Biſiniani in cohærēte Brutiorū Prouincia ſitę, ſub ditione & Principatu antiquiſſimæ Regię ſtirpis Heroū Sanſeuerinorum (quorum cum incōparabili benignitate hoc in oppido ex eorum dominio dulciùs vitam dego) nocturnus & fixus ſplendor, è quodam cliuo radios emittēs, animum oculoſq; cujuſdam aniculæ perculſit, quæ nocturnum fulgorem plures noctes ſuſpexe-

ſuſpexerat. Re delatâ ad ciuem ex primoribus Biſiniani,noctu locus aditur,licèt præruptus, & acceſsu perdifficilis. (ne fabulam putes,hiſtoria vera cunctiſq; nota eſt) circumfoſsâ tellure ſplendidiſſimus lapis ille eruitur. Ciuis lætabundus inſolitâ captâ prædâ(vt erat acris ingenij) gemmam pretioſiſſimam exiſtimauit, & nouit. erat enim rubei coloris, orbiculari figurâ ferè(vt referũt) Hoſtiæ conſecrandæ , craſſitie verò ſupra digitum annularem, cujus fulgore, ingentiq; valore gemmarum peritiſſimus artifex captus, pulcherrimum pyropum eſse admiratus, admodum fortunato gemmæ inuentori ſupra duodecim mille ducatos in pretium obtulit. Verùm ſagax inuentor clam Venetias gemmam detulit: eâq; venali expoſitâ, magnâ copiâ auri ditatus ſuprema cum voluptate proprios lares repetijt.

Deniq; quadraginta ferè ab hinc annis, & tertium mirum, & memorandum in agro oppidi Sancti Archangeli hujuſce Anglonenſis Diœceſis accidit. Nam Serpens in memoroſo illo ſitu tam immani corpore viſus fuit;vt lupi inſtar miſerum gregem deprædari,vituloſq; inſequi, eoſq; mactare atq; comedere compertus fuerit. Hinc ſedulus paſtor Herculeo animo per ſylueſtria loca ſæuiſſimum monſtrum inſectatus,tandem aliquando, Diuina prouidentia, vt ſibi, agriſq; patrijs, gregibuſq; & armentis fortiter conſuleret, in monſtroſiſſimam beſtiam inuectus ſclopi ictu diri hoſtis ventrem trajecit, agroſq; infeſtatione liberauit. Illius oſſa, præcipuèq; mandibulæ ferè longitudinis duorum palmorum, in templo Sacro ſanctæ Deiparæ de Vrſeolo ad cœnobiũ religioſorum Diui Franciſci de Obſeruantia, per duo milliaria circiter ab eodem oppido diſtans, tanquam perempti communis hoſtis trophæum appenſa in poſterorũ memoriam hucuſq; habẽtur,mihiq; conſpicienda, atq; obſeruanda fuerunt exhibita. Quæſo, Præclariſſime Præſul, iſta ne credas aniles fabellas,aut poëtarum deliramenta,ne frontem trahas, ne ænigmata ſphingis putes. Sunt etenim narrata oraculo magis vera Pythio. Vale,& me, vt ſoles, ama. Datum ex Claramonte Kalend. Februarij M.DC. XLIV.


IOAN. FRANCISCVS EX COMITIBVS
GVIDIIS A BALNEO S.R.E. CARD. ETC.

IOAN. FRANCISCVS A' BALNEO.

PErantiqua Comitis Guidi à Balneo familia in Etruria armis atq; literis, adeoq; Imperatorum olim affinitate celebratiſſima, perpetuis temporibus Heroas orbi vniuerſo conſpicuos produxit. Ex hac IOANNES FRANCISCVS anno M.D.LXXIII. die IV. Octobris oriente ſole Florentiæ naſcitur Patre Fabricio Marchione Montis belli & Matre Laura Pompei Columnæ Ducis Zagaroli filia. Eumque in pugna nauali Catholicæ ſocietatis, Pontifice Pio V. aduerſus Turcas anno M.D.LXXI fortiter egiſſe memorant hiſtorici, non minus quàm Ioannem Franciſcum auum paternum, Iuuenis in literas propenſus, licèt à genitore armis deſtinaretur, genio tandem obtemperans mitiori, placido, & ad cœlibatum apto, ſpreto armorum ſtrepitu in humaniorum literarum ſcholas penetrauit. Diſciplinis rariorum hominum ductu non leuiter delibatis in aulam Romanam ſub Pontificatu Clementis VIII. acceſſit. A Cardinalibus Pontificis Nepotibus benignè, vt par erat, acceptus, mox inter Prælatos, Protonotarij Apoſtolici, Referendarij vtriuſque ſignaturæ titulo, numeratur. Eius verò comitas, animi nobilitas, promptitudo ingenij, conſilij maturitas Petro Aldobrandino Cardinali adeò placuit; vt ipſum præcipuis ſuæ aulæ nobilibus adſcriberet, cùm celebrem obiret legationem pro nuptijs Reginæ

Mariæ

Mariç Mediceç cum Henrico IV. Rege Chriſtianiſſimo,& pro pace inter ipſum Regem, & Carolum Emanuelem Sabaudiæ Ducem, quæ permutatione Marchionatus Saluzzi cum Breſcia prouincia fuit ſtabilita. Indefeſſo planè alacrique animo cùm ſuam Cardinali induſtriam heic demonſtraſſet, vrbi redditus ob diligentiam & gratum erga Nepotem obſequium ſummus Pontifex ipſum Æmiliæ Vicelegatum & Vicepræfectum Firmi elegit. Quod onus tam ſingulari prudentia & ſplendore ſuſtinuit, vt populum vniuerſum in ſui obſequium traxerit. Defuncto Clemente Paulus V. ſucceſſor non minus perſpecta Balnei prudentia & magnanimitate, eum Oruieti, mox Fori Semproni j,& Firmi vrbibus præfectum creat. Hiſce muneribus peregregiè functus pro Scipione Burgheſio Nepote Vicelegatus Auenionem mittitur. Nec quidquam hac legatione gratius ei obtigit, vt ex continuata plurimis annis ſummorum Pontificum ſede vrbem laudatam regeret, oculiſque luſtraret, Petrarchæ ſeceſſum inuiſeret; cui arctam neceſſitudinem cum ſua familia interceſſiſſe, ipſius ad Comitem Battifolæ Epiſtolæ ſignificant. Inde ſuo nomini à me dicatam Poetæ vitam ſumma humanitate non modò excepit, ſed quocunque officiorum genere gratum ſibi munus declarauit. Septennium heic traxit, ſedulus adeo inuigilans Sedis Apoſtolicæ commodis, & dignitatis incremento; vt nihil in ipſo vltra deſiderari poſſet. Nimirum genio aperto & libero non modò ciuium ſed & omnium ſibi animos deuinxit, maximè Principum & Magnatum ſibi conciliauit gratiam, vt perennem eius famam non

vibs,ſed vniuerſa prouincia perſonaret. Varijs iam oneribus à Paulo v. honeſtatus, à Gregorio xv. ſucceſſore ad Galliarum Regem Lud. XIII. extraordinarius Orator mittitur: rebuſque feliciter actis, ordinariam Legationem in Belgio obtinuit, dum imperio feliciter præeſſet Sereniſſima Iſabella Auſtriaca, Marchione Ambroſio Spinola pro Rege Catholico militiæ præfecto, & Marchione Bedimar ab intimis conſilijs, priuſquam in Purpuratorum collegium adoptaretur: quorum in omni vita memoriam iucundè coluit. Sublato è viuis Pontifice, Vrbanus VIII. Balnei dignitatem mirificè auxit, dum ad Ludouicum XIII. Galliæ Regem Nuncium, & paulo poſt Epiſcopum Ceruiæ declarat. Omnia tunc bello feruebant Rege Chriſtianiſſimo hæreſes exturbante. Expugnata namque poſt longam difficilemque obſidionem Rupella, & Monte Albano in Regis fidem recepto, perpetuis literis in Hiberniam, aliaſque orbis plagas miſſis, ad Catholicæ fidei acceſſionem non pauca bono euentu conabatur. Quibus motus Pontifex Maximus Anno M. DC. XXIX. XIX. Nouembris in Cardinalium numerum adſcripſit, vrbe tota meritiſſimi viri honoribus applaudente. Annum agebat quinquageſimum primum, quum, tranſactis XXX. annis in publicis muneribus, atq; in ijs XVII. extra Italiam, Anno M. D. XXXI. Maſiliæ triremibus Gallicis Oſtiam appulſus temporibus ob luis peſtiferæ contagium difficillimis, cum Eminent. Io. Baptiſta Pallotta ex legatione Germanica reduce Urbem ingrederetur, benigniſſimèque à Pontifice in Collegio exceptus, ac titulo S. Alexij auctus, grauiſſimis

mox negotijs occuparetur. Prudentiſſimus hic Cardinalis hos ſupremos aulæ honores tamquam diuinitus ſibi delatos eo maiori cura geſſit, quod cæleſtis ac permanentis boni ſtudium frequenter ei injicerent dolores podagrici, alijq; morbi, quibus etſi ſubinde vexaretur, nunquam tamen à publicis oneribus ipſum auocabant Hinc familiare ipſi inſculptum Numiſmati ſymbolum ſummæ & chriſtianæ humilitatis de ſemet prolatum: IN INFIRMITATE PERFICITVR. Ab Epiſcopatu Ceruiæ ad Reatinam Eccleſiam à Summo Pontifice translatus pari magnificentia eam, qua ceteras, varijs donarijs locupletauit. De ſuis nempe redítibus Abbatiam Matris Domini in Diœceſi Salernitana, & S. Mariæ de Pantano in Diœceſi Todi, S. Mariæ item Saiani in Diœceſi Montisfeltrij variè exornauit, in egenos præcipuè liberaliſſimus. Anno M.DC.XXXIX. Feria Annunciationis B. Virginis, extremæ neceſſitatis memor, poſtremum condidit teſtamentum, Chriſtianæ humilitatis & grati in Pontificem ac Barberinos animi monumentum, domeſticorum in primis ſuorum prouidus ſine vllo penſionum onere. Anno proximo morbi grauitate preſſus Summo Pontifici Epiſcopatum ſuum liberè reddidit, vt animo ſedatiori ſe ſe ad meliorem vitam componeret. Anno M.DC.XLI diuinis munitus menſis Iulij diem XXV. ſibi fatalem intrepidus excepit ſub auroram: qua certa ſpe ſalutis Creatori ſpiritum reddidit, ea nominis memoria, quam laudatiſſimis vitæ moribus promeruerat. In æde S. Alexij Romę ſepultus, magno literatorum omniũ damno, quos miris affecit beneficijs: inter

quos

quos Gabriel Naudeus de tanto Heroe preclarè meritus teſtamenti formulam typis à temporis obliuione vindicauit. Tanti Viri iacturam Ioannes Baptiſta Cuccinus Epiſcopus Anglonæ elegantiſſima Epiſtola prolixè perſequutus eſt ad Illuſtriſsimum & Excellentiſsimum Dominum Marchionem Nicolaum defuncti fratrem, Generalem armorum Ferrariæ tunc Præfectum, qui relicta poſtea militia inter Eccleſiaſticos curiam Romanam ſingulari rerum Uſu mirificè exornat. Immortali fama dignum Heroa in Schediaſmatis hoc encomio extulit Ioannes Rhodius.

Nobile qui germen de ſanguine ducis Etruſco,
Stirpe Ducum clarus Cæſareoq; toro:
Hoc miranda loco te virtus iure beauit,
Quo ſibi Pierides te ſupereſſe velint.
Si Parcæ meritis æquaſſent ſtamina vitæ,
Te prior hoc forſan nullus in orbe foret.



LÆLIVS BISCIA ROMAN
S.R.E. CARDINALIS.

LAELIVS BISCIA.

QVi literarum amore in mea commoda vnanimes conſpirabant, Romanæ curiæ ornamenta,& prima honeſti conatus mei præſidia, iunctim ſuis manibus hoc poſtulant animi mei redhoſtimentum, ne poſteros fugiat, me tantis nominibus, dum ſpiro, deuinctiſſimum. Maximis quippe meritis Eminentiſſimi à Balneo Principis æmulæ veluti beneuolentiæ cumulo quotidie in me ornando acceſſit LAELIVS BISCIA, quem felici ſidere Roma tulit anno M. D. LXXV. XV. Iunij, patre Bernardino I.C. ſui temporis percelebri. Humaniorum is literarum ſtudijs addictus parentis exemplo Iuris vtriuſq; diſciplinę totum ſe tradidit, in qua ita diligentia, labore, ſtudio profecit, vt laurea inſignitus in aduocationem conſiſtorialem iuuenis patri ſucceſserit. Splendido namque naturæ nitore morumque maieſtate toti aulæ Romanæ clarus primum vtriuſque ſignaturæ, vt vocant, referandarius, mox in clericorum Cameralium numerum adſcriptus, Clementi VIII. alijſque Pontificibus ob ingenij præſtantiam intimè gratus, eorumque conſiliorum particeps fuit. Cumque plurimum architectura oblectaretur, Paulus V. maturo conſilio eum Viárum præſidem elegit. Vna enim ipſi cura fuit Pontificis magnificentiam exercere, ac in patriæ ornamentum quidquid maieſtatis ac ſplendoris excogitare licuit,

cuit, totum id perficere. Primùm itaq; viarũ anfractus ſordiũq; illuuies è medio tollere, ac vrbis faciem exornare cœpit. etenim translato ipſius prouidentia lignorum emporio, quod erat apud S. Hieronymum Illyricorum, aream penes Tiberis ripas, viamque concurſantium vndiq; frequentia impeditam liberauit. Viam Scrophæ cognomento magnatibus frequentatam ad æquam normam reduxit. Vendentium præterea tabernæ à Panthei templi platea remotæ: Aquæ vniuerſam hanc regionem ſub terra perluentes ſiccatæ: Via in Tiberim aperta, repurgatis cloacis: Aditus Quirinali cliuo facilior paratus: Caſtellum recipiendę aquarum Felicium copiæ in horto Columnenſium multorum commodis fabricatum : Vberrimis ex agro Braccianenſi riuis, olim ſupra Ianiculum ductis, Tranſtiberina regio irrigata: SS. Benedicti ac Franciſci cœnobia, porta ſimiliter Portuenſis, in meliorem proſpectum venere: Acceſsus Ponti Fabricio vtrimq; conciliatus. Tiberis alueo, ad expeditiorem commeatum, ſcalæ extructæ: Aſcenſus Auentini Montis emollitust Viæ præterea innumeræ ſilicibus ſtratæ. Rei frumentariæ præfectus annonam ea prudentia laxauit, vt non Romanæ ſolùm, ſed vicinis q uoq, regionibus, frumentum ſuppeteret. Immo, quibus id munus antea fuerat, contractum rei frumentariæ cauſa æs alienum quingentis aureorum millibus diſsoluit, ne operarios quidem ſua mercede fraudari paſsus: nec major vnquam tabernariorum fuit in pendendis alimentis fides. Tandem à maximo omnis æui Antiſtite Vrbano VIII. ad ſummas adminiſtrationes atque negotia eccle-

ſiaſtica euectus, non ita multo poſt Anno M. DC. XXVI. XIX. Ianuarij in purpuratorum procerum collegium titulo SS. Viti & Modeſti adſciſcitur. Ingens hoc purpuræ decus, qua par erat maieſtate ſuſtinuit, nihil in literatis promouendis remiſſior peculiari ſibi conſuetudine. Abſentes quippe literis officij pleniſſimis plerumque fouebat: præſentes omni ſtudiorum genere, ſummaq; comitate excipiebat, ingenio florentes contubernio dignatus, quo diu multumq; fidelem V. Cl. Leonis Allatij operam experiebatur. Inſigni librorum delectu Bibliothecam ſuam adauxit, quam omnibus eruditionis fama notis communem voluit, verum hoc ſibi ratus oblectamentum, quo animum nunc diuinis, nunc humanis literis reficiebat. Nec tamen ſe vnquam ſic in literas abdebat, quin ſummæ ſibi curæ eſſe arbitraretur, vt ſummi Pontificis expectationi in omnibus reſponderet. Sic ille Deo & hominibus gratus vitam melioribus annis dignam non ſine ſui deſiderio cum immortalitate commutauit. Anno M. DC. XXXVIII. die XIX. Nouembris. Elatus ad Diui Franciſci ad Ripam, conditusque in ſacello, & monumento majorum ſuorum ſub arâ majori, quam ille non modò proprio ſumptu extruxerat, ſed ipſum quoque templum Choro, alijſq; ædificijs munificentiſſimè exornauerat, auxeratque ſacellum ſacris indumentis omniſque generis donarijs inſigni liberalitate. Summi viri obitum eleganti hoc carmine proſequutus eſt amicus noſter Bartholomęus Tortolettus Veronenſis.

BISCIA, qui te cognouit, cùm luminis auras
Exciperes, non ille poteſt non flectere mentem
Atque tui deſiderio tabeſcere triſti.
Ipſe quidem, cùm te recolo, & tua facta reuoluo,
Dictaque conſilijs nec non labentibus alto
Immoror, impatiens fatum implacabile damno,
Quòd præter iuſti ſpeciem præſtantia cæco
Immergit tumulo capita, & vitalibus auris.
Eripit; at contra ſupereſſe ad Neſtoris annos
Permittit reſides animos, & inertia corda.
(Proh pudor) occurrit tua nam ſapientia menti,
Diuinuſque animi vigor, & ſolertia rebus
In dubijs; ſeu cùm fraudatis meſſibus arctæ
Præfueras Cereri, atque Vrbem mœrore leuâras,
Seu ſtudio inſtares dirimendis litibus acri,
Publicaque inſtrueres opera, & priuata iuuares
Deliquia, ad cælum Populi te voce ferebant.
Inde tuam regale ſuo iure ambijt Oſtrum
Cæſariem, ac Romæ Patribus te immiſcuit altis.
Te quoque deprendi doctis incumbere libris
Aſſiduum, aut ſacræ referentem oracula chartæ,
Aut nodos iuris reſerantem, ac viſcera legum,
Atque tuo affatu cum maieſtate decora.
Molli me pariter memini perſæpe fruentem
Lætari. ò qualis paterer diſpendia noxæ,
O quam diuitias Arabum contemnere vellem,
Si reuocare gradum, vetereſque euadere ad oras
Tu poſſes, vrnæque vterum refringere putrem.

 Sed

Sed Parcæ nimium tabulis deſcripta cruentis
Lex immota manet: ſimul irremeabile quiſquam
Eſt ingreſſus iter, clauduntur limina retro,
Nec datur ad charos reducem conuertere greſſum;
Donec ſumma dies aderit, totoque reſurget
Orbe hominum genus, & pœnas, aut præmia mente
Corpora cum ſocia merito pro more capeſſent.
Væ quibus ingenium faſtu, atque libidine turpi
Corruptum, bello quamuis ingentia regna
Subdiderint, & opum vaſta incrementa pararint.
Hæc rapidis omnis ſoluetur machina flammis:
Nullus mundi vſus, vitæ commercia nulla
Tunc ſuberunt, laudare Deum, menſaque potiri
Cælicolûm, aut clauſo conuicia dicere Cælo.
Vnus amor, non cura patris non ſenſus amici.
Tu verò, qui de ſuperis laquearibus ægros
Adſpectas (neque enim te fluminis attigit vnda
Lethæi, neque te immemorem cum manibus atris
Merſit Tartareo non exorabilis orco
Tantorum titulis operum, plauſuque micantem)
Ne temne hos adeò gemitus, hæc fida tuorum
Obſequia; haud fas eſt aliud; iam nulla ſuperſunt
Nominibus ſoluenda tuis, & funeris vmbris;
Dum tua mirantes peragrat laus inclyta terras;
Et mox ſollicitos excibit fama nepotes.


IOAN. BAPTISTA AGVCCHIVS
AMASIÆ ARCHIEPISCOPVS.

IOAN. BAPTISTA AGVCCHIVS.

PAtricius Bononienſis Anno M. D. LXX. die XX. Nouembris H. IV. m. XXX. N. S. natus, Segæ auunculi, & Hieronymi Agucchij fratris Cardinalium exemplo, tum Illuſtriſſimæ familiæ & auorum rebus præclarè geſtis excitatus, ita iuuenis in bonas literas, in diſciplinas, in omnem animi cultum, neglectis etiam corporis oblectamentis, ferebatur, vt ætatem ingenio, expectationem iudicio ſuperaret. Duodecimo enim ſuæ ætatis anno Fauentiam conceſſit, vbi apud Hieronymum fratrem vrbis Præfectum Grammaticæ ſtudio annum impendit. Bononiam reuerſus ad annum ætatis decimum nonum bonarum literarum & Iuris ſcientia ſupra ætatem profecit, in primis obſequentiſſimus non ſolum fratri ſuo Hieronymo, ſed Philippo Segæ auunculo, qui tunc Vmbriæ præfuit. Sed electus hic poſtea Placentiæ Epiſcopus, adoleſcentem ibi menſes nouem ſecum detinens rebus eccleſiaſticis aptum deprehendit. Sega declaratus interim Galliæ Vicelegatus, quum nepotem literis ſcribendis inſigniter aptum cognoſceret, itineris comitem deſtinauerat, niſi valetudo tenuis diſſuaſiſſet. Eius itaque loco Hieronymum ſibi adſciuit, relicto Ioanne Baptiſta Placentiæ ad Epiſcopatus curam, quam exacta ad auunculum relatione diligenter ſubijt. Deficien-

cientibus interea Sixto v. Vrbano v i i. & Gregorio x i i i. quum ad Pontificis apicem euectus eſſet Innocentius i x. cum ſuo nepote Fachinetto Segam ob ſingularia in ſedem Apoſtolicam merita Cardinalium collegio adſociat. Ipſo autem poſt duos menſes defuncto, à Clemente i i x Sega creatus Galliæ legatus mox Hieronymum nepotem grauiſſimis de cauſis è Gallia Romam reuerſus accerſit. Ioannem Baptiſtam hic ſecum libens adduxiſſet, niſi Cardinalis, cui perſpecta ipſius valetudo, Romæ ad curiæ peritiam, & ſuorum negotiorum cauſâ, maluiſſet Difficillimus tunc erat Galliæ ſtatus. Cardinali proinde nepos inſigni diligentia ita ſatisfecit, vt non exiguam de ipſo ſpem conciperet. Sub fine anni M D. L x x x x i v. in curiam Romanam ſummo omnium applauſu, immo dignitatis Pontificiæ opinione reuerſus Cardinalis, paulo poſt nepoti Placentiæ canonicatum contulit, vnàque ciuilis & eccleſiaſtici gubernaculi poteſtatem, quam non minori quàm olim fide geſſit. Immo Cardinalis Alberti Archiducis Auſtriæ meruit commendationem ad auunculum Segam, cuius nomine ipſum Genua accedentem exceperat. Hoc tempore Petrus Cardinalis Aldobrandinus Clementis v i i i. ſummi Pontificis nepos, cui plurimum Ioannis Baptiſtæ indoles placuerat, eum ſuarum rerum in Longobardia curæ adhibuit. Sed anno M. D. L x x x x v i. Cardinale fatis erepto, iacturam conſtanti animo pertulit. Purpurati patris merita indicat Romæ monumentum in æde S. Onuphrij.

D. O. M.

D. O. M.

PHILIPPO SEGAE BONONIENSI
S. R. E. PRAESBYTERO CARDINALI
PLACENTINO
AMPLISSIMIS SEDIS APOSTOLICAE MVNERIBVS
TRIGINTA AMPLIVS ANNOS IN OMNIBVS
FERE CHRISTIANI ORBIS PARTIBVS
EGREGIE FVNCTO
AB INNOCENTIO IX. IN COLLEGIVM CARDINALIVM
COOPTATO
GALLICA DEMVM LEGATIONE SVB CLEMENTE VIII
TVRBVLENTISS. REGNI TEMPORIBVS PERACTA
ILLVSTREM DIV SPECTATAE PRVDENTIAE
ET PROBITATIS LAVDEM ADEPTO.
IN CATHOLICA RELIGIONE PONTIFICIA QVE
DIGNITATE PROPVGNANDA
ACERRIMO.
HIERONYMVS AGVCCHIVS
VTRIVSQVE SIGNATVRAE REFERENDARIVS
EX TESTAMENTO HAERES
AVVNCVLO OPTIMO
P. C.
OBIIT DIE XXIX. MAII M. D. XC. VI.
VIXIT ANNOS LVIII. MENS. IX. D. VIII.

Mutata igitur ſortis facie, poſtquam muneri ſuo renunciaſset, anno ſequenti diſceſſit Firmum, cuius præfecturam tunc

tunc gerebat Hieronymus frater, ac denuo Romam, vbi fratris loco res ijs temporibus difficillimas expediuit. Anno M.D.LXXXXVIII. Hieronymus frater ipſius, vir acerrimi iudicij Cardinalis Aldobrandini auditor & familiæ præfectus eligitur. Muneris ſocius, & in itinere Ferrarienſi Summi Pontificis comes, tanti erat apud fratrem, vt ſine ipſius conſilio nihil magni momenti aggrederetur. Romam reuerſus Aldobrandino cœpit ab epiſtolis eſſe officioſis, fratreque morbo graui afflicto ſolus per quinque menſes vniuerſam ampliſſimæ familiæ molem inſigni dexteritate & promptitudine geſſit. Anno M.DC. Cardinali Aldobrandino à ſecretis cum ipſo conceſſit Florentiam, vbi matrimoninm inter Henricum IV. Galliæ Regem & Mariam Mediceam contrahebatur: ac deinde in Galliam, quò Clementis IIX. nomine is legatus mittebatur, vt diſſenſiones inter Regem & Sabaudiæ Ducem componeret. Hac occaſione Io: Baptiſta egregii ſcriptoris nomen in curia Romana meruit: immo ea de ipſo apud Pontificem inualuit opinio ex literis, quibus ille minutiſſima ſuis ad fratrem exactè diſtinctèque perſequebatur, vt frequentem ipſi accuratæ relationis prolixitatem imponeret.

Exactis hac legatione honorificè octo menſibus, ab eodem Cardinale literis officioſis ſcribendis eligitur, itemque decimis & vectigalibus exigendis, quæ Clemẽs VIII. pro militia Hungarica Italiæ Clero impoſuerat: quam difficillimam & laborioſam prouinciam triennio magna cum moderatione ſuſtinuit. Cardinalis præterea ſibi com-

miſsę piorum in vrbe Romana & Oriente locorum, Equitumque Hieroſolymitanorum tutelæ partem eius pariter curæ credidit. Anno M DC.I. Hieronymus Agucchius præter alia munera, Epiſcoporum & Regularium collegio à ſecretis electus, noſodochio S. Spiritus vnà præficitur. Quę omnia Ioanne Baptiſta adminiculante ea ſedulitate peregit, cui plurimi vix ſufficiebant. Sub initium anni M.DC.IV. Ioanne Baptiſta iubente Pontifice Ferrariam mittitur, vt ardua admodum negocia conficeret, maximeque vt Cardinalem S. Clementis ibi Legatum Romam reduceret. Quod inſigni prudentia & dexteritate ipſius quum contigiſset, reuerſus in Vrbem ſacris initiabatur, cuius inſtituti, dum vixit, ſanctiſſima ſemper dedit indicia. Hieronymo fratre paulo poſt in Purpuratorum Principum numerum adlecto, Ioannes Baptiſta Cardinalis Valentis loco libellis ſecretis præficitur. Ex eo familiares cum Pontifice ſermones ſæpius intercedebant, qui conceptam olim de ipſo ſententiam confirmabant. Sed quoniam Cardinali Valenti conſuetū illud munus retinendum fuit, Ioan: Bapt: Prælatis adſcriptus Cardinalis Aldobrandini familiæ præficitur loco fratris ſui, literis vnà officioſis dicatus. Cardinali Aldobrandino Archiepiſcopo Rauennæ electo anno M. DC. V. ob grauem Pontificis valetudinem Romam reuerſo, Agucchius cum familia in vrbem redijt, cùm Pontifex vita excederet. Quamobrem euecto ad Pontificatum Leone XI. Agucchio non parum ſpei affulſit ob ſingularem Pontificis voluntatem in Agucchium Cardinalem, qua ſimul Ioannis Baptiſtæ dotes amplectebatur. Sed fati

cele-

celeritas intra diem ſeptimum ac vigeſimum hanc voti ſummam præcidit, Leone ad cœlum translato eo ipſo die, quo Hieronymus Cardinalis eius frater etiam viuere deſijt. Domeſticum vulnus conſtanti prudentiq; animo pertulit: eoque veluti momento fugaces illecebras magis magiſque pertæſus ad tranquilliorem vitę rationem animum conuertit : quem officioſæ pietatis plenum teſtatur hoc monumentum in æde S. Petri ad Vincula.

D. O. M.

HIERONYMO AGVCCHIO BONONIENSI
S. R. E. PRAESBYTERO CARDINALI S. PETRI AD VINC.
QVI PHILIPPI SEGAE CARDINALIS PLACENTINI
AVVNCVLI PRAECLARAS
VIRTVTES AEMVLATVS
CVM APOSTOLICAE SEDI TRIGINTA FERE
ANNOS VARIIS IN LOCIS
OPERAM STRENVE NAVASSET
AC MVLTIPLICEM ETIAM TVM MVNERVM
CVRARVMQ; MOLEM
IN VRBE SVSTINERET
VIR VERE MAGNVS ET AD SVMMA QVAEQ; NATVS,
AB OPTIMO
GRAVISSIMOQ; PONTIFICE CLEMENTE OCTAVO
AMPLISSIMAE
DIGNITATIS INSIGNIA BONORVM OMNIVM
VOTIS DIVTIVS
FRVENDA CONSECVTVS EST.

IOANNES BAPTISTA AGVCCHIVS
PROTONOTARIVS APOSTOLICVS
FRATRI OPTIMO POSVIT.
VIXIT ANNOS L. MENS. III D. XII. OBIIT EADEM DIE
QVA LEO PAPA XI. XXVII. APRILIS. M. DC. V.

Ceterùm Cardinali Aldobrandino Rauennam repepetente, etſi varijs rationibus ſe excuſaret, crebris tamen ipſius petitionibus tandem ceſſit, vt ingrati ſimul animi notam declinaret, cui octo menſibus omnem libellorum operam præſtitit. Sed valetudine parum firmâ vſus impetratâ dimiſſione Romam tendit eo animo, vt remotus ab aulæ curis quietam ſibi amiciſq; inter Muſas & pietatis ſtudia vitam ageret. Quamobrem & oblatum ſine vlla poſthac opera præmium modeſtè recuſauit. Sic ille à negotijs liber, quum pietatis causâ ſolá S S. Apoſtolorum & Bononienſium ſocietatem gubernaret, ab anno M.DC.VII. ad M DC.XV. in Palatio Pauli V. ſumma cum auctoritate tranquillam & prope diuinam vitam duxit, ſuauium literarum lectione, heroico animo mundi faſtum veræ felicitatis corruptelam ſpernens, vanam aulicorum adulationem abhorruit, Poëtarum & Hiſtoricorum lectione maximè delectatus, etiam ſi Pontifex olim Segæ Cardinalis domeſticus, ipſi non raro Nuncij munus deferret.

Per hæc tempora ſuis impenſis binos liberaliter ſecum detinebat magnæ exſpectationis iuuenes. Alter Dominicus Zampierius Bononienſis erat, qui ſub diſciplina Anni-

balis

balis & Auguſtini Caracciorũ pictorũ Bononienſiũ,quorũ opera vtebatur Odoardus Farneſius Cardinalis,magna dedit conſummati quondã artificis documenta : ſed fortunæ tenuioris ille Agucchij liberalitate adeo profecit, vt defunctis magiſtris inter primos artis haberetur, quum fatis concederet Neapoli anno M. DC. XXII. vbi S. Ianuarij in templo cathedrali ſacellum elegantiſſimæ operæ picturis fermè abſoluerat. Alter Bernardinus Vannettus Orcianus magnæ eruditionis poëta : qui poſtquam Academicis & literarum turbæ penitius innotuiſſet, Agucchio de beneficio egregiè locato non parum æſtimationis attulit.

Anno M.DC.XV. Cardinale Aldobrandino inſolito ſplẽdore Neapolim concedente,familiam eius tres menſes rexit.Romam regreſſus, etſi priſtinæ libertati ſe reddere adniteretur, nihilominus Cardinalis hortatu ſexennium integrum cum ipſo ad extremum vitæ manſit.Verùm,quoniam dubia Pontificis valetudo Cardinali cogitationem iniecerat de ſubrogando Ludouiſio,etiamſi potens admodum eſſet Burgheſiorum factio ; Aldobrandinus Agucchij conſilio hac in re plurimum effecit. Ludouiſio itaque Gregorij XV. titulo iam ſubrogato,quum poſtridie electionis Agucchius Pontifici Cardinalis Aldobrandini obitum denunciaret, Pontifex ipſum à ſecretis Principum elegit, ſuique nepotis Ludouici Ludouiſij Cardinalis præfectum. Hîc ille natalibus ac literis, alijſque dotibus conſpicuos in familiam introduxit. Sed præcipuè nouis aulæ miniſtris, puta Nuntijs alijſque legatis eâ dexteritate confecit Mo-

nita

nita, ac ſi plurimis annis à ſecretis fuiſset. Grauiſſima tunc maximique momenti verſabantur inter Principes negotia, maximèque Vallis Tellinæ, & de Bauariæ Duce in Palatini Electoris locum ſubrogando, de pace inter Sabaudiæ ac Mantuæ Duces ineunda: vbi ſe præſtitit egregium ac ſedulum accuratis literis ad Eccleſiaſticæ dignitatis incrementum & Chriſtianæ Reipublicæ amplitudinem. Et ſi verò neglectis modeſtè honoribus opibuſque publicis tantùm commodis inuigilaret, non defuere tamen æmuli, qui debitos ipſius meritis honores morabantur. Sed pietate Chriſtiano dignâ omnes repreſſit. His ille laboribus iam ſummi Pontificis illud ſibi demeruerat iudicium, vt purpuratam ipſi contuliſſet infulam, niſi præclaram Principis munificentiam mors interuertiſſet. Nimirum ſuaſu quorumdam conſtituerat Pontifex inuitatis quibuſdam Cardinalibus in lecto tres Cardinales nominare, & ex ijs Agucchium. Sed remittēte ſe morbo conſilij nouitatem mutauit, ſperans in conſiſtorio intra paucos, dies id ſibi fore integrum. At recrudeſcente malo. quum ipſi denuo idem ſuaderent, conſilio renuens intra paucos dies obijt. Nihil tamen inſignis adeo iactura mentem Agucchij à ſolita in rebus conſtantia diuertit. Quinimmo ſingularis ipſius peritia in primis eluxit, quum ſacri Collegij decreto Pauone ad Vrbini Ducem ablegato eâ inſtruxiſset ratione, qua non minùs Patrum dignitati, quàm Ducis filium lugentis mœrori, egregiè conſuluit. Gregorio XV. ſuccedens Vrbanus VIII. cùm Magalottum fratris affinem à ſecretis Principum ſelegiſset, Agucchium maioribus quidem

dem deſtinatum interea à libellis Conſiliorum ciuilium Statûs Eccleſiaſtici cooptauit. Munus hoc quum menſes duntaxat quatuor egregiè peregiſset, dignum cenſuit Pontifex, quem ad Rempublicam Venetam Legatum mitteret. Perſpecta quidem ipſi erat rei difficultas, Pontificis tamen voluntatem antepoſuit. Venetias itaque conceſſit ſub initium anni M. DC. XXIV. vbi octennium integrum non minori ſupra fortunam æſtimatione, quàm ſolicitudine & dexteritate munus ſibi creditum ſuſtinuit, vt in eius diligentia & fide non modo Vrbanus VIII. ſed vniuerſus ordo Senatorum acquieſceret. Grauiſſima nimirum in ea tempora inciderunt Europæ negotia, quæ Virum meritiſſimum à Legatione Gallica, alijſque ſublimioribus Romanæ curiæ dignitatibus tunc detinebant: certo poſteris documento, etiam meritis ſperata quandoq; deeſse præmia. Dum hìc moraretur, ad animi recreationem amœniora ſecus Brentæ ripam palatia per æſtatem inuiſens, cùm plurimum Mathematicis diſciplinis delectaretur, & præſertim architecturæ peritus eſset, domum reuerſus eiuſmodi ædificia diligentiſſimè delineabat. Placuit ei inter cætera S. Bruſonis prædiũ: cui loco cùm Canonici noſtri me Anno M. DC. XXV. præfeciſsent, Viro maximo, quibus licuit officijs, innotui. Heic, qua erat humanitate, quum in meorum ſtudiorum rationes diligentiùs inquireret, primum ingenij mei fœtum CL. VIRORVM ELOGIA eius nomini nuncupabam. Quem eo affectu excepit, vt in eius pectore ipſe Gratiarum chorus ſibi ſedem delegiſse putauerim. Hi namque eius mores, qui placidus, ſuauis, facilis, beneuolus,

reli-

reliquos omnes animo tam læto exciperet; vt filios credidiſſes: in primis eos, qui Muſarum ſacris operabantur: ipſe ingeniorum æſtimator, ac literarum patronus. Hinc domeſticos ſibi aſcicuit viros non modò ſpecie præſtantes, ſed probitate in primis ac doctrinâ commendabiles. Bernardinum Vannettum Orcianum à libellis fidiſſimum habuit, donec anno M. DC. XXVIII. fata diuturniorem eius operam inuiderent. Huic Antonius Rota ingenio & peritiâ memorabilis ſucceſſit: qui poſt Agucchij mortem, quum Vitellio Legato ibidem quadriennium ſuam pariter fidem probâſſet, nunc in Sabaudia apud Summi Pontificis Legatum eodem munere inclareſcit. Inter omnes verò Agucchio nemo gratior Creſcentio Saccardo Aſcolano, quem ſibi à ſecretis primùm ex diutino contubernio apud Petrum Aldobrandinum Cardinalem, & Gregorij XV. temporibus magni vſus virum, à ſtili elegantiâ, ſuffragante vniuersâ curiâ Romanâ, ſummè laudabat. Nec ſilendus heic Franciſcus Angelonus, quem ingenij curioſitas ab inueterata ſtili fama ad antiquitatis ſtudium traduxit: cuius argumentum ſub auſpicijs Inuictiſſimi Galliarum Regis Ludouici XIII. non ita diù *feliciter* prodijt. Quanti verò fecerit Agucchius Ioan: Antonium Maſsanum ſibi longâ neceſſitudine notiſſimum, teſtis erit ſuprema maximi Viri voluntas, qua ei omnia ſua commentaria & ſcripta legauit: cui & præclara obtigit æſtimationis acceſſio, quòd menſes nouem Venetijs Legati vices ex voto geſſerit. Singulari porrò quadam magnanimitate, non imperio, grauiora negotia pertractabat Agucchius, rarâ

etiam

etiam facundiâ & in mouendis affectibus artificio, cùm de rebus omnibus doctè & ſapienter diſſereret. Inde Senatorum animos perſæpe faciles habuit. Temporis vnius ita auarus fuit, vt ſemper aliquid meditaretur, ſcriptioni deditus: ſomno breui contentus antelucaris horis ad lucernam plures horas in lectulo ſtudijs impendebat, ſine valetudinis noxâ, quum cibi eſset parcior. Poſtremis annis rariora quædam conſcripſit de vitæ ſolitudine, de vitæ humanæ fragilitate, quæ meo conſpectu dignabatur non ſine ſummâ oblectatione. Animum ſerijs fatigatum picturis & antiquitatibus recreabat. Hiſce ſtudijs occupatus vſque ad annum M.DC.XXX. quo ſæuiente vndiqueque lue peſtilenti Venetijs diſceſſit, Mottam in Foro Iulij ſecedens quum in cœnobio Fratrum Minorum Familiæ Franciſcanæ ſubſtitiſset, dum cœli inclementiam fugit, paulò poſt lentâ febre correptus, ingraueſcente diſtillatione dignus melioribus annis occubuit Vir ſummus, Eccleſiaſtici ordinis ſplendor, Præſulum decus, & aulæ Romanæ ornamentum: qui integerrimis moribus heic inter nos diutius viuere debuiſſet, vt ſuo nos exemplo ad veræ vitæ rationem inſtrueret. Reipublicæ Venetæ ingens reliquit ſui deſiderium, quòd nemo mitiùs Pontificis partes defendiſset, nemo grauiùs & meliori euentu illius temporis negocia egiſset. Nec minùs Viri iacturam ſenſere Italici Principes, quorum gratiam epiſtolis, ſiue documentis, aut ſuâ præſentiâ promeruerat: ſed curia præcipuè Romana, quæ eius labores vidit, penituſque cognouit. Præter quaſdam ipſius Epiſtolas, & Orationem Neronis pro Ciuitate Bononienſi, diuerſa eius

numenta ſeruantur apud Creſcentium Saccardum Virum Cl. quorum editionem Illuſtriſſimus Ioannes Antonius Maſſanus nobis promiſit. In Æde cœnobij hoc pijs manibus ſtatutum eſt monumentum.

SISTE ITER VIATOR.
IOANNES BAPTISTA AGVCCHIVS
AMASIAE ARCHIEPISCOPVS
HIC IACET.
PRAESVL PROBITATE INSIGNIS, DOCTRINA EXIMIVS,
PRVDENTIA CONSPICVVS, ELOQVENTIA PRAEPOTENS.
QVI CALAMO SVO, QVASI GLADIO ANCIPITI
HAERESIM TERRVIT,
DISIECIT, FVGAVIT,
RELIGIONEM EREXIT.
IAM MVLTIS ITEM, QVAM MAGNIS,
GRAVIBVSQVE MVNERIBVS
MIRVM IN MODVM OBEVNDIS
PONTICIAM MAIESTATEM AD ASTRA EVEXIT.
CVI PRO ECCLESIA DEI LABORASSE
DVLCE FVERAT
PRAEMIA MERVISSE SATIS ERAT.
QVI TANDEM NOVENNALI LEGATIONE
APVD VENETOS
SVMMA CVM PRVDENTIA ADMINISTRATA,
DVM OPPIDA VENETIAE MEDITERRANEAE PESTIS
ERGO VITANDAE
CIRCVMIRET,

OBIIT

OBIIT IN HVIVS AEDIS COENOBIO
ANNO AETATIS SVAE LXII.
DOMINICAE VERO INCARNATIONIS.
M. DC. XXXII.

Hæc verò, quam iure me rentur, lucem deſiderant.

De Cometis Tractatus: & de Comete viſo. M.DC.XVIII.
De Rebus Meteorologicis.
Vita Philippi Cardinalis Sega.
Vita Hieronymi Cardinalis Agucchij.

Sermone Etruſco.

Vn Volume di Lettere, e vn'altro d'Inſtruzioni fatte à Nunzij di N.S.
Vn Volume d'Impreſe, piene di varia, e dottiſsima erudizione.
Vn'Orazione di Nerone per la Colonia Bologneſe abbrugiata.
Deſcrizione d'vn quadro grande del famoſo Pittore Annibal Caracci.
Trattato del perdonar l'Ingiurie.
Trattato dell'Ingratitudine.
Trattato dell'Hippocriſia.
Trattato della maggioranza dell'Ambitione ſopra l'Amore di Donna.
Trattato della Vita priuata.
Trattato della fragilità Humana.
Trattato della Pittura.

Oſſeruazioni ſopra le coſe di nuouo ſcoperte in Cielo.

Trattato di Coſmografiâ fatto per ſeruizio della Congregatione de Propaganda Fide, in occaſione di mandare li Miſſionarij in varie parti del mondo. Opera dottiſsima, e piiſsima.

Chronologia delli Rè d'Italia, del Latio, e della Toſcana: con la deſcrittione del tempo del Diluuio.

Trattato dell'antichità, & origine di Bologna; e dello ſcriuere Hiſtorie.

Trattato dell'antichità, & origine di Ferrara.

Paralello dell'acquiſto fatto da Clemente VIII. del Ducato di Ferrara, e dal Rè di Spagna del Regno di Portogallo.

Auuertimenti di vn Pontefice dati al Nipote. Parla Papa Gregorio XV. al Cardinale Ludouiſio.

Sette diſcorſi fatti nella Congregatione del Santo offizio mentre fù à Venetia.

THO-



F. THOMAS TOMASINVS
EPISCOPVS FELTRENSIS et c.

THOMAS TOMASINVS.

FAmilia Tomaſina cum vnâ & triginta familijs, vt auctor Sanſouinus, qui præter Verruſos, Garſones, Nardos, Perutas, Michelios, Fantinellos, Filemos, Orſos, aliaſque, illam recenſet, anno M. CCC. IX. è Tuſciâ Venetias profecta, ſerici commercio non mediocriter opes auxit, quarum adhuc magnificentia in Sacello à Facio & Dominico S. Hieremiæ exſtructo ſpectatur. Vicentiæ præterea, & Pataui j, alibique ſe ſe diffudit: pauciſque ab hinc annis Vicentiæ deſijt, poſtquam longâ temporum ſerie, nobilitate, ac illuſtrium Virorum affinitate floruiſset. Ex hac Thomas Tomaſinus Venetijs ortus, delibatis humanioribus literis, in Gymnaſio Patauino iuuenis Dialecticæ & Philoſophiæ, Muſis etiam latinis, operam impendit. Seculi licentiam horrens, inſtitutum S. Dominici, eâ ætate viris literis & ſanctitate clariſſimis florentiſſimum amplexus, iuuenis non minorem de ſuo ingenio patribus admirationem, quàm expectationem excitabat. cœptum ſtudiorum curſum auidè cum Theologia coniungens, cùm plurimum memoriâ polleret, citò alios antecelluit; publicè nunc orando, nunc diſputando, ad ætatis incrementum ſenſim prouectus, primas in omnibus diſciplinis obtinuit. Hinc in diuerſis cœnobijs Philoſophiam ac Theologiam ſummâ cum laude profeſ-

ſus

ſus, varia etiam ſui ordinis munera ad Societatis ſuæ conſeruationem ſummâ cum prudentiâ geſſit. Increbuerat iam vndique eius virtutis fama, & præſertim Romæ: vbi exſtincto ſub MARTINO V. ſchiſmate, efflorеſcentibus bonis literis, non inferiora ſui ingenij ac præſtantiæ ſpecimina dedit. Nec oris maieſtas viro religioſo deerat, quam cum elegantiâ comitas ea commendabat, quæ vniuerſam in ipſum curiam conuertebat. Summis hìc ille Viris & purpuratis omnibus gratus, & præſertim Antonio Corrario & Gabrieli Condulmerio, religioſorum & ſelectorum hominum æſtimatori. Defuncto Martino Pontifice, Condulmerius ad ſummum Eccleſiæ apicem euectus, Thomæ operam in varijs muneribus adhibuit, præſertim in grauioribus negotijs Concilij Baſilienſis. Hinc diuerſas itinerum moleſtias pro Eccleſiæ immunitatibus Summique Pontificis maieſtate ex voto ſubijt. Interea ſolitudinis religioſæ quamuis amantior eſſet, quàm honorum; exigentibus tamen ita rebus Summus Pontifex Æmoniæ primùm Eccleſiæ, Vrbinati mox & Maceratenſi, tandem Feltrenſi & Bellunenſi, defuncto Henrico Scarãpo Aitenſi, anno M. CD. XLI. Epiſcopum præfecit: quò poſtremus annos patrijs laribus vicinus quietos exigeret. Sed res Pontificis parum proſperæ vlteriorem Tomaſini operam poſtulantes, ipſum cùm diutius in curiâ detinerent, Petrum Iuſtinianum Epiſcopum Pettenenſem in ſuum locum delegit, qui ipſius Eccleſiæ proſpiceret: quod feliciter euenit. Rebus Eccleſiæ ad tranquilliorem ſtatum reductis, ad Feltrenſem Eccleſiam reuerſus, quid porrò memo-

riâ dignum egerit, præ temporum vetuſtate incertum eſt: niſi, quod Pilo Bellunenſium ſcriptor lib. VI. memorat, Anno M. CD. XLIII. controuerſiam de nouo vectigali à Sereniſſima Republica impoſito inter Clericos Bellunenſes & Ciues excitatam eâ dexteritate compoſuerit, vt Clerus Ciuibus etiam ſymbolam contulerit. Memoria tamen conſtans eſt, in Epiſcopatu ſanctè vixiſſe, vt alijs pietatis exemplum præbuerit, perpetuò ſuis ciuibus aduigilans optimus paſtor. Sanctiſſimæ Euchariſtiæ veneratione heroici carminis opus reliquiſſe, ſuiſque impenſis Eccleſiam Corporis Chriſti Venetijs à fundamentis inſtauràſſe, eius etiam diuerſorum ſermonum eſſe volumen, tradit præter Pilonem Sanſouinus. Studijs tandem anniſque confectus anno M. CD. XLV. vitam piè clauſit. Cuius honori accedit, quòd Iacobum Zenum, Nobilem Venetum, I. C. & Philoſophum celebrem ſucceſſorem habuerit.



CAIETANVS THIENÆVS
CANONICVS PAT. PHIL. ET THEOL.

CAIETANVS THIENÆVS.

INgenij famâ orbi vniuerſo conſpicuus, virtutis & literarum cultoribus Patauij in ipſo Templi Cathedralis aditu inter pluteos & libros immortalitatis monumento obuius eſt, qui à patriâ nomen traxit CAIETANVS. Simeone Thienæo ex familiâ equeſtri inter Vicentinos nobiliſſimo, & I. C. celeberrimo patre Anno M. CCC. LXXXVII. Caietæ naſcitur, vbi Ioannes Auus paternus tenerâ Ladislai ætate Vicarij regij titulo res Imperij adminiſtrauit. Illuxit ſtatim ea in puero indoles, vt liberalibus diſciplinis eruditus eam daret ſpem profectus, vt quamuis illegitimo prodijſset thoro, adoleſcens tamen carus eſset conſanguineis, atque in primis amitæ Amabiliæ Montagnonæ Patauinæ gratiſſimus: quæ centenos aureos annuis reditibus, quem tenerè educauerat, adoleſcenti reliquit. Libatis more ſeculi humanioribus literis Philoſophiæ in Gymnaſio Patauino ſtrenuè operam dedit: cui artis medicæ notitiam ſubiunxit eâ ingenij felicitate, vt ſummos vtriuſque titulos commeruerit. Ea mox omnium animos de eo inuaſerat opinio, vt publicam Philoſophiæ Cathedram Patauij ab Vniuerſitate Artiſtarum obtineret. Caietanus creditam ſibi prouinciam hilariter aggreſsus in explicando Ariſtotele, omiſſis aliorum interpretum opinionibus, ſolum Auerroëm fidiſſimum

Phi-

Philoſophi Commentatorem ſequebatur, eo ingenij acumine, vt primus ei in Gymnaſio auctoritatem conciliârit. Quantæ exiſtimationis fuerint ipſius meditationes in pleroſque Ariſtotelis libros, argumento erit ingens frequenſque librorum Caietani in Bibliothecis cum Patauij tum in omni pene Italiâ copia, qui inſigni curâ & elegantiâ paſſim ſepoſiti videntur. Verùm dum genio naturali, vel diuino potiùs afflatu ad altiorem vitæ gradum intenderet, rerum diuinarum contemplationibus ſe iuxta dare cępit: iamque ſacrarum literarnm doctor pronunciatus, ſacriſque initiatus Patauij Canonicatum à Summo Pontifice Martino v. obtinuit. Dignitatem hanc non ſolùm doctrinæ præſtantiâ, ſed pietatis exemplo illuſtrauit. Ingens nempe in eo effulſit morum candor, in egenos liberalitas, tantùmque inter alios eminuit, vt cùm hìc Eccleſiæ Patauinæ Doctor eſset, illud in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum meruerit Ioannis Trithemij iudicium. *Caietanus, Patauinus Canonicus, vir in diuinis ſcriptoribus ſtudioſus & eruditus, & in ſecularibus literis nobiliter doctus, Philoſophus, & Medicus inſignis, & Theologus celeberrimus: qui in Gymnaſio Patauino literas & ſacras, & ſcholaſticas publicè docuit, & magnam eruditionis ſuæ laudem acquiſiuit. Scripſit .n. vtrâque literaturâ (vt ferunt) plura opuſcula, quibus nominis ſui memoriam poſteris reliquit: è quorum numero, iſta feruntur. In libros Phyſicorum Libr. vIII. In Libros de Cælo & Mundo Lib. Iv. In Lib. de Anima Lib. Iv. & alia complura. Clarùit temporib: Sigiſmundi Imperatoris & Eugenij Iv. Papæ Anno Domi-*

ni M. DC. XL. Vniuerſas Caietani dotes epigrammate ad eius patrem perſtrinxit Galaſius Vicentinus: qui patriæ ſuæ, illuſtriumque Virorum laudes cùm alio carmine copiosè fuerit proſecutus; Caietani elogium ne periret, ex vnico, qui ſupereſt, Hieronymi Gualdi nobiliſſimi Viri libro in membranis ſcripto huc transferre volui,

Magne Simon Iuris Legumque ænigmata ſoluens,
Tu decus es terræ compatriota meæ.
Hinc Caietani fœcundum pectus & artes;
Qui nomen, palmam, Philoſophantis habet,
Quicquid Ariſtotelis Peripateticus docet ordo,
Diuinuſque Plato, Stoicaque ſchola ſapit,
Et Roma, ſimul quicquid Gymnaſia ſcribunt,
Hic meliùs docuit, limpidiùſque refert.

Sed quod ſecuriorem tanti nominis perennitatem pollicetur, Thienæi perpetuâ ſucceſſione aliquem ſuæ familiæ Caietani nomine prouidè inſigniunt. Quod præ reliquis ſummâ pietate vitæque innocentiâ inter cęlites retulit primus Theatinorum Auctor, qui Sanctitatis titulum iure inter mortales meruit. Quem eâdem ætate B. Domitilla Antiſtita *S.* Silueſtri in vrbe Vicentina obtinuit. Domeſticum etiam ſplendorem hodie plures inſigni patrię ornamento ſuſtinentè quibus Comes Marcus Antonius & Comes Ioannes Galeacius iure mihi nominandi: qui virtutis ac prudentię cultu, fortudine item & beneficentiâ ſummopere maiorum exempla pręclara exprimunt. Inter eos hiſtorię argumentum dederunt Vguccius I. qui anno M. C. XCI. Cardinalis infulam meruit: Vguccius II. Anno

M. CCC.

M. CCC. LXIX. varijs Legationibus pro Gregorio XIII. clarus, Petrarchæ ſummâ neceſſitudine coniunctus: Nicolaus Thienæus M. CCC. LXXIV. eodem nomine Pontifici carus: Iacobus I. C. Principi Venetæ patriæ nomine vrbem Vicentiam tradidit. Iacobus etiam eius nominis alter Matheſeos peritiſſimus conductum ſecum ære ſuo Petro Velaſco Portugallenſi primus Inſulas Floridas detexit, & Columbo vlterioris nauigationis occaſionem præbuit. Venetę claſsi ſumma cũ laude pręfuerunt Rubertus, & Georgius fratres M.CD.XXVIII. Ioannes III. an. M.CD.XCI. Brunorus & Ludouicus M.D.XXXVI. Valeranus M. D. LX. & Antonius II. M. D. LXXXVIII. Alijs etiam Italiæ Principibus militârunt Clemens, Sartorius, Preſildus, & Iulius primus. Etruſco & Latino carmine eminuerunt. Alexander, Marcus, & Hieronymus. Rem literariam præclaris ingenij monumentis locupletârunt Simeon, Ioannes II. Antonius I. Leonardus, & Ferdinandus. Galliæ Regis exercitum duxit Octauius I. Marchio Scandiani An. M. D. LIV. Iulius verò M. DC. IX. & Octauius II. M. DC. XX. Marchiones Scandiani pro Italiæ Principibus varias legationes obierunt.

Tandẽ vitâ inter literas & pietatis officia religioſè ad ſenium decurrente Anno M.CD.LXII. die XIII. Septembris Caietanus noſter facultates ſuas domumq; cũ ſuppellectili vniuerſa Eccleſiæ Cathedrali liberaliter legauit. Nec multo poſt tempore cùm fatis ceſſiſſet, celebri pompâ in Maiori Templo deponitur, vbi ad viuum ænea effigies eius in Muſeo è marmore hoc elogio celebratur.

CAIETANO VICENTINO EX CLARA THIENAEA FAMILIA, CANONICO PATAVINO, VIRO INTEGERRIMO, THEOLOGORVM PRINCIPI, PHILOSOPHO EXIMIO, CVIVS DOCTRINA CVNCTA ORBIS GYMNASIA ILLVSTRANTVR, LOCVS HIC DATVS EST.

Libri ab eo ſcripti hi ſunt.

Commentaria in omnes libros Phyſicorum.
Comment. in Libros de Cælo.
Comment. in Lib. de Anima.
Quibus iuncti ſunt. Tractatus III.
Primus *An detur Senſus Agens*. Secundus. *An Senſibiles communes ſint per ſe ſenſibiles*. Tertius. *De Intellectûs immortalitate.*
Commentaria in Lib. Meteorûm quibus addidit *Tractatus de Reactione, de Intenſione, & Remiſsione formarum.*
Recollectæ in Lib. Phyſicorum. Item XII. Quæſtiones.
Comment. in lib. de Memoria & Reminiſcentia.
In Bibliotheca S. Ioannis in Viridario Patauij extant opera diuerſa eiuſdem manu ſcripta, & inter ea.
Recollectæ Caietani ſuper Regulas Esbari.
Recollectæ Super Conſequentia Strodi.
Recollectæ ſuper Sophiſmata Esbari
Et in Bibliotheca S. Antonij multa pariter, & inter ea.
Comment. in lib. de Anima in cuius calce legitur. *Iſte liber fuit oblatus Arcæ Beatiſsimi S. Antonij de Padua die*

XII.

XII. Junij M.CD.LXI. per Excellentiſsimū, & in Orbe præcipuum Artium & Medicinæ Doctorem ac Patauinæ Eccl. Canonicum D. Gaietanum de Thienæis. &c.

Tabula ſuper Philoſophiam.

Tractatus Septiformis de Moralitatibus rerum, ſcilicet corporum cæleſtium, elementorum, animalium. &c.

FRANCISCVS ALBERGOTTVS.

ALbergottorum antiqua apud Italos Familia, ſeptingentis, quodque ſuperat, annis Viris Illuſtribus claruit. Inter eos duo Præſules Aretini eã in primis exornârunt. Marcellinus anno M.CC.XLIX. pro Innocentio IV. Sum. Pont. totius Marchæ Anconitanæ Legatus Eccleſiæ partes & jura aduerſus Federicum II. Imperatorem acerrimè diutiſſimèque ſuſtinuit; vt dubio rerum euentu longis ærumnis, ac tandem martyrio vitam ſanctiſſimè clauſerit. Cuius rei hiſtoriam Matthæus Paris Monachus S. Albani in Chronicis Angliæ ad An. M.CC.XLIX. prolixè tradidit. Ioannes alter Epiſcopus Gregorio XI. Opt. Pont. ob egregias animi dotes & mores adeo charus fuit, vt ancipiti rerum ſtatu, & prudentiſſimum conſiliarium, & fortiſſimum militem experiretur. Hinc Ducis titulo aduerſus Galeacium Vicecomitem Mediolani Dominum, Eccleſiæ aduerſarium, cum exercitu mittitur; quem



FRANCISCVS ALBERGOTTVS

quem in agro Brixienſi poſt ardua prælia profligauit, multis Vrbibus, & præſertim Vercellenſi direptis. Ex hac patre Alberico I.C. celebri & Guidonis Tarlaci Epiſcopi Vicario Generali anno ſalutis humanæ M.CCC.IV. ortus Aretij FRANCISCVS ALBERGOTTVS, genitoris ſui diſciplinam ſecutus, iure merito inter ſui ſeculi Iuriſperitos clariſſimos enumeratur. Ingenio enim ad omne literarum genus apto adoleſçens conſilio patris Gymnaſio traditus, ſub Cl. præceptoribus Philoſophiæ naturalis, & quæ ad mores ſpectat, ſtudia emenſus, ad Iuriſprudentiam ſibi aditum fecit: quâ Doctoribus primi nominis maximèq; Baldi tantum profecit, vt laureâ ornatus forenſes cauſas in patriâ ſuſceperit. Fidem hìc tum in Clientes, tum in euoluendis cauſſarum momentis ſedulitatem, tum orandi tum reſpondendi munus eâ felicitate ſuſtinuit; vt applaudentibus ac impellentibus amicis Anno M.CCC.XXXXIX. Florentiam ſe traduxerit: vbi tale ſui ingenij ſpecimen docendo & ſcribendo præbuit; vt vrbis ciues ob eius præclara merita ipſum cum ſuis poſteris in nobilium cœtum adſciuerint. Porrò ita in dies fidei ac ſapientiæ famâ in florentiſſima Republica creuit, vt exortâ inter eos & Bononienſes de finibus contentione, Anno M.CCC.LVIII. præ cæteris dignus cenſeretur, qui Legatus rem componeret. Quod efficaciſſimis apud Bononiæ Dominum rationibus ex omnium voto rectè peregit. Ferunt hìc docuiſſe. Ea ſanè præter inſignem morum comitatem ac probitatem Viri erat in Legibus interpretandis ingenuitas, vt ſuo æuo communi ſententia *Solidæ veritatis Doctor* fuerit appellatus: eiuſque Reſponſa Bar-

G tholus

tholus Iuriſperitorum Coryphæus præcipuè de ingenij ſubtilitate prædicet. Tandem gloriæ & annorum plenus, cùm publicis ac priuatis negotijs ſibi immortalitatis famam acquiſiuiſſet, ſuſceptis ex vxore tribus filijs, inter quos Ludouicus I.C. varijs conſilijs, & pro Rep. Florentinâ legationibus celebris, Anno ſalutis M.CCC. LXXVI. Florentiæ vltimum diem clauſit. Illatus in ædem S. Crucis apud cineres ſuorum. Familiæ decus hodie Franciſcus Albergottus ſummâ cum laude in curiâ Romanâ tuetur.

Monumenta hæc reliquit.

Commentaria in lib. Digeſtor.
Comment. in partes quaſdam Codicis.
Conſultationes plurimas.

BAPTISTA, ET GREGORIVS CASALES.

Ad Ioannem Baptiſtam Caſalem Patricium Romanum.

CVm ex ſcriptorum & temporum iniuriâ cl. Virorum memoriæ quotidie pereant; ad familiæ tuæ decus, & amicitiæ noſtræ perennitatem non patiar ampliùs præclara Baptiſtæ & Gregorij fratrum de Caſalibus in publicum merita deliteſcere. Hi namq; arduis temporibus nati inter varia vitæ diſcrimina veluti ſplẽdida aſtra ſeculo ſuperiori emicuere. BAPTISTA oratorijs ac poëticis oblectamentis addictus in

vrbe,

vrbe, tum orando, tum ſcribendo, eam glóriam, quam pauci attingunt, conſecutus eſt; vt meritò diſertiſſimus vir Franciſcus Arſilius de Poëtis vrbanis ſic eum celebret:

Suggerit aſsiduè nomen tibi grande Caſali
Melpomene, æternæ poſteritatis opus.
Dulcis Apollineo demulces pectine chordas,
Aonius Phileros agmina tanta premit.
Tu quoq; ſeu Flacci, ſeu per nemora alta Properti
Incedis, tibi habes Valeriane locum.

Viri eloquentiam teſtatur in legem Agrariam pro communi vtilitate Oratio ad Clementem VII. Romæ edita Anno M.D.XXIV. Quam Franciſcus Floridus ætate ſupremâ ab ipſo vulgatam commendat. *Baptiſta Caſalius Ciuis Romanus, quem ſenem admodum adoleſcens vidi, Troilo natu maior, egregius Orator iure exiſtimatur: quod vel ex vnica eius de lege Agraria, quam paulò ante mortem edidit, oratione facilè dignoſci poteſt.* Ingenij quoq; amœnitatem referunt Epigrammata de S. Annæ, B. Virginis, & filij Ieſu ſimulacris vno lapide in Æde S. Auguſtini Romę ab Andrea Sanſouino ſculptis, quę in libello *Concianæ* titulo Romæ Anno M.D.XXIV. edito exiſtunt. Nec prętereundũ aliud in Procopium de bello Gothico à Chriſtophoro editum Romæ Anno M.D.VI. Oratoriâ tamen plus valuiſſe indicat Lilius Gyraldus in Libro de Poëtis ſuorum temporum: *Vir probus eſt & eloquens Baptiſta Caſalius Romanus, oratione tamẽ ſolutâ magis commendatus, quàm poëtices facultate. At ille quidem Epigrammata interdum confecit, quæ & argutula ſunt, & caſta, nec minùs quàm ſuperiorum lectione digna.*

Et Pierius Valerianus in prologo Lib. XXVII. Hieroglyphicorum ad Ioannem Grimanum Patriarcham Aquileienſem doctrinæ & candoris famâ extulit. Quamobrem & Petro Bembo amiciſſimum fuiſſe conſtat ex eiuſdem Epiſtolis. Varijs Legationibus pro Pontifice habitis, cùm præcipuè à Thoma Moro Angliæ Cancellario æſtimaretur, Regi Henrico VIII. innotuit: pro quo legationis munus cùm ſuſcepiſset, modò Italiam bello vexatam, modò Galliam ac Germaniam peragrauit. Vtilem orbi Chriſtiano viri operam eleganti ode celebrauit Benedictus Lampridius ſui æui Poëta nobilis. Senex demum tranquillitatis cupidus patriæ redditus, & ad intermiſsa ſtudia reuerſus, Gregorium fratrem Principum aulis commiſit.

Is confecto partim Romæ, partim extra patriam ſtudiorum curriculo, viuidi promptiq; ingenij ad res militares propenſus, atq; in Angliam cum fratre progreſsus, Principibus et Regi ipſo Henrico gratus, ablegatur in Italiam diuturnis bellis uexatam, cùm Rex copijs militaribus partes ac Summi Pontificis auctoritatem tueretur. Hìc ille omnem ferè militiæ molem pro Rege ſuſtinebat, dum ærarij curam gereret eo ſtudio, vt Equitibus auratis fuerit adſcriptus. Interea dum Roma militum prędæ exponeretur Anno M.D.XXVII. cùm in arcem S. Angeli cum Pontifice ſe recepiſset, Eques Caſalis cum Rentio de Cero, Alberto Pio, Horatio Baleone, vt Regis Angliæ orator, liberam egrediendi facultatem impetrauit. Quos verò tam arduos Reip. Chriſtianæ temporibus labores, quæ pericula ſuſtinuerit, quas itinerum difficultates ſuperauerit, vt

Prin-

Principes Chriſtiani tandem ſolitum Pontifici obſequium præberent, longum hìc eſset commemorare. Illud memoria dignum, quòd Anno M.D.XXVII. legatione Italicâ perfunctus, cùm in Angliam eſset rediturus, Sereniſſima Reſpublica Veneta publico decreto honorificum ipſi munus aſsignauerit.

M. D. XXVII. II. Luglio in Pregadi. Eſsendo per conferirſi in Inghilterra il Magnifico Caualier Caſale ſtatò Oratore di quel Sereniſ. Rè appreſo la Santità del Pontefice, è da vſare ogni amoreuole dimoſtratione verſo la perſona ſua, acciòche, oltra li boni vfficij l'hà ſempre fatto per l'honor e beneficio del ſtato noſtro, el vadi tanto meglio confirmato nella ſua bona diſpoſitione. Però l'anderà parte, ch'al prefatto Magnifico Caualier ſia per auttorità di queſto Conſeglio fatto vn preſente in tanti arzenti e panni di ſeda per la valuta di ſcudi ducento d'oro in oro in circa.

Rebus poſtea ſub Henrico mutatis è Britanniâ in Galliam profectus, ſolenni funeri Regis Franciſci I. interfuit. De quo eius ad Sum. Pontificem Paulum III. Epiſtola inter Principum literas relata extat. Senex tandem in patriâ diem clauſit, magis notus meritorum famâ, quàm monumentis. Sufficit, Nobiliſime Caſalis, quæ in Te præter ſummum variæ antiquitatis ſtudium adhuc ſplendet maiorum virtus, à Ludouico, Franciſco, & Belardino nepotibus eximiâ parentum curâ æternitati conſacretur.

IOAN.



IOAN. GEORGIVS TRISSINVS
VICEN. CO. EQ. POETA et ORATOR.

IOAN. GEORGIVS TRISSINVS.

QVid in hoc venerando ſene potiſſimùm admiremur, generis, an virtutis ſupra mortales pręſtantiam? Vtraq; ſanè digna, quæ Lectoris ingenium occupet. Familiæ TRISSINAE ea ſemper dignitas fuit, vt multis iam ſeculis omnibus ſit conſpicua. Ex documentis enim domeſticis accepimus huius familiæ originem ab Alcaſtio Athenarum Principe, qui ex Ericiniâ Achillem Iuſtini Imperatoris Pincernam genuit. Is Carientam filiam Virulanti Gothi in vxorem ſelegit, ex qua Iuſtinus Achillis Pater & Vlieni Auus. Vlienus Bonifacium, qui Alexandrum filium vidit in bello contra Rauennates Venetæ claſſis Præfectum. Hic rebus fortiter geſtis Albiciam Ducis Veneti Vrſi Badoërij filiam ſibi vxorem impetrauit: ex qua longâ ſerie prodierunt Oldradus Mediolani Poteſtas, Oldoricus Barbaræ Carrarienſis maritus, Bonifacius, Achilles, & Henricus Rudolphi Imperatoris miles: qui ex Clarâ Dominorum de Bragantiâ Lambertum & Theobaldum filios ſuſcepit. Theobaldus ex Anna Faleriâ Ordeaſij Ducis Veneti filiâ Oldoricum II. atq; ex eo Vguccius Annæ Maltrauerſæ iunctus matrimonio Oldoricum III. habuit Magioranzę Equitis Patrem: ex quo Achilles alter, Bonifacii Pater, & Galuani Auus, alteriuſq; Bonifacij Proauus. Hic filium Io. Georgium vidit Roncalini Patrem: ex

quo

quo Io: Georgius II. Gaſparis genitor. Qui ob ſingulares animi dotes in Republicâ conſpicui floruerunt: & maximè Gaſpar Triſſinus, ex quo matre Cæciliâ Beuilacquâ Gulielmi Veronenſis filiâ, fęminâ illuſtri Anno M. CCCC. LXXVIII. Die VII. Iulij Io: GEORGIVS naſcitur. Is puerilem ætatem vix emenſus, aduerſantis fortunæ iniurias expertus, anno ætatis ſeptimo patrem amiſit. Ingenio puer erat alacri, ſed præmaturus patris obitus tardiorem ei cultum attulit. Perceptis nihilomninus primarum literarum rudimentis, egregia indole excitatus, poſtquam ad ſtudiorum oblectamenta rapi cæpit, breui tempore non ſolum dialecticas diſciplinas, ſed Græcas etiam literas à Demetrio Chalcondyla Athenienſi Viro cl. Mediolani percepit: cui defuncto ibidem in æde Paſſioni Seruatoris noſtri ſacrâ magno pietatis exemplo monumentum erexit. Condiſcipulum ibi fuiſse Lilium Gyraldum, conſtat ex ipſius Epiſtola Direptionis vrbanæ:

... quem nobilitas generis, facundia triplex
Inſignem facit, & viridanti notus ab æuo
TRISSINVS, Inſubrâ dum Græcas diſcimus vrbe.

Cæterùm, cùm ingenio eſset pluſquam igneo, diſciplinis Mathematicis ſe totum applicuit. Naturali tamen impetu in Poëſin ferebatur. Quo ſuauiſſimo Muſarum commercio non ad leuiſſimas cantilenas, vel ad Satyras ſtylum conuertit, ſed ad Homeri, Euripidis, ac Sophoclis exempla ſe confirmans eorum Poemata quotidie non tantùm voluebat, ſed aſſiduè terebat: quorum imitatione Heroum facta erudito carmine decantare cæpit, tantâ cum

ſui

ſui nominis cælebritate, vt laudatiſſimam inter Italici ſermonis ſcriptores famam occuparet. Romæ per hæc tempora cùm bonæ florerent literę, eò conceſſit: vbi aliquandiu literatis omnibus, & ingeniorũ æſtimatoribus charus ſatis ſuperq; iudicij ſui documẽta præbuit. At parentũ precibus, & prolis deſiderio motus Vicentiam redijt inſigni nominis fama morũq; amœritate præcipuis ciuibus gratiſſimus. De matrimonio jam cogitanti Ioanna Franciſci Triſſini filia, naturæ ac fortunæ dotibus eximiè ornata deſpondetur Anno M.D.III. Felicioris vitæ quietẽ deſiderans in pago Cricoli ędes ſuas perantiquas ad nouã formã & ſplendidiorem reduxit. cùmq; Architecturæ ſtudioſiſſimus ab ineunte ętate fuiſſet, omnem operam impendit, vt omnis hîc artis elegantia conſpiceretur. Andreas Palladius ſeculi ſuperioris Vitruuius tunc manu & operâ ſe Triſſini diſcipulum præbuit, quem paſſim in libris Architectonicis deprædicat. Palatium hoc elegantiæ plenum viri literis clari veluti Muſeum frequenter inuiſerunt: vbi parietes carminibus exornati eruditionem, ingenium, facundiam, elegantiam, Muſas ipſas, & Apollinem Io: Georgij Triſsini ſpirant. Inde meritò ædibus hæc appoſita inſcriptio.

ACADEMIAE TRISSINAE
LVX ET RVS.

De his eleganter Sabellicus.

... quà fluit Aſtacus amnis,
Quàq; tegunt ripas corygli ſiluæq; virentes
Florentis Cricoli Triſſinia tecta nitebunt.

Huc Archiepiſcopus Rovanius, poſt ad Pontificatũ Vr-

H bani

bani VII. titulo euectus, cùm Nuntij munere pro Pontifice maximo ad Sereniſs. Rempubl. Venetã fungeretur, recreandi cauſã ſæpius concedebat: cuius rei monumentum ibidem marmoreum in cœnaculo exſtat.

BEATISSIMI VRBANI VII. HOSPITIVM.

Palatium hodie inſtauratum hæc venuſtat Inſcriptio.

POMPEIVS TRISSINVS,
IO. GEORGII EX CYRO NEPOS
INSTAVRAVIT.

In hoc ſuauiſsimo Muſarũ ſeceſſu inter varias literarum meditationes Triſsinus coniugio felix diuerſis temporibus maximam ferè vitæ partem egit. Neq; enim grata ei pignora defuerunt. Duos enim filios ſuſcepit Franciſcum & Iulium, qui parentis diligentiâ bonis artibus educati familiæ & genitoris laudes peregregiè ſuſtinuerunt. Sed fatis præmaturè vxore ereptâ, vt amatiſsimæ coniugis iacturam leniret, Romam contendit: vbi à literatis Principibus perhumaniter acceptus, ſummâ dulcedine, & maieſtatis pondere calamitoſum Sophonisbæ Reginæ euentum dramate heroico expreſsit. Quod cùm Leone X. literarũ Mecęnate benigniſsimo, in ſcenam magno apparatu eſset productum, primus ille Italiæ publicis laureæ acclamationibus adjudicatus fuit. Quam licèt gloriolam magnanimus negligeret; eam tamen reliquit in animis eruditorum opinionem, vt Torquatus Taſsus ſummi nominis Poëta in ſuo de Nobilitate Dialogo non veritus fuerit opus illud cum antiquâ Poëſeos facie ac venerãdo aſpectu conferre. Immo ſuis ad amicos Epiſtolis non rarò fatebatur, ſe IOAN.

GEOR-

GEORGII TRISSINI Poëmata nocturnâ, diurnâq; manu verſare. Nec ſolùm egregio hoc Poëmate Leonis X. fauorem promeruit, ſed cùm in eo eluceret præclariſsima morum indoles, loquendi ſuauitas, & mira in rebus agendis dexteritas, Pontifex eum grauioribus negotijs conſiliarium adhibuit. Immo cùm à Venetis, ita vrgente belli fortunâ, bona eius Fiſco adſcripta eſsent, ſummus Pontifex eius negotium Comiti de Carriat, & Ioan. Baptiſtæ Spinello Vicario Generali Cardinalis Gurcenſis in hunc modum commendat. LEO Pont. X. *Dilecte Fili, &c. licèt ſatis ex ſe ipſa eluceſcat fides dilecti Filij noſtri Ioannis Georgij Triſſini Equitis & Comitis Vicentini erga cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Maximilianum electum Ro: Imp: ſitque eo magis tibi nota, quòd amiſſionem & confiſcationem bonorum ſuorum factam per Venetos facilè intellexeris: quod etſi pati durum ſit quieti aſsueto, attamen Cæſaris cauſâ (vti fideliſſimum & deditiſſimum nouimus) æquo animo patitur, ſpe fretus benè habendi, ſi quando res proſperiùs ſucceſſerint. Nos verò, qui ob eius ſingulares virtutes, doctrinam, probitatemq; paternâ in domino charitate complectimur, eius operâ vſuri in rebus noſtris & huius S. Sedis Apoſtolicæ, præcipuè autem apud cariſsimum in Chriſto Filium noſtrum præfatum, ad quem ipſum deſtinamus; animaduertentes quanto auxilio et fauore eſſe poſsis rebus ſuis, quamdiù permanſerit in ſeruitijs noſtris; idcirco te in Domino hortamur, vt quoties occaſio tulerit, ita commodorum ſuorum reminiſci velis, &c.*

Sed cognitâ ipſius innocentiâ Veneti bona abſenti, iuſtâ cõſanguineorum culpâ ob defectionem, erepta beni-

gnè reſtituerunt maximis amoris indicijs, quæ ipſe ſuo teſtamento prolixè deprædicat. Nec minori affectu, quàm Pontifex ipſe, exceperunt eum Imperatores Maximilianus & Carolus V. alijq; Principes, varijs legationibus pro Chriſtianâ Republicâ arduis temporibus feliciter apud eoſdem peractis. Etenim Pontifex cùm ad Maximilianum ulotit Nuntij Apoſtolici ipſum anno M.D.XIVI. Tridentum menſe Martio ablegâſset, Regi etiam Daniæ legatum ſuum deſtinauerat. Imperator autem cùm Italiæ cõmodiorem cenſeret virum, ad Pontificem diuertit. Cuius conſilij rationem ex mperatoris mandato in poſteritatis memoriam afferre lubuit. Premiſsâ Salute, & Imperatoris commendatione ac Regis Hiſpaniarum Caroli. Cùm vniuerſæ Reipublicæ interſit oratorem ad Pontificem redire, etiamſi Beatitudinis ſuę iuſsu ad Regem Danię fratrem & Generum Imperatoris chariſſimum eſset ablegatus pro neceſſitudine, qua Cæſar in Pontificis miniſtros ſe valere exiſtimat, ipſum ab itinere retraxiſse, vt Pontifici per creaturam ſuam & tantopere addictam rerum ſtatus apertiùs declaretur. Cùm enim Regis Angliæ Orator jam indicauerit periculum, quod non Italiæ tantùm, ſed vniuerſæ etiam Reipublicæ Chriſtianæ à Gallorum potentiâ imminet; plurimum referre, vt ijs tempeſtiuè occurratur, qui Pontificẽ maximâ calamitate annos octodecim in exilio detinuerint, etiamſi vberiorem vindictæ occaſionem quam diſſimulant in præſenti, expectent. Itaq; expediviſſe, vt ad mutuam defenſionem ac offenſionem inter Imperatorem, Regem Angliæ, & Aragoniæ aduerſus eos fœdus pangeretur.

retur. Quod licèt Regis Aragonum morte intermiſſum fuerit, nihilominus de eo cum Rege Angliæ feriò agendum, & in locum defuncti Regis in partem fœderis adducendum Hiſpaniæ Regem Carolum. Orator autem de omnibus, quæ egerit in hoc negotio, ad Cæſarem referat, eaq; ſummo Pontifici, vel ſeorſim, vel, ſi ita viſum fuerit, aſſumpto Comite Carpenſi Oratore Cæſareo exponat. Prudentiſſimum itaque fuit Imperatoris inſtitutum. Defuncto Leone X. in patriam redijt: cùmq; vxoris ſuaui antea conſortio aſsuetus virilis ætatis feruorem & præteriti temporis incommoda lenire exoptaret; anno M.D.XXIII. ſecūdas cum Biancâ, ſui ſeculi Helenâ, Nicolai Triſſini viduâ nuptias contraxit. Mulieris formâ captus, cùm ex eâ Cyrum vnicum filium ſuſcepiſcet, olim Franciſco iam fatis erepto, Iulij claræ indolis ex primâ vxore filij cura ſenſim intepeſcere videbatur. Interea Clemens VII. ad Pōtificatum euectus eum Romam euocat. Cui ita ſuam probauit fidem ac dexteritatem, vt conſiliorum arbiter, curiæq; intimus beneuolentiâ eius vſq; ad inuidiam floruerit: filiumq; Iulium Pontifici à ſecretis, cubicularium, ac deinde fauore Cardinalis Rudolphi perpetui Vicentinæ Eccleſiæ adminiſtratoris in patriâ archipreſbyteri dignitate florentem vnâ cum Eccleſia Beuadori viderit. Pontificis arbitrio expediendis negotijs grauiſsimis ad Ser. Rempublicam Venetam aliquoties miſsus, maiorem in dies ſibi fauorem comparauit. Præcipuum eius argumētum perhibetur, quòd in coronatione Imperatoris Caroli V. anno M.D.XXX. VI. Cal. Martij Bononiæ cui ſyrmatis aurei ſacræ pallæ Pontificiæ ferendi munus

da-

darctur, in maximâ procerũ celebritate dignior fuerit habitus. Blandiebatur hic Triſſino aulæ fortuna, quæ ſummos ei honores certoſque pollicebatur. CAROLVS V. etiam impenſè eum æſtimauit, & Comitis atq; Equitis honore condecorauit cum ſuis poſteris: cuius diploma apud Theodorum Triſſinum auitæ fortunæ ac gloriæ hæredem Vicentiæ diligenter aſſeruatur. Serpentibus in dies Vicentię inter nouercam & Iulium ſimultatibus, ſic animo à filio abalienabatur, vt Cyrum ex hac genitum gratiorem ſibi vnicum hęredẽ inſtituere cogitaret. Iulius archipreſbyter id ęgrè ferens hęreditatis maternæ partem à patre exegit. Lite itaq; inter eos inſtitutâ, diuq; agitatâ, anno M.D.XL. defunctâ vxore, quæ maximam litis cauſam præbuerat, quietioris vitæ ſtudio, poſtquam Cyri nuptias parauerat, ex quo nati Pompeius ſapientiæ ſtudio, & M. Antonius armis in Belgio celebris, vitandæ litis causâ parens Romam redijt. Hìc, vt olim, maximis Viris acceptus inter Muſarum delicias grauem etatem traduxit. Italici Sermonis ſplendorem augere & exornare conatus, cùm omnes artes & diſciplinas rudibus initijs tandem adoleſcere cognoſceret: linguas etiam agreſtes induſtria cultiores reddi; græcas vocales ε & ω ad exactiorem pronunciationem in Etruſcam ſcriptionem inuexit. Eâ, vt nonnullis videbatur, nouitate grammaticorum in ſe cõcitauit gregem. Quo ſpreto inuentionẽ ſuam ſingulari ad Clementem VII. epiſtolâ in publicum editâ expoſuit, ac poſt Dialogo ſub titulo *Caſtellani* defendit. Epiſtolam verò typis repetitam ſuo patrocinio probauit Vincentius Orcadinus. Eam quoq; cauſam ſuſcepit Franciſcus

cus Rugerius ordinis Somaſchorum in ſuâ Trutinâ; quá in Trojani Boccalini rationes ſatis acerbè direxit, licèt negotium ſatis æquum ageret. Præcepta inſuper rectè ſcribendi ac pronuntiandi ſermonem Italicum reliquit. Qua opinione teſtatur Iulius Cæſar Capacius in Elogijs: *Graui ingenio Triſſinus multis ex Dantis Aligheri libris de vulgari eloquentiâ recognitis & explicatis, multiſq; ex Petrarcha traductis, & ex ſuo additis Italæ linguæ fuit adiumento & ornamento.*

Epico Poemate, quod ITALIA LIBERATA inſcribitur, maximâ ingenij felicitate inclaruit, magiſtro Ariſtotele ac Homero duce. Spectátur hìc egregia Imperatoris Iuſtiniani facinora, Beliſsario & Narſete Ducibus fortiſſimis, eâ varietate, vt verè Pintus.

Dum permiſta Ducum prælia concinis,
Adſiſtunt Charites tres ſinu in hoc tuo,
Vatum gloria Triſsine.

Anno M.D.XLVII. vulgatum hoc Imperatori Carolo Quinto inſcripſit, quod Imperatori Cyrus Triſſini filius obtulit. Munus placuiſse indicant literę Epiſcopi Arelatenſis, tunc Imperatori à ſecretis conſilijs. Cæterùm cùm abſentiâ ſuâ liti, quæ tunc Venetijs à filio numeroſâ agnatorum factione adiuto aduerſus ipſum agitabatur, plurimum detrahi agnoſceret; pedes æger lecticâ ſe Venetias Anno M.D.XVIII. deinde Vicétiam confert. Iulij animum indignatus, reuiſo, quod ante ſeptennium Venetijs condiderat, teſtamento, ipſum ab omni iure hæreditatis in poſterum excludit, nouiſq; condicillis Cyrum cum poſteris in bono-

bonorum omnium ſucceſſionem nominat: iiſq; deficienti-Palatium Cricoli cum ſuis reditibus Sereniſs. Ducibus Venetis perpetuâ ſucceſſione legat: reliqua Diui Marci Procuratoribus ſenioribus æquali portione decernit. Sed cùm iam præter votum Georgius cauſâ caderet; Iulius iteratâ iudicum ſententiâ fretus paternas ædes cum ampliſſimo cenſu occupat. Pater nouitate rei motus ſpontaneo veluti exilio à patrio Cœlo, & ab oculis filij ſui, & Ciuium ſuorum conſpectu Romam MDXLIX. ſe ſubduxit. Diſceſſurus indignationis ſuæ indicium hoc epigramma reliquit.

Quæramus terras alio ſub cardine mundi,
Quando mihi eripitur fraude paterna domus:
Et fouet hanc fraudem Venetûm ſententia dura,
Quæ nati in patrem comprobat inſidias:
Quæ natum voluit confectum ætate parentem
Atq; ægrum antiquis pellere limitibus.
Chara domus valeas, dulceſq; valete penates:
Nam miſer ignotos cogor adire Lares.

Sed hæc impatientis potiùs animi offenſâ effudit. Aduerſantis fortunæ tamen exiguum fuit imperium in eum, quem natura ſupra fortunam locauerat. Sequenti namq; anno ſalutis humanæ M.D.L. ætatis ſeptuageſimo ſecundo mortalitatem expleuit. Illatus in tumulum Ioannis Laſcaris in Templo S. Agathæ, quod in Suburrâ eſt. Tanti viri memoria ne patriæ deeſset, poſteri hoc monumentum in æde S. Laurentij Vicentiæ cum effigie poſuerunt.

IOAN.

IOAN· GEORGIO TRISSINO PATRICIO VICENT. POETAE ET ORATORI CELEBERRIMO, TAM NOBILITATE QVAM DOCTRINA ET INTEGRITATE LEONI X. ET CLEM. VII. PONT. MAX. NECNON MAXIMIL. ET CAROLO V. IMPP. ALIISQ. PRINCIPIBVS ACCEPTISSIMO, LEGATIONIBVS PRO CHRISTIANA REP. TEMPORIBVS DIFFICILIMIS FELICI CVM EXITV APVD EOSDEM PERACTIS, DACIAE INDE REGI DESTINATO, IN CORONATIONE CAROLI IMP. AD SACRAE PALLAE PONTIFICIAE NITENTIS FERENDI SYRMATIS MVNVS, INSIGNIORIBVS PRINCIPIBVS AD HOC IPSVM ASPIRANTIBVS POSTHABITIS, BONONIAE ELECTO, AVREI VELLERIS INSIGNIBVS ET COMITIS DIGNITATE PRO SE ET POSTERIS AB EISDEM IMPP. DECORATO, APVD SER. REMP. VENETAM SAEPIVS LEGATI NOMINE DE CLODIANIS SALINIS, DE VERONAE RESTITVTIONE, DE PACE, DEQ. ALIIS NEGOTIIS GRAVIBVS RE AD VOTVM TRANSACTA· SVBLIMIORI GRADV SOBOLIS ERGO RECVSATO, OPERIBVS PLVRIMIS CVM ANTIQVITATE CERTANTIBVS ELVCVBRATIS, REBVS SVIS ET POSTERIS EIDEM INCLYTAE REIP. VEN. EX TESTAMENTO COMMENDATIS, VITAQ. RELIGIOSISS. FVNCTO. AN. AETATIS SVAE LXXII. VIRGINEI VERO PARTVS M.D.L. POMPEIVS CYRI COMITIS ET EQV. FIL. VNICVS SVPERSTES NEPOS ET HAERES AFFINESQ. TANTI ANTECESSORIS MEMORES

PII GRATIQ. ANIMI.

M. PP.

AN. SALV. M.DC.XV.

D. O. M.

DIVISQ. LAVRENTIO MARTYRI
AC SERAPHICO FRANCISCO
SERRANVS PAVLI V. PONT. MAX.
A DAPIBVS, ET INTIMO CVBICVLO,
SCIPIO PROTONOTARIVS APOSTOLICVS,
IOANNES HIEROSOL. MILES ET COMMEND.
OCTAVIVS, ET IVSTINVS ALOYSII FILII,
ACHILLES ACHILLIS SERENAEQ.
POLIANAE FILIVS AC PETRI FRANC.
I.C. COMITIS, ET EQVITIS NEPOS,
POMPEIVS CYRI COM. ET EQ. FILIVS,
OMNES EX FAMILIA TRISSINA,
ALTARIS HVIVS PATRONI
IDIPSVM VETVSTATE EXESVM
INAVRAMENTIS INSTRVCTVM
DIVINISQ. INDVLTIS INSIGNE
REDDERE CVRARVNT
REDEMPTIONIS SECVLO
M.DC.XV.

Iconis

Iconis hìc exhibitæ autographum à manu Ioan: Bellini celeberrimi Pictoris aſſeruatur apud Comites Theodorum & Ioannem fratres Triſſinos, Pompeij filios, & tanti Viri hæredes, nunc ſuperſtites. Suſtinent antiquum familiæ ſplendorem Viri Clariſs. inter quos Hieronymus vtriuſq; ſignaturæ Referendarius, olim Rauennæ & Briſeghellæ præfectus, & Siluius ejus frater, Eccleſiæ Cathredralis Vicentiæ Archidiaconus, virtutum ſplendore ac ingenio ad patriæ gloriam natus: Comes Ferdinandus inter Vrbis Decuriones primus: & Comes Achilles magnanimitate & diuitiis non minùs, quàm virtutibus Equite dignis conſpicuus: Victoria item vnica Comitis Ludouici filia, Illuſtriſs. & Excell. Io: Iuſtiniani apud Inuictiſs. Ferdinandum III. Imperatorem Legati coniux. Familiæ Hiſtoriam vulgauit Paulus Benius Artis Oratoriæ profeſſor Patauinus.

Typis leguntur Etruſco idiomate.

Li Ritratti delle Belle Donne de' ſuoi tempi, Dialogo.
Grammatica della Lingua Italiana.
La Poeſia in ſei diuiſioni.
La Sofonisba, Tragedia.
Il Beliſario, ouero Italia Liberata da' Gothi.
Li Simillimi, Comedia.
La Retorica.
Correttione della Tragedia Roſmonda.
Vn Volume di Sonetti e Canzoni.

Diuerſe Orationi.

Lettera à Clemente VII. delle Lettere da lui aggiunte all'Alfabeto Italiano.

Apud Comites Triſſinos ipſius hæredes aſſeruantur.

La morte di Batto, carmine heroico. Quod opus etiam in Bibliothecâ Ambroſianâ reperitur.

La Baſe del Chriſtiano.

La Colonna della Republica.

Il Capitello della Vita humana.

Il Fronteſpiccio della Vita humana.

Vn volume di Compoſitioni in verſo greche, latine, & volgari.

LVDOVICVS COELIVS RHODIGINVS.

GEnte Richeriâ, nobili quidem, ſed tenuioris tunc fortunæ, Rhodigij patre Siiueſtro natus Anno M. CCCC. L. tantâ ingenij felicitate inclaruit; vt nemo humanioribus literis paulò inſtructior ſit, cui ille vel ſolo patrio nomine non innotuerit. & quidem, ſi verum fateri volumus, ipſe primus patriam & ciues virtute ſuâ illuſtrare contendit. Quod Libri XI. præloquio profitetur: *non deſino pro virili vtroſque propagare in æuum; vt jam hinc cuncto terrarum orbi, quà modò Romanæ linguæ ſonus pertingat, palam fecerimus, eſſe in rerum naturâ Rhodigium, quod ad hanc diem (nec dici tamen arroganter velim) cimmeriis obuolutum tenebris la-*



LVDOVICVS COELIVS
RICHERIVS RHODIGINVS.

tuerat penitus. Iuuenis in florentiſſimo Ferrarienſi Gymnaſio poſtquam literis mitioribus operam dediſset, & Nicolao Leoniceno Medico celebri, latinæ Græcæq; linguæ peritiſſimo, doctore Philoſophiam Moralem accuratè didiciſset; Veterũ ſcriptis peruoluendis totum ſe dedit: ſuſceptamq; prouinciã longè lateq; diffuſam ſuopte marte magnoq; poſteritatis commodo in breuiorem concinnioremq; formam redegit: dum intermiſsam aliquot ſeculis commentandi rationem, quam Gellius operis ſui capite poſtremo attigit, in vſum reuocauit. Egregij hujus conatûs exilia quidem fuere initia; ſed quæ fauente fortunâ & bono euentu vberrimè creuerunt. Etenim poſtquã in patriâ prima ingenij ſpecimina dediſset erudiendę juuentuti; laudabili doctrinæ famâ Vicentiam accitus, ibidem artem Oratoriam publicè docuit, ciuiumq; precibus M. Tullij Orationem pro Milone, Homerum, ac Plinium vniuerſum explanauit. Hinc Io: Gerardus Voſsius affirmat, ipſum egregiè meritum fuiſse de Hiſtoriâ Plinij naturali, eiq; præterita multa addidiſse, illuſtrâſse, atq; emendâſse: quæ omnia limæ & meliori otio ac ætati ſeruata neſcio quo fato perierunt. Conqueritur Cl. Balthaſsar Bonifacius eruditiſſimâ ad Carol. Auantiũ Epiſtolâ, *archetypos eius commentarios* ἄσοφον *quendam Principem, cui Cœlius perquã familiaris erat, arripuiſſe: ejuſq; aut nimiâ curâ aut neglectu ita euanuiſſe; vt nuſquam deinceps videantur apparituri: magno ſanè ſtudioſorum incommodo, & ingenti non tam literariæ rei, quàm ipſius rerum naturæ clade.* Hìc aliquandiu commoratus poſt quotidianas exercitationes, vt moris,

plu-

plurimus inter eruditos erat de manſuetioribus muſis ſermo. cùmq; ciues ſummopere delectarentur carminibus, Poëticam item docuit. Varias etiam de rebus naturalibus opiniones in medium protulit. Hinc multorum ſibi animos conciliauit, inter quos pręcipuè Bartholomeus Paiellus Eques, cui etiam Lib. vi. ſuarum Antiquarum Lectionum inſcripſit. Sed cùm ad majora aſpiraret ſublime ingenium, quod puluere ſcholaſtico diu latere iniquum erat, patriæ redditus cùm à ſuis acerbiùs tractaretur, meliori fortunæ locum dedit iniuria. Ferrariam nempe reuerſus, amicorum præſidio ibi ſedem fixit, ab Alphonſo I. Duce ad Oratoriæ facultatis cathedram delectus. Creſcente famâ, quam eximiâ literarum peritiâ ſibi parauerat, cùm Nepotes hinc etiam aliquid emolumenti quærerent, acceptę olim injurię memor acri ſatis reſpōdit Epiſtolâ: cuius auctographum ſeruat V: Cl: Germanicus Naſellus I. C. Rhodiginus.

Ingenuo Adoleſcenti Camillo Richerio
Nepoti.

Accepi literulas abs te aliquot. Cupis ad me rurſum venire. cupis eum locum, quem habuiſti priùs. Sed cupis quod fieri non poteſt. Tua pertinacia & ceruix duriſsima iter intercluſit. An, obſecro te, es oblitus, quo te pacto mecum geſſeris, cùm eſſem in domo veſtrâ? non fui tibi patruus tunc, ſed vilis beſtia: non præceptor, ſed ſterquilinium. Scio quid dicturus ſis: peccaui, fateor. Sed heus bone fili: tibi

for-

forſam ignoſci poteſt illis nō poteſt, qui te armârunt aduerſum me: qui tibi conſulebant, me cōtemneres aut ſaltem contemnere ſimulares. Ad eos accede, te illi juuent, te doceant, ſubminiſtrent neceſſaria. Nihil ab eo expectandum eſt, quem in diſceſſu nec videre quidem voluiſti. Non ſum futurus, qui fui antea, nec tibi, nec aliis. Si ſum immitis; tibi hoc imputes. Susceperam te in filium, ſummâ amplexabar curâ, dabam operam fieres vir præclarus, fueram tibi omnia mea relicturus: pauca fortaſsis; verùm ſudoribus meis cōparata. Pro his omnibus ſum à te ſpretus: atq; ita ſpretus; vt nec alloquio dignum me cenſueris. Scio, ſimulabas: ita enim optimus te magiſter edocuerat. At quod ſtultè ſimulâſti, patieris ex vero: diſceſq; magno malo pertinaciam deponere. Nec iſta ſcribo, quia tuâ læter ignominiâ: nam dolenter mihi contingunt hæc omnia; ſed vt reſipiſcas, & deniq; cogitare incipias, quid nunc ſis, & quid futurus eras, ſi ſciuiſſes vti fortunâ. Habes Epiſtolam à me diu efflagitatam: ſed non qualem forſam volebas. patienter feras. Ita voluiſti: vel potiùs ita voluere, qui ex domo veſtrâ me crudeliter expulere. Non ſum plura dicturus, ne indignatione cōcitatum ſcribere arbitreris. Tantùm dico: de cætero meliùs te geras cum aliis. Vale ac viue felix. Salutem dicito meis verbis & patri & matri. Iterum Vale.

Hujus porrò magnanimi Ducis liberalitate cùm Carolo VIII. Regi Chriſtianiſſimo, non minùs literis quàm armis inclito innotuiſset, Gallias peragrauit, vt ad inſitum ingenij impetum optimorum Auctorum lectioni incumberet. Obſitas longo ſitu ibidem Bibliothecas excuſsit, va-

variaq; ſibi aduerſaria confecit : quæ iuſto & amplo opere diuerſâ eruditione referto ſummâ laboris ac ingenij laude poſteritati reliquit. Laudabile inſtitutum iuuit Vir illuſtris Ioannes Grolierius, Regi à ſecretis, & Inſubriæ quæſtor: cujus auſpicijs in Italiam reuocatus, Mediolani regante Ludouico XII. Galliarum Rege magno honorario latinas græcaſq; literas publicè docuit, Regi nō ſolùm ob variam hiſtoriæ notitiam, ſed rerum etiam ciuilium cognitionem gratiſſimus. Caroli quoq; Auſtriaci, qui poſtea Imperator hujus nominis V. electus eſt, beneuolentiam promeruiſſe, teſtatur Andreas Nicolius Rhodiginæ Hiſtoriæ ſcriptor. Mutatâ rerum Italicarum facie cùm vndiq; ejus literarum fama innotuiſſet, Venetus Senatus, qui omnem curam adhibebat ornando & augendo Gymnaſio Patauino clariſſimis Viris, ipſum inter hos non poſtremum cenſuit: vbi reliquum vitæ cæpto ſtudiorum curſu decorè peregit. Hìc ille ſua *Lectionum Antiquarum Commentaria* inter armorum ſtrepitus ſecurè meditabatur, in foro lignario propè D. Marci habitans: vbi Maximiliani Imperatoris Patauium obſidentis armorum impetus, ac bellicorum fulminum fragores audiuiſſe ſe memorat: eo nempe tempore, quo omnes Europæ Principes aduerſus Sereniſsimā Remp. Venetam Anno M.D.IX. conſpirauerant. Mirari profectò ſubit, cur Antonius Riccobonus ciuem ſuum inter alios Gymnaſij Patauini Profeſsores omiſerit. Plures ſuæ doctrinæ alumnos reliquit: inter quos facilè palmam tulit Iulius Cæſar Scaliger : qui tamen tunc temporis in Principem nondum euaſerat; ſed

vero & proprio nomine IVLIVS BORDONIVS PATAVINVS appellabatur. Quod non ſemel ex parente ſuo, qui ejus condiſcipulus fuerat, audiuiſse, nobis affirmauit ſpectatæ fidei Vir Io: Marius Auantius, Poëta & I.C. celeberrimus. Is Ludouicum Cœlium præceptorem inter Heroas hoc elogio celebrauit.

Deſcripſit Varro, coram quæ ſæpe videbat:
Aut facilè ex patriis promp ſerat hauſta libris.
Varronem extinctum magni ſit reddere: majus
Illum majorem condere: vtrunq; dedi.

Reliquorum memoriam aboleuit temporum illorum atrocitas: dum infeſtatâ bellis Italiâ omnia ad literarum interitum corruêre. Fortunæ vtiq; debemus, quòd Rhodigini noſtri libri aliquot à ſuis hæredibus vtilitati publicæ fuerint reſeruati. Libros nempe XVI. ſolummodò ipſe Venetijs vulgauit. Qua occaſione ſæpius eò diuertit. Rarum erat eo tempore Philologiæ ſtudium, ac ſoli penè Cœlio familiare: vnde cùm apud Aldum Eraſmus Roterodamus in eum de facie ſibi ignotum incidiſset, habitis vltro citroq; ſermonibus, ille dicendi vbertate atq; elegantiâ nō vſq; obuiâ Cœlium Rhodiginum ſibi adeſse ſummâ hilaritate agnouit. Neq; enim ſic grammaticis aut inferioribus literis deditus fuit; vt non optimos auctores, hiſtoricoſq; volviſset, eoſq; non minùs græcos, quàm latinos. Philoſophis inſuper ſe tradidit: atq; inter eos Platonis adeo fuit ſtudioſus; vt ferè omnia ejus axiomata, fideli memoriâ repoſita, pro re natâ ſummâ cum maieſtate ſuis miſceret. Factum Beſſarionis Cardinalis exemplo excuſat Antiq:

tiq; Lect: lib. XVI. cap. LXV. Pari ſtudio Ariſtotelẽ coluit, cujus libros Rhetoricos & Politicos publicè ac priuatim explicauit. Academicos etiam ſectatus, Scoticos non neglexit; è quibus in ſuos libros non obuia omnibus congeſſit. Epicuro etiam, quem grauiſſimum Phyſicum appellauit, delectatus. Ciceronem tandem veluti eloquentiæ patrem præ manibus ſemper habuit. Poëtæ quoq; omnes in delitijs ipſi fuerunt: nec paucos eorum commentarijs explanare cæpit. Inter quos Ouidij Metamorphoſim vniuerſam dilucidâſſe à fide dignis accepimus. Heroidum Epiſtolas, quas juuenis marginalibus notis illuſtrauit, ipſius manu ſcriptas in Muſeo ſuo Patauij ſeruat Carolus Auantius, Patricius Rhodiginus, Philoſophus & Medicus inſignis. Medicos etiam magnâ ſedulitate non modò inſpexerat; ſed neceſſitudinem quoq; inierat cum ijs, qui ſuâ ætate ſummi cenſebantur. Floruere tunc Nicolaus Genua Patauinus, Hieronymus Florentiola in Gymnaſio Bononienſi profeſſor, Hieronymus Rubeus Patauinus, alijq; plures. Quanti verò Theologos fecerit, teſtatur operis liber XV. Lucæ Leonio Veneto Theologo Ordinis minorum dicatus. Viris omnibus ſacris gratus. vnde ipſe: *Ego vtiq; is ſum, cui vel maximè religionibus addicti diuiniore quodam nutu viri, ductu eodem pergrati perpetuò fuerint: vt quos in meditullio diuinitatis & hominum interlocatos, ac proinde auguſtiùs ſuſpiciendos, veluti ſacros planè animaduerterim.*

His dotibus plurimos Italiæ cl. Viros ſibi deuinxerat, atq; inter eos Cœlium Calcaginum Ferrarienſem, Ioan:

Mariam Guidonem Equitem doctiſſimum, Marcum Muſurum Cretenſem, alioſq; famâ illuſtres. Suæ verò patriæ ciues charos habuit Ioan: Mariam Mattarellum Rhodiginum, Epiſcopum, Franciſcum Pilumnum Iuris Põtificij ſcientiſſimum, Antonium Silueſtrum, Antoniũ Fulginam Oratorem, Andream Caſilinum Medicum, Zachariam Iuriſconſultum, in gymnaſio Romano profeſsorem, quos in ſuis operibus paſſim celebrat. Animi fuiſse acrioris indicat facies, præſertim in Zoilos, de quibus creberrimè conqueritur. Ab omni verò adulatione quàm fuerit alienus, ad Petrum Antonium Silueſtrum compatrem ſuum fatetur liberè: *Non is ſum, qui adulari ſciam, nec ſi ſciam, maximè velim.* Linguæ placuit libertas, laboris tolerantia, in aduerſâ fortunâ conſtantia, egregius robuſti corporis cultus: & in ſuggeſtu præſertim ſpleudidiori ſemper habitu apparuit. Plura ſcripſit, & præſertim legimus *Antiquarum Lectionum Lib.* XVI. quos Aldo deſtinatos, Andreas Aſulanus defuncti ſocer publicauit: eoſq; viuo adhuc auctore Frobenius Baſileæ An. M. D. XVII. Reliquos XIV. Camillus nepos, & Io: Maria Gorettus addidere: omneſq; ſimul junctos viginti poſt Auctoris exceſsum annis, mutato nonnihil priorum ordine, ejuſdem Frobenii typis euulgârunt. Opus pereruditum; *quo*, vt verè Voſſius, *abſtruſa vtriuſq; linguæ vocabula enucleantur: in præſtantiſsimis quibuſq; ſcriptoribus loca obſcura explicantur, corrupta caſtigantur: adhæc hiſtoriæ reconditæ & ritus veteres enarrantur; ex internâ deniq; Philoſophiâ, potiſſimùm è Platonicorum penu, arcana multa promuntur. Itaq; ſæpenume-*

numero, ſubdit ille, *miror, imò indignor, non magis hodie in manibus eſſe juuentutis tanti Viri labores, profectò auro contra non caros. Quippe & philologiæ ſtudioſus, & amator hiſtoriæ, & philoſophiæ ſectator hauriet inde, quòd juxta proſit, ac delectet.* Quòd verò rancidum ejus dicendi genus rephrehendit Iouius, acerbiùs factum, quàm poſtulabat, ejus judicium. Cœlij quippe vnicus ſcopus fuit intimiorem Veterum ſapientiam prodere, & abſtruſos Auctorum ſenſus eruere, non verborum lenociniis auram captare: nec adeo culta fuit, qua vixit, latini ſermonis ætas, in quam poſtea bonâ ſuâ fortunâ Iouius incidit. Cōdidit & *Maximiliani Hiſtoriam*. Quo fortaſſis nomine Voſſius eum inter Hiſtoricos reponit: niſi forſitan ſit breuis illa narratio lib. III. hoc titulo. *Hiſtoria iucunda belli in Venetos geſti qua tempeſtate nobis iſta elucubrantur*.

Vitam vſq; ad Annum M. D. XX. duxit, quo Patauij mortalitatem exuit. In patriā tranſlatæ ejus exuviæ in clauſtro S. Franciſci cōquieſcunt. Ejus ſepulcrū cùm poſtmodum Germanus quidā ſine honore deprehendiſſet, veluti indignabundus, & ciuibus ignominiam exprobaturus, extracto pugione, ſtrato lateritio inſcripſit.

HIC IACET TANTVS VIR

Cujus rei famâ, tamquam ingenuo pudore excitatus Io: Bonifacius I. C. Aſseſſor, & Hiſtoricus clariſſimus Ciui ſuo ſtatuam hac inſcriptione erexit.

LVDO-

LVDOVICO COELIO RHODIGINO.
VT CVIVS ANIMI PRAECLARA MONIMENTA
VBIQVE MORTALES SVSPICIVNT.
ILLIVS ETIAM GRATVM CORPORIS MONVMENTVM
IN PATRIA CONSPICIANT.
IOANNES BONIFACIVS I.V.D. SEBASTIANI F.
AERE PROPRIO P.
VIXIT ANNO LXX. OBIIT ANNO M.D.XX.

Beatis Viri manibus officium prolixiùs exſoluit eruditiſſimus Balthaſar Bonifacius Archidiaconus Taruiſinus. Stichidion lib. ix. Epigr. xxv.

Qui Cœlo dimiſſus eras, Cœleſtia rurſum
Temporius multò, quàm cuperemus, adis.
I, felix anima, i. felix, illumq́; reuiſe
Jugiter in terris quem meditata Deum es.
Sis memor, ò, longumq́; vale. Ejus nunc prece ſtabit,
Cujus conſilio Res Rhodigina ſtetit.
At noſtrûm Te nemo poteſt abeunte, valere;
Sed nemo poterit non memor eſſe Tui.
O quantum noſtra, ò quantum Tibi Patria debet,
Auſpiciis toties tam bene recta tuis.

A DVPLICI PATRIA NATVS COGNOMINA BINA,
COELIVS IN COELIS, HIC RHODIGINVS ERIS.

Poſtremum diſtichum tumulo etiam inſcriptum legitur. Effigies deprompta ex tabulâ, quam Vir humaniſſimus Gaſpar Bonifacius, Muſarum delicium, nobis cõmunicauit.

THEO-



THEOPHILVS FOLENGVS MANTVAN.
COGNOMENTO MERLINVS COCCAIVS

THEOPHILVS FOLENGVS.

CIuis Mantuanus familiâ illuſtri, & claris progenitoribus, non ſecus ac Virgilius Poëtarum Principis gloriâ celebris, MERLINI COCCAI cognomento per ora hominum volitat. Ejus nomen, ejuſq; fama nunquam interitura, grauiſsimos & præſtantiſsimos viros in ipſius obſequium trahit. Quibus vt paream, ipſum ab injuriâ obliuionis, quantum res exigit, vindicare æquum duxi.

Feſtiuiſsimus hic Poëta noſter cùm ab ineunte ætate humanioribus literis deditus *P*hiloſophiâ ſub Petro *P*omponatio ſummo *P*hiloſopho Bononiæ didiciſset, exemplo fratris, diuino ſpiritu afflatus à liberiori vitæ genere ad monaſticam vitam repentè tranſijt. Brixiam miſsus in S. Euphemiæ cœnobium, Benedictinis Caſsinenſibus dicatum, datis propoſitæ vitæ experimentis, profeſsionem edidit, ſacriſq; literis de more incubuit. Iuuenis prompto & acri ingenio, memoriâ tenaci, & ad omnia ſcientiarum genera paratiſsimus, cùm naturali quodam inſtinctu ad Muſarum veluti delicias Charitumq; oblectamenta raperetur, intra diuturniores monaſticæ vitæ ſolitudines varia in dies meditatus, primùm etruſco idiomate plurima conſcripſit. Quæ ſæpe lecta & à pluribus probata, partim tamquam illius ſeculi gemmæ in publicum ſunt producta: partim ab eruditis aſseruantur. Verùm tanquam nimis faciliora omnibuſq; obuia ſocij ejus parùm laudârunt, quòd ope-

ram

ram in his perderet. Ita rudes illius ſeculi mores erant. Latinum idioma tunc refloreſcebat: itaq; ſi quid eo publicaret, cunctis nationibus notum gratumq; futurum. His ille motus ad latinas Muſas conuerſus, cùm aſſiduus Virgilij ciuis ſui diuinum opus volueret, eiuſq; miram venuſtatem exprimere conaretur; non defuerunt inuidi, qui ipſum à re nimis difficili deterrerent. At verò cùm ingenio ſuo ita non poſset temperare, vt Muſarum cõſortio planè renunciaret; ruri intra ſolitudines aliquamdiu abditus fœcundiſſimi ingenij venâ opus nouo dicendi lepore, ingentiq; animi feſtiuitate iucundiſſimum condidit: quo amœniſſimo carmine Romanis ac Etruſcis vocibus, interdum ruſticis variato, non neglectâ metri harmoniâ, iocosè aliorum facta perſtringit. Poëma illud tanquam rude & ruſticum MACARONEAM appellauit. *Macarones* .n. Italis bucellæ ſunt ex rudi farinâ, ouis, & caſeo trito, quæ inter menſæ delicias agreſtibus habentur. Nimirum omnia hìc ſalsè, opiparè condita omnia, quibus nemo ſatis exſatiabitur, cognoſcet, qui vel ſemel ea deguſtauerit. Amœniora literarum ſtudia ſi quis deſiderat, nihil hìc deſiderabit: ſi ſeuera, ſub iocoſis amicorum nominibus ea ſic latent; vt nihil calamo exciderit, vnde non aliquid vtile iucundis facetijs inſinuetur. Quanto artificio ſuperbos titulos Heroum taxat! Quos non mores hominum ſub diuerſis tegumẽtis depingit! Quàm bene lentas inertium moras, quàm verè curioſa nimis mortalium ſtudia commemorat! Quæ nõ aduerſus ventri deditos tela ſtringit! Quàm ſeuerè alienæ virtuti inuidentes impetit! Virtutis oblectamenta

quàm diuinè proſequitur! Quàm doctè ſua cuiq; regioni, quæ mirantur naturæ imperiti, reddit! Nulla certè artium documenta prætermiſit. Quin omnium ludorum, argutiarum, & certaminum apparatus, ritus, cæremonias, athletas, arma, currus, balnea, popinas, tabernas miro ordine propoſuit. Sed quid exactiùs, quàm vitia in medium proferre, & ea ſine offenſione mordere? Documento fuit opus ipſum, quod in pago Mantuę vicino tam ingenti omnium applauſu exceptum, vt eo ſibi Auctor nominis immortalitatem conciliauerit. Poſt decennij in Siciliâ moram, vbi Principi Ferranti Gonzagæ gratiſſimus erat: poſt varias etiam fortunæ in floridâ ætate jactationes, tandem in amœniſſimo loco Sáctę Crucis Campeſii prope Baſsanum vitam duxit quietiorem vſq; ad ſenium: vbi die IX. Decembres Anno M. D. XLIV. vltimum diem perſoluit: in æde cœnobij conditus. Monachi monumentum Viri hac inſcriptione cohoneſtârunt.

HIC CINERES
THEOPHILI MONACHI
TANTISPER, DVM REVIVISCAT,
ASSERVANTVR.
IN DOMINO QVIEVIT FELICISSIME
DIE IX. DECEMBRIS ANNO M. D. LIV.

Supra Portam Sepulturæ.

Hoſpes ſiſte gradum, Manes venerare ſolutos,
MERLINI corpus conditur hoc tumulo.

In

In introitu Sepulcri.

Quòd ſi fata Viri, ſortem, patriamq́; requiris,
Saxo hoſce inſcriptos perlege verſiculos.

Paulò inferiùs.

Mantua me genuit: Veneti rapuere: tenet nunc
Campeſium: cecini ludicra, ſacra, ſales.

In ipſo aditu.

Spectatæ pietatis, & incomparabilis doctrinæ viro, THEOPHILO FOLENGO cognomento MERLINO, Monacho Caſsinenſi: qui, vt erat feſtiuiſsimus, cùm ab ineunte ætate lepidiſsimum Macaroneæ opus nouo dicendi genere animi gratiâ edidiſſet; multa item ſeria, atque adeo ſacra cum etruſco, tum latino ſermone elucubrauit: quo exiguo, atque humili diu neglectus iacuit, id monachi aliquatenus, vt cernis, monumentum inſtaurari Viro Doctiſsimo procurârunt. Deceſsit ſtudijs, ſenioque confectus Anno. M.D. XLIIII. V. Idus. Decembris.

Ad dextrum latus Sepulcri in pariete.

Acà Merlin Poëta es ſepultado,
Que en rudo eſtil de acentos muy groſſeros,
A porfia de Maron, y Marte ayrado
Y las quexas cantò de los Vaqueros.

Paulo inferiùs.

Già non inuidia à le fiorite ſponde
D'Arno, di Pò, di Menzo, ò di Meleij
La Brenta; hor che nel grembo ſuo naſconde
Trofei più degni, e fior più vaghi, e lieti.

Multa hic etiam græca carmina legebantur. Quod omne

ne ferè temporis iniuriâ deletum, denuo Anno M. DC. IX. Abbas Angelus Grillus amœniſsimus Poëta reſtaurauit, adjecto Laurentij Pignorij hoc Elogio.

THEOPHILVS FOLENGVS, Patricius Mantuanus, Monachus Benedictinus hic ſitus eſt: qui non modò in ſerijs, ſed & in ludicris pangendis carminibus eâ eminuit tũ meditandi tũ dicendi vi, vt in limine adoleſcentiæ conſtitutus, veteribus quibuſq; in vtroq; genere par, ademerit recentioribus omnibus ſpem omnem ſiue aſſequendi, ſiue proſequendi. Obijt Anno M. D. XLIIII. planè quinquagenarius: cùm in hoc amœniſsimo ſeceſſu justè & religiosè de migratione in veram patriam cogitaret. Angelus Abbas S. Benedicti inter Padum & Larionem, Muſarũ & Artium ingenuarũ amator acerrimus, ne ignobilis paucorũ incuria præſtantem Clariſsimi Vatis memoriam penitus aboleret, Tumulum excultum & celebrem olim, ſed negligentiâ ſuperiorum temporum collapſum, & minùs frequentem, ad virtutem etiam poſterorum acuendam in preſentem faciem ſplendoremq; reſtituit Anno M. DC. IX.

GRAECIA QVID LATIO VIX VNVM OBTENDIS HOMERVM?
VNA DVOS NVMERAT MANTVA MAEONIDAS.

Varia reliquit monumenta, atq; inter cætera *De Partu Virginis Poëma*. Quod Sannazario cùm legendum dediſſet; hoc ipſi argumentum eripuiſse affirmant quidam: ſed hanc ſuſpicionem amouet ipſe in Macaronicis:

Exiet Arcadicus per ſdruzzola metra libellus
Nazari, quo prata, greges, armenta, capellas,
Paſtoreſq; canet, ſiluas, magalia, Nymphas.

Chri-

Chriſteidam poſt hæc cantabit dignus Homeri
Laudibus, ad ſedes nati quem protulit Andes.

Leguntur ejus inſuper.

Macaronicum Opus Poëticum ſub nomine Merlini Coccaï Poëtæ Mantuani: in quo Zanitonella, Baldina, & Moſchea.

Item *Liber Epiſtolarum & Epigrammatum, Italicis vocabulis vbiq; permiſta.*

De Humanitate Chriſti Lib. 1. *etruſco idiomate.*

Chaos, ſiue Dialogus Trium Ætatũ, Tre per vno *inſcriptus.*

De Paſsione Domini verſu hexametro.

Opuſculum aliud verſibus macaronicis: cui Titulus Il Libro della Gatta.

De Tempore libellus, Giano *inſcriptus.*

Cantio carmine Italico, qua deſcribit Monachorum ſui temporis mores: quæ explicit.

Chi vuol prouar de l'inferno il ſupplicio,
Vada ſotto Villan poſto in vfficio.

Extant nonnulla ejuſdem M. Sc. in Bibliothecâ amiciſsimi noſtri Gabrielis Naudæi: aliaq; etiam Papiæ apud D. Ioannem Ebutium Protophyſicum, præſertim.

Satyræ carmine macaronico: quarum Titulus Le Gratticcie, *vt ex literis & alloquiis Patris Conſtantini Cajetani, Abbatis, & Scriptoris celebris accepi.*

Metaphyſica item aduerſus Platonem.

CLAV-



CLAVDIVS EXPILLIVS EQV.
DELPHINAT. CVRIÆ PRÆSES.

CLAVDIVS EXPILLIVS.

HVmanæ vitæ fatalis neceſſitas, & breuis lucis hujus vſura futuræ felicitatis recordatione emollitur, & literarum ſocietate non cogitantibus ſenſim extenditur. Nulla enim mortis fuga: imò verò perſæpe accidit, vt fuga mortis ſit ad mortem fuga. Verè Poëtarum Princeps:

Stat ſua cuiq; dies: breue & irreparabile tempus
Omnibus eſt vitæ: ſed famam extendere factis,
Hoc virtutis opus.

Dies ſtat, nos verò currimus: & dum fugere atq; ſubſiſtere nitimur, ruimus. Amicorum mors quotidie nos terret, & in eorum funere mori nos ac vri ſentimus. Quod enim cum die ortum, raptim ſine intermiſſione in veſperam fertur. Lacrymabilem fati legem experimur quotidie, cùm amicorum parentalia humentibus oculis proſequimur. Quod etſi pro chriſtianâ pietate æquis ferendum animis; nullus tamen non amiſſorum deſiderijs torquetur. Durum mihi ſanè fuit, Illuſtriſs: GASPARDA EXPILLIA, doloris grauitatem ſimulare, quo maximè afficior, dum parentem tuum CLAVDIVM, Conſiſtorij Comitem, Senatûs Gratianopolitani Præſidem, Heroëm Gallicum, Patronum mihi benigniſſimum terris ereptum ad cœlites tranſijſſe, audio. Cujus Viri raras virtutes quamuis

diu

diu mirari maluiſſem, quàm abſentem fruſtra deſiderare; potiùs tamen pietati, quàm irritis animi votis ſatisfaciendum cenſui. Vos, Beati Manes, animi candorem accipite, contenti obſequio: cùm meritis veſtris nulla rei bene geſtæ defutura ſit memoria.

Voronum Oppidum apud Allobroges, Grationopoli diſtans tres leucas, vix alij loco cedit, vel aëris clementiâ, vel ſoli vbertate atq; amœnitate, ſiue I.C. Virorum frequentiâ, CLAVDII EXPILLII Delphinatis patria eſt: vbi Anno reparatæ ſalutis M. D. LXI. Die XXII. Decembris Patre Claudio, & Matre Ioannâ de Richard natalium ſplẽdore clariſſimis ortus, Patrem laudatiſſimâ gentis conſuetudine ab adoleſcentiâ militiæ gloriâ ad varios honores euectum, in ipſo ætatis flore amiſit. Iuuenis quippe primùm Centurio, deinde ſub Iacobo à Sabaudiâ Nemauſiorum Duce Metatoris caſtrorum titulo auctus, poſtea à Carolo IX. ad Pinarolum miſſus egregia corporis & animi documenta edidit; vt inde in expeditionibus aduerſus rebelles ſub Franciſco Borbonio Montis penſerij Duce,& in Delp hinatu pro Rege Caſtrornm Vice præfectus fuerit creatus: toto vitæ decurſu ancipitem martem expertus ſub Chriſtianiſſimus Regibus militauit, donec ob merita præſidio Cabrillani caſtelli præpoſitus,nõ vulgari ſibi nomine cõparato fortiter pro Rege & patriâ dimicans Ætatis Anno XXXVI. Die XXII. Septembris M. D. LXXIV. vltimum diem clauſit,vnico filio ſuperſtitite Annorum XIII.

Adoleſcens hic patre orbatus ſub matris nobiliſsimæ fęminæ tutelâ literarum ſtudijs viuente genitore initiatus,

ob

ob egregiam animi indolem, maternis auſpicijs paternæ virtutis æmulationem non obſcurè oſtendit, animo tamen ab eo diuerſus, quòd Muſis quàm Marti addictior eſſet. Hinc adultior iuſtitię ſacerdos, inſtituti euentum commendaturus, Numiſma vulgauit: cujus vnâ facie Mulier alterâ manu Iuſtitiæ idolum tenebat, alteram intendebat in arma humi ſtrata, hac Epigraphe.

NEC INFERIORA SECVTVS.

Iactis igitur primarum diſciplinarum fundamentis non inani vberioris literaturæ expectatione ad Taurinos mittitur, vt eloquentiam, cui natus videbatur, cum Iuriſprudentiâ coniungeret. Hìc quantopere eruditionem eruditoſq; Viros coluerit, quo conatu in ſcientias incubuerit, qua aſſiduitate publicas Academias, & Iuriſconſultorum domos frequentârit, qua demum viâ peruenerit ad faſtigium immortalitatis; non eſt cur nos ad id explicandum diutius laboremus. Nunc ille Muſarum congreſſu Poëtas peruoluebat, nunc in forenſi & iudiciario puluere, nunc in ampliſſimorum Virorum conſeſſu omnes Collegas Gallos cæteroſq; iuuenes exercitijs, labore, aſſiduitate, vitæ integritate, quam præcipuè oſtendit, longè præcellebat. Morum venuſtati, animiq; candori, & ſtudioſę vitæ acceſſit ſuauitas loquendi, & comitas quædam in amicos ſingularis, memoria inſuper omnium tenaciſſima: cujus beneficio non ſolùm legum verba ad amuſſim tenebat, ſed Gothofredum, Torquati Taſſi Poëma totum recitabat, vt humaniſſimis aliquando literis ipſe mihi ſuggeſſit: quibus Taſſi vitam à me etruſcè ſcriptam cum numiſmate petijt.

Cujus deſiderio nihil promptiùs deferendū cenſui. Taurini poſtquam aliquandiu ſubſtitiſset, ad vberiorem animi cultum de Patauino Gymnaſio ſeriò cogitare cæpit. Quò cùm appuliſset, legum iſtius ſeculi verè Corypheos biennium magno fructu publicè priuatimq; frequentabat. Inter plures tunc famæ celebritate vigebant M. Mantua: cujus ędes cum Viridario ampliſsimum omnibus virtutum veræq; gloriæ ſtudioſis Lyceum præbebant. Ampliſsimus quidem omnibus tunc Pataúij virtutum & ſcientiarū campus patebat; is tamen præcipuè ad legum ſtudio ferebatur, æquiſsimo animo ratus certis ſibi literis immorandum eſſe, crebrò ſecum reuoluens Euripideum illud: *Nihil eſt in ciuitate præſtantius, quàm leges rectè poſitæ. Nam & inferioris homo ſortis, & qui ditior eſt, æquale ius experiuntur. Vincit autem minor maiorem, ſi iuſtam cauſam habeat.*

Summos prætcrea Viros Hieronymum Torniellum, ac Tiberium Decianum varijs officijs proſequebatur. Inter quæ Mantuæ & Deciano defunctis extrema pietatis præbuit. Acerbam Præceptorum orbitatem ſolabatur ſuo aduentu Guidus Pancirolus I. C. clariſſimus, quem Taurini per aliquot annos audiuerat. Iacobum etiam Menochium toto orbe celebrem I. C. ſuis ſtudijs fauentem habuit. Laborum ſeueritatem cùm varietate quadam temperandam cenſeret, non rarò ad Piccolomineum primæ cathedræ Philoſophum, & Zabarellam collegam diuertit. Iaſonem quoq; de Nores Virtutum præcepta tradentem attentiùs auſcultabat. Cæteris Gymnaſij Profeſſoribus Pinellum adiunxit, quem aduenæ omnes mirabantur, incolæ grati

hoſpi-

hoſpitij ornamentum cenſebant. Nec Speronem Speronium, Patauini nominis & gloriæ ijs temporibus literatorum verè Antiſtitem prælerijt: quem, vt ejus vtar verbis, veluti oraculum conſulebat: à quo ſemper doctior, ſemper melior redibat: multa cum eo de verâ Iulij Cæſaris Scaligeri Patriâ, de Poëſi Ronſardi conferebat. Luculentiſſimas neceſſitudinis noſtrę initia ſtabilientes horum omnium teſtes ſubdere placuit ipſius literas.

Doctiſsime & admodum Reuerende Domine.

Dum munera Regis Chriſtianiſsimi non indecora eis Alpes me detinent, ſi quid otij poſt publica negotia ſupereſt, id libris humanioribus voluendis quandoque impendo: inter quos tua Virorum Illuſtrium Elogia *percurri, tam eleganti lepôre & ſtylo exarata; vt repentè non paruo deſiderio captus fuerim in amicitiam tuam veniendi. Nam virtus hoc ſibi vindicat proprium, vt etiam incognitos ad propiorem neceſſitudinem inuitet: quod mirè concupiſco. Si igitur eadem tibi mens eſt, vtamur commercio litterarum; vt quandiu hìc morabor meas à curſoribus accipias, & ego tuas. Hodie incipio, occaſionem nactus Reu: Patris Joannis Caſardi ordinis Fratrum Reformatorum Sancti Franciſci, qui tibi certò hanc primam redditurum promiſit. Modò à te peto: vbi nam Torquati Taſsi Vita, quam à te italicè conſcriptã commemoras, reperiri poterit. nuſquam enim, quod ſciam, apparet. Hujus Auctoris ſcripta ita me juvenem deuinxerunt; vt olim totum Gofredũ memoriâ tenuerim, nec vnquam ab*

ejus lectione ſatiatus receſſerim. Vlteriùs pergo: cùm Pataui juri operam darem An. M. D. LXXXI & LXXXII, familiaritate Speroni Speronii vſus ſum. Eum tanquam oraculum adibam: ipſe me benignè excipiebat, docebat. Quædam de Iulij Cæſaris Scaligeri origine ac gente, quæ Scioppius neſcijt, ſaltem non ſcripſit: plura de Torquati Taſſi adoleſcentiâ, ſtudio, & fortunis: item de Bernardi Patris ærumnis narrabat: imò etiam aliquoties de rebus ſuis domeſticis ſatis priuatè apud me conquerebatur. Jam eo tempore vox, viſus, & auditus paulatim eum deficiebat: non item judicium, nec rerum, quas à juventute didicerat, vſus. Memini me certâ die eum interpellâſſe, quid nam de Poëtis noſtris ſentiret: reſpondiſſe, nullius poëmata vidiſſe, eo quòd Clementem Marotum, inter eos primas tenentem, floccipendebat. Oſtendi Odas nobiliſſimi Poëtæ Petri Ronſardi, quas penes me habebam: quibus ſedulò intra hebdomadam perlectis, miratus dotes eximias, & tot floſculos in eo opere germinãtes, Elegiam verſu ſoluto in ejus laudem compoſuit: cujus initij verba hæc ſunt.

Leggo ſpeſſo tra me tacito e ſolo,
Dotto Ronſard, le voſtre Ode honorate.

Antequam opus peregiſſet, patriam repetii: quo factum eſt, vt ad Ronſardum ipſe ferre non valuerim; ſed clariſſ: Ioann: Vincentius Pinellus eam cum Speronii Epiſtolâ, in qua de me mentio, Cardinali Rambollieto commiſit. Neſcio vtrum hæc apud ejus familiares, aut alibi reperiatur. Si quid nouiſti, me certiorem facias, rogo. Addo: cuperem numiſmata ærea aut plumbea tantorum Virorum & Ludouici

Ario-

Arioſti inter plura, quæ domi aſſeruo, miſcere. Sed hoc futurum non ſpero; ni Tu pro tuâ humanitate indicaueris, quibus mediis inuenire poſſim. Ne tibi moleſta iſta mea petitio, ſed vt eam non tanquam à recenti amico, ſed ab intimo accipias, à te valde contendo. Sic, ſi me non nôſti, animum cernis. Vale, & me, ſi placet, in amicorum albo inſcribe.

Taurini VII. Iulij. M. DC. XXXIV.

CLAVDIVS EXPILLIVS.

Atq; hæ ipſi fuerunt Patauij deliciæ: quamuis nec Vrbi deeſſet, quo aduenam detinere poſſet, ſitus amœnior, mira aëris clementia, varia annonæ vbertas, clariſſimæ Vrbis Venetæ vicinitas, exterorum ex omnibus orbis partibus frequentia. Hìc poſtquam biennium integrum commoratus fuiſſet, à ſuis reuocatus Anno M. D. LXXXIII. Italiâ curioſis oculis perluſtratâ, literis & prudentiâ auctior in patriam redijt. Materno hìc amplexu ſuauiter exceptus, ut ſuſceptos ſtudiorum labores ad ſperatam metam perduceret, peritiæ indicium poſtulaturus Lutetiam conceſſit: vbi cùm aliquandiu moram traxiſſet, Bituriges profectus ab Inſigni Iuris Antiſtite Iacobo Cuiacio doctoratûs inſignia ſuſcepit; vt meritò tanti præceptoris manu tam inſignis Iuriſprudentiæ aſſecla exornaretur. Ingenij promptitudinem in Iuuene miratus Vir maximus, honoribus meritiſſimis hoc addidit encomium, *nouum hinc natum Galliæ ornamentum*. Exacto ita ſtudiorum curriculo, indefeſſâ lectionis aſsiduitate per omne auctorum genus circumuolitans, veri Iuris germanæq; juſtitiæ ſolidam & expreſſam imaginem tenere geſtiebat: frequenter ſecum reputans

Ser-

Serbolij Scæuolæ, qui tum Iuriſprudentiæ tum M. Antonij Imp. amicitiâ celebris pronunciabat; *Ius Ciuile vigilantibus ſcriptum eſſe, non dormitantibus*. Nec ſanè conatus deſtituit naturæ facilitas. Memoria nempe ipſi adeo fœcunda contigerat, vt quicquid extempore audiuerat, id repentè recitare, & in commentaria ſua redigere poſſet. Cùmq; viuido eſſet ingenio & rebus agendis apto, in Curiâ Delphinatenſi ſe ſe cauſis forenſibus addixit: quam prouinciam ſingulari eloquentiâ ac prudentiâ nulli ſecundus in Clientum tutelam XII. annos laborioſè & ſincerè ſuſtinuit. Nimirum orationem ſtruxit ita vndiq; perfectã; vt in eâ neq; Cato grauitatem, nec Lælius lenitatem, nec Gracchus impetum, nec Cæſar candorem, nec Hortenſius diſtributionem, nec Caluus argutias, nec parſimoniam Salluſtius, nec opulentiam Cicero deſideraret. Prorſus in eâ, ne minima perſequar, ſi Claudium audias, neq; additum quidquam velis, neq; detractum, neq; commutatum. Deciſiones nempe Clientibus patrio ſermone ſcriptas in lucem emiſit, vt amicorum deſiderijs ſatisfaceret. Quæ eo doctorum Virorum applauſu exceptæ fuerunt; vt nõ modò ſummam laudem, nominiſq; immortalitatem Auctori parerent; ſed iterato ſub typo euocarentur, pauciſq; poſt annis tertiâ, quartâ, & quintâ vice in communem vſum producerentur. Qui certè ob exquiſitam doctrinam, doctorum conſenſu firmatam, & dictionis elegantiam ita neceſſarius fuit viſus; vt multorum deſiderijs præclara hęc ingenij monumenta in latinum verti ceperint: maximèq; vt Italis ſatisfaceret, quos optimo iudicio Iuriſperitos cenſuit,

ſuit,atq; in ſuis meditationibus paſſim celebrauit: præcipuè verò M. Antonij Peregrini ſcripta ciuilis prudentiæ plena diligenter peruoluit: cujus ſententiam tanti fecit; vt ei non rarò ſubſcripſerit. Nec mirum, ſiquidem ipſis aſſiduè veluti lautiſſimis epulis ſublimis animus paſcebatur. Id poſtquam mihi aliquoties per literas ſignificâſset; VITAM PEREGRINI à me concinnatam eo anno, quo fratri PAVLO TOMASINO I.C. magni Viri Neptis connubio traderetur, aliquandiu in ſcrinijs ſeruatam, nullius nomini, quàm Expillij eam rectiùs deberi exiſtimaui. Nec fruſtra: plurimum namq; inde ipſius in me affectûs accedebat, quo omnes amplectebatur literarum amantes, quibus omnem vitam dicauerat. Neq; .n. temporis ita erat prodigus, vt vel tantillum eius ſibi pateretur elabi, quo non aliquid ingenio dignum conderet. Inde ſeueriora ſtudia Muſarum amœniorum blanditijs mitigauit: quarum arctiſſimum vinculum abundè teſtantúr elegantiſsima ejus Poëmata, quæ publicam ſeculi laudem meruerunt.

Porrò ne ſine fructu tam egregiè in foro deſudâſset, poſteritatis memor Anno M.D.XCIII. matrimonium inijt, cum Iſabellâ Bonetoniâ clariſs: muliere: cujus beneficio cùm à curis domeſticis paulò ſolutior eſset, liberalis otij rationem erudito orbi conſtare voluit. Iam per vniuerſum Galliæ Regnum adeo increbuerat Expillij fama, vt non modò Principes multi ipſius operam grauiſsimis in cauſis expeterent; ſed Henricus Quartus Galliarum Rex ſummâ cum ipſius æſtimatione in ſupremâ Fiſci Delphinatis & ærarij præfecturâ Procuratoris Generali officium

ei ad-

ei adſignaret: quod ſummâ fide & vigilantiâ per annos octo ſingulari Regis incremento exercuit. Otij pluſculum à grauioribus cauſarum occupationibus hoc tempore nactus, Poëmata Gallico idiomate elegantiſsimè concinnata vulgauit. Vnde ad ipſum verè elegantiſsimis hendecaſyllabis Scipio Guillettus:

. . . ſub tua iura victor ipſas
Compellis Veneres Cupidineſq;,
Et toto Charitum choros, & ipſum
Delphos deſerere orbis vmbilicum,
Sacri poſthabito liquore fontis,
Cogis, cum grege concinnente, Phœbum.

His ſoluto ſermone inſeruit narrationem Victoriæ, quam ex prælio ad Pont-charrà anno M. D. XCI. commiſſo Franciſcus de Bonne Dux D'eſdiguieres obtinuit: alterius etiam, quam idem Anno M. D. XCIII. ante Salbertrand reportauit. Appendicem etiam Hiſtoriæ Equiti Bayardi attexuit.

Prudentiæ ſuæ tam inſignia jam dederat documenta; vt deuictis Subaudis Anno M. DC. ad Supremum Cambertienſe Conſilium è multis aduocatus eligeretur. Quo munere, dum Sabaudia Galliæ paruit, nouis populis talem ſe præbuit iuri dicundo; vt ipſis gratus eſset, & Regi ſuo ampliſsimè ſatisfaceret. Iuſtitiam namq; clementiâ temperauit, nouum populi obſequium humanitate firmauit, & comitate potiùs quàm rigore retinuit, publicæ vtilitatis vbiq; ſtudioſus, æquâ lance omnia exigens, vt theatrum commune rectè ſuum fecerit locum.

Interea

Interea ad Dominij Regij vindicationem An. M. DC. II. cum nonnullis ex ampliſſimis Curiæ Delphinatenſis Senatoribus delegatur. Moxq; ſuæ fidei ac laboris præmio anno ſequenti à Rege juſtiſſimo rerum arbitro Aduocati Regij munere in Senatu Gratianopolitano liberaliſſimè ornatur. Annos quatuordecim eâ vigilantiâ id geſſit; vt luculento diplomate regiam Henrici Magni liberalitatem denuo expertus fuerit. Quo tempore pariter delectus fuit à Galliæ Conſilio, vt Auenionem ſe transferret: vbi ruptis duobus pontis Auenionenſis iugis ſupra Rhodanum extructi, dum reliquis aquarum impetus ruinam minitaretur, primò reparandæ ruinæ impenſis, deinde extructioni prouideret. Rhodanus quippe Galliarum fertiliſſimus amnis, ex Alpibus ſe rapiens per Lemanum lacum, ſegnemq; deferens Ararim, nec minus ſeipſo torrentem Iſaram & Druentiam admittit: tandem apud Heracleam vno oſtio; & paulò vlteriùs duobus alijs in mare Maſſilioticum euoluitur. Eò cùm acceſſiſſet, vt publicæ commoditati & Regio animo ſatisfaceret, re cum Architectis communicatâ, vicinarum prouinciarum contributiones decreuit, magnâ adhibitâ curâ, ne ſumptus populis augerentur, nève publica opera aut reficiendo aut exornando ex conſtitutis redditibus fruſtra inſumerentur. Ita plurima ciuitatibus & priuatis hominibus commoda benignitate ſuâ non ſolùm hìc, verùm etiam in alijs oneribus obeundis attuliſse fertur. Vix hæc ad finem perducta erant; dum contentione exortâ de finibus inter Galliarum Regem & Sabaudiæ Ducem, ad deſcribendos Delphinatûs & Pedemontij li-

mites mittitur: Qua in re cùm exactiſſimè Regis Chriſtianiſſimi voluntatem cognoſceret, ita communi voto res compoſuit; vt poſitis limitibus pacem item inter hos reſtitueret. Quare à legatione in Galliam reuerſus, regio juſsu & diplomate munitus iterum Auenionem contendit, ibiq; ſummâ populorum felicitate grauiores Nauticorum in Rhodano & Iſarâ vectigalium exactiones vtiliſsimè reformauit. Iam Regis magni Henrici IV. animum ſuâ virtute, & in rebus agendis dexteritate deuinxerat, iamq; ab eo sũmos honores expectabat: cùm violento fato An. M.DC.X. è viuis miſerrimè Rex ſublatus eſt. In Galliæ communi fletu & calamitate hoc ſolatii Expillius habuit, vt Regina Catherina Medicea, & conſiliorum Curia varijs in muneribus ejus operam experiretur. Exacto poſtea triennio peculiari decreto aggregatus fuit D. Mareſchalo de Eſdiguieres, cæteriſq; Clariſs. & Illuſtriſs. Viris, qui ad Edicti Mantuani executionem delecti fuerant. Tandem clamoſi fori iurgia & itinerum incommoda pertæſus, ad ſummam Prçſidis Gratianopolitani dignitatẽ euectus, An. M.DC.XVI. purpuram cum virtutis ſplendore meruit. Loco tam ſublimi cum majeſtate benignitatem ſemper oſtendit. Præbebat enim ſe ad congreſsus ciuium, & alloquia valde facilem: priuatorum ac infimę plebis ſalutationes hilari vultu excipiebat. in deliquentes clementiâ, in omnes ſingulari moderatione vtebatur. Pauperum & viduarum lites quàm celerrimè dirimi iuſsit: ac veluti populari imperio conſtitutus, omnes magiſtratus quouis tempore honorabat: accedentes comiter excipiebat: abeuntes proſequebatur,

batur,

batur: imò perinde ac priuatus omnibus aderat. Ab omni faſtu alienus ſuo arbitrio de publicis rebus nihil, aut perpauca agebat, pleraq; conſiliarijs committens. Sententiam modò primus, modò poſtremus ferebat, ne videretur alijs libertatem adimere. Plerumq; dicere ſolebat, ſe, ſi ſententiam fuiſſet laturus, ita pronunciaturum. Omnibus itaq; gratum ſui regiminis deſiderium reliquit. Anno M.DC.XXII. Alteram Partem ſuorum Carminum vulgauit, Cardinali Armando de Richelieu inſcriptam. Anno M.DC.XXIII. graſſantibus vndiq; in Galliâ ciuilibus bellis, quoſdam de rebellione poſtulauit, qui Montis ademari arci cuniculis inſidiabantur: conuictos capitali ſupplicio affecit, vt regiam auctoritatem juſto ſeueritatis exemplo tueretur. Exortis eodem tempore grauiſſimis difficultatibus propter Auenionenſis territorij limites, Chriſtianiſſimæ Majeſtatis iuſſu cum Eminentiſſimo Cardinali Spadâ Apoſtolico ad Regem Nuntio, viro vndiq; nobilitate & egregijs dotibus præſtantiſſimo, Pariſijs ſummâ dexteritatem rem compoſuit.

Deuictis Rupellentibus, cùm ſe Regis inuictiſſimi Ludouici XIII. clementię Ciuitas cæteriq; hoſtes tradidiſſent, à diuturnâ difficiliq; obſidione ingens cœli grauitas peſtiferum morbum in mortales inuexit. Quo per Gallias ſparſo Expillius ſaluti conſulens rus receſſit, vbi ſolitudinis tædium nouo Muſarum commercio deliniuit. Grati receſsûs monumentum annos natus ſexaginta octo nouum Numiſma, prædiolum repræſentans M.DC.XXIX. vulgauit hac inſcriptione.

DEVS NOBIS HAEC OTIA FECIT.

Sequenti anno fractis à Ludouico XIII. Sabaudis ſupremi Camberienſis Senatûs à Rege ſuo creatus princeps, regijq́;, quòd dicitur, cerarij exarchus: quòd ſub Henrico Magno ciſalpinis gentibus ius magno populi conſenſu dixiſſet, majori nunc æquiſsimi Præſidis laude, maximâq́; Ludouici Iuſti gloriâ munus ſibi creditum ſuſtinuit. Annuam honorum felicitatem turbauit acerbum amatiſsimæ conjugis fatum. Cui poſtquam diuturno animi ſqualore, poſt debita parentalia, ſupremos maritalis affectûs honores exſoluiſset; vitæ per annos XXXVIII. cum ipſâ feliciter & ſuauiter tranſactæ alterum Numiſma, Turturem in ſiccâ arbore exhibens emiſit hoc titulo.

NEC GEMERE CESSABIT.

Vxore amiſsâ Præſes noſter, annorum pondere grauis, potiùs commodo & quieti, quàm itineribus aptus videbatur; nihilomninus Anno M.DC. XXXIII. cùm ſeptuageſimum ſecundum attigiſset annum, Pinerolienſi Iuſtitiæ, ærario, cerarioq́; præficitur: ad Amadæum Sabaudiæ Ducem regendis Pinerolienſis agri finibus delectus arbiter, Regij ſui mandatis obſequentiſsimus Alpium niues calcare non abhorruit. Quibus demum negociorum difficultatibus ſuperatis, poſt biennium Ludouici Regis benignitate reditum in patriam impetrauit. Hìc in arce Pinerolenſi cùm ad ejus manus fortè perueniſsent noſtra CL. VIRORVM ELOGIA Patauij edita, pro ſuo in literis affectu Epiſtolâ beneuolentiæ plenâ vltro amicitiam obtulit. Imò interioris animi pignus, Effigiem ſuam viuís coloribus depictam

cùm

cum Numiſmatibus mihi tranſmiſit: quam eminenti loco Bibliothecæ noſtræ apud alios Clariſsimos Viros locatam ob amici jacturam quotidie non abſq; mœrore conſpicio. Ad ſuos redux, vitæ grauioris incommoda ſuaui loci ſolitudine, librorum amœnitate, ac profundiſsimâ tranquillitate ſuperabat: amicorum congreſsu dulciſsimè recreatus. Vitæ ſuæ amœnitatem his ad me ſepius teſtabatur.

Mi trouo nell'età di anni ſettantaquattro paſſati, mà per beneficio del Cielo ſenza alcuna incommodità, che porta ſeco la vecchiezza. Viuo allegro & contento delle gratie del Cielo, & de beni della fortuna, libero d'ambitione. Hò paſſato i più bei de' miei giorni: e giunto fin quì (me fabula) non hò occaſione, nè anco volontà di portar inuidia à' miei pari, &c.

Granoble 30. di Gennaro 1636.

Affetionatiſs. & interamente
Seruidor
CLAVDIO EXPILLI.

Hac ille felicitate dum perfrueretur, vndiq; literatorum neceſsitudinem auidè perquirebat, vt in multarum rerum notitiam veniret, quibus animum doctrinâ & prudentiâ maturum paſcebatur: eâq; de cauſâ literis ſuâ manu, ijſq; prolixiſsimis, exaratis me frequentiùs dignabatur. Sed parum durabiles humanæ felicitatis vices. Dum enim ille nouam quaſi vitæ rationem init: annis plenus, plenus honoribus, relictâ GASPARDA vnicâ filiâ nobiliſſimâ, & omnium virtutum ornatu lectiſsimâ matronâ, Dominâ de Bryone, &c. ſeptuageſimo quinto ætatis anno,

no , calore naturali ſenſim & ſine ſenſu deficiente , maximâ domûs ſuæ & prouinciarum iacturâ, quod Deo, ſolo, naturæ debuerat, reddidit Anno Salutis M.DC. XXXVI. VIII. Cal. Auguſti. Corpus communi omninm deſiderio in Sacello Ædis D. Claræ Gratianopoli, extructum ipſius iuſsu, repoſitum. Tumulo ænea Expillii effigies hoc titulo eminet.

HEV HOSPES, QVO TAM CITO PROPERAS?
SISTE PAVLVLVM, ET PERLEGE.
CLAVDIVS EXPILLIVS POEPIAE DOMINVS, INTERIORIS CONSISTORII REGII CONSILIARIVS, IN SENATV GRATIANOPOL. PRAESES, HVMANAE SORTIS NON IMMEMOR, VIVENS SACELLVM HOC ET SEPVLCHRVM SVIS AC NOBILIS IZABELLAE BONETONIAE VXORIS CHARISSIMAE, POSTERVMQ. OSSIBVS PARAVIT.
AN. SAL. M.DC.XVII. CONIVGII XXVII. AETATIS LVI.
ABI QVO LVBET HOSPES,
ET QVAM SIS AEVI BREVIS
METIRE QVOD AVDES. NEMO SCIT,
MIHI CREDE, QVANTA NESCIT,
MEMORIA NOSTRA DVRABIT,
SI VITAM MERVIMVS.

Ita cæteris aliquanto vixiſti beatior Expilli, compos voti, quod viuus ex Auſonio Chriſtianæ fidei Poëtâ ſæpius repetebas.

Da, Pater, inuictam contra omnia crimina mentem:
Nil metuam, cupiamue nihil: miracula terræ

Nulla

Nulla putem, ſuprema mihi cùm venerit hora.
Nec timeat mortem bene conſcia vita, nec optet.

Herois eximij iacturam luxerunt diuerſorum Muſæ, quas hìc ſeculo reddimus.

H O S P E S

HIC TE VIRTVS IPSA VEL INVITVM SISTIT.

AENEAM vides CLAVDII EXPILII ſtatuam, quæ aurea eſſe deberet, hominis virtuti ſimillimi, qui per omnes togæ gradus ab ipſis Aduocatorum ſubſellijs ad ſummam Præſidis dignitatem euectus omnia incrementa ſua ſibi debuit: eoque nomine claruit, vt nemò plures, nemo grauiores ætate ſuâ domi foriſque legationes obierit, etiam vt ſeptuagenario major ſupremo Regis apûd Sabaudos Conſilio præfectus, inde regundis Gallicæ ditionis ad Pinarolum finibus Arbiter ab eodem Rege delectus, omnibus documento fuerit, Heroas nunquam ſenio ſubjacere. Vir antiqui moris, qui præter æui ſui genium priuatim alienum exiſtimauit, quicquid publicè ſalutare non eſſet: nec vnquam rectè fecit, vt facere videretur, ſed quòd aliter facere non poſſet: qui denique temporibus noſtris datus eſt, vt haberent, quem priſcis illis hominibus conferrent, futura quem inuiderent: Tandem plenus annis, plenus honoribus, ijs etiam, quos recuſauit, atque rarũ illud virtutis præmium conſequutus, vt viuens in album Virorum illuſtrium referretur; cùm tantum temporis abſque doloris ſenſu decubuiſſet, quantum illi componendæ Chriſtiano ritu animæ opus eſſet, non tam mortem obiit, vir nun-

nunquam moriturus, quàm de vitâ migrauit anno Salutis M.DC.XXXVI. VIII. Kal. Aug. Ætatis LXXV.

DIONYSIVS SALVAGNIVS BOESSIVS, Eques, ſanctioris Conſiſtorij Conſiliarius Amico incomparabili, imò Patri, Viro inclyto, imò Heroi, mœrens, imò moriens hoc pietatis ſuæ monumento parentauit.

VTrâque clarus Pallade EXPILLIVS, Patris
Prognatus inter militares Laureas,
Vixit nociuus hoſtibus, patriæ vtilis:
Confectus æuo, plurimis honoribus
Geſtis, obiuit: defuere filij,
Sed Virgo ſupereſt, multiplex item liber
Vorsâ & ſolutâ oratione nobilis.

Carolus Franciſcus Speſsæus, Conſiſtorij Sanctioris Conſiliarius.

D.O.M.

D. O. M.

P. M.

Illuſtriſs. viri CLAVD. EXPILLII, in Senatu Gratianop. Præſidis.

QVid ſtas Spectator? ſuam impleuit ſcenam
CLAVDIVS EXPILLIVS,
Si mundus theatrum ſit, ſi vita fabula.
Sed tuam agere ab eo diſce perſonam.
Huic Voronum cunas, mammas amœniores Muſæ,
Iuriſprudentia integerrimæ vitæ normam,
Gallia & Italia nomen & honores dedere,
Gratianopolis verò hunc locum quietis, (buit.
Cui viuens inter publicas curas indulgere nec voluit, nec de-
Ad omnes Curiæ dignitates virtus illi gradus, & pretiũ fuit.
Noſti quàm ſplendidè fulgeret in purpurâ,
Quæ nunquam illi vendita, ſed à Regibus data.
Quas in foro habuit actiones
Lege, & ſcies Gratianopolim Athenas Galliæ fuiſſe.
Cùm ciuiles diſcordiæ furores inciuiles excitâſſent in Frãciâ,
Memor ſe non eſſe minùs Ciuem, quàm Senatorem,
In Pontecarriacâ pugnâ
Non deterius Themidos gladio, quàm librâ vſus,
Docuit ſe pari ſtudio vtramque Mineruam coluiſſe.
Deuictâ Sabaudiâ, ſupremo Cãberienſi Conſilio præpoſitus,

O *Ditio-*

Ditione Gallicâ ſuauiorem non eſſe exteris probauit. (biter,
Inde regĕdis Pinerolienſis agri finibus à Rege ſuo delectus ar-
Quam in hoſtes per Alpium niues viam
Sola LVDOVICI virtus ſibi fecerat,
Octogenarius prope difficilem non inuenit.
Tandem dum Delphinates gratulantur ſibi redditum,
Funeſto domui ſuæ, & Prouinciæ fato ereptus eſt.
Huic debes funeri gemitum, Viator: iactura communis eſt.
Pendo ego quod poſſum lachrymis:
Et ſi non negent oculi tranſitum,
Fundam animam.

Obiit Anno Sal. M.DC. xxxvi. viij. Kal. Aug. Ætatis LXXV.

ANTONIVS BONIEL. Catilhon. Defuncti nepos, in Senatu Gratianop. cauſarum patronus, protectori, & benefactori ſuo hoc ſuæ pietatis & officij monumentum penè exanimis poſuit.

IACO-



IACOBVS MONTECALVVS
BONONIENSIS PHIL. ET MED.

IACOBVS MONTECALVVS.

INter priſcas Italorum familias armorum & literarum gloriâ illuſtres Bononiæ MONTECALVI conſpicui ſunt. Temporum verò longitudo, quæ omnia obſcurat, hujus etiam nobiliſſimæ domûs monumenta ſic attenuauit; vt verus ejus ortus & progreſſus ante Annum M.CC. communi vrbis calamitate ignoretur. Circa hæc .n. tempora Bondus vir magnanimus, & ad publicas res aptiſſimus, inter patricios Bononienſes innotuit: cujus poſteri clariſſimi Gionta & Vbertus, ſeu Vbertinus, familiæ decora ampliârunt: ſed maximè Curſius, qui militiæ præfectus in bello Imolenſi, quod Bononienſes aduerſus Marchionem Ferrarienſem gerebant, pro patriâ ſtrenuè occubuit Anno M.CC.XCVI. Maiorum virtutem longâ ſerie propagatam tandem IACOBVS noſter excepit, Cl. patre Thoma de Flandro circa Annũ M.CCC. ortus: qui familiæ ſplendorem non ſolùm ſuſtinuit, ſed ſuis præclariſſimis dotibus auxit. Iuuenis Philoſophiæ ſtudijs & Medicinæ operatus, ita perſpicacis ingenij acumine in ijs diſciplinis profecit, vt quamuis Italiâ varijs diſcordijs preſſâ bonæ literæ longè ex eâ exularent; ipſe ſolus inter patriæ medicos primus veram medicinæ viam fecerit: quam poſtea in clariſſimis Europę Gymnaſijs, tum voce, tum calamo ex puriſſimis optimorum ſcriptorum fontibus, artiſq; ipſius exercitio ſummâ

nomi-

nominis celebritate ſic excoluit; vt Benedictus Morandus publicâ ad Summum Pontificem Sixtum IV. oratione non veritus fuerit hæc de ipſo præfari. *Habuit Bononia inter alia ſcientiarum ſidera ſtellam præfulgentiſsimam, Jacobum inquam Montecaluum doctorem collegiatum in Archigymnaſio Bononienſi, in alijſque præſtantiſsimis Europæ ſtudijs publicum Philoſophiæ ac Medicinæ profeſſorem: cui præclariſsimo viro, vt in Hiſpaniâ cæteriſq; Europæ ſtudijs accepi præter excellentiſsima ejus ſcripta, tantum fuit in philoſophando acumen ingenij, vt alterum Ariſtotelem, tantaq; medendi peritia, vt alterum diceres Æſculapium.* Et Nicolaus Burtius Parmenſis in ejus Chronicâ, cujus titulus eſt *Bononia illuſtrata* edita M. CCCC. XCIV. *Claruit & Jacobus Montecaluus in medicinâ & Philoſophiâ celebratiſsimus ex hac patriciâ Montecaluorum familiâ.* Prætereo Fr. Leandrum de Albertis Lib. I. Decade I. in ſuâ *Jtaliâ* pag. 335, Philotheum Achillinum, Ioannem Nicolaum, Paſqualem Alidoſium, cæteroſq; Scriptores Bononienſes, qui vno ore omnes ingens patriæ ornamentum deprædicant. Ingenium viri oſtenderunt Commentaria in Auicenna, à Iacobo Fabri plurimùm laudata, quæ typis Herendorum poſtea vulgata fuerunt. Nec tamen literis ſic animum immerſerat, vt rebus gerendis ineptus eſset. Decurionis enim munus eâ prudentiâ geſſit; vt poſtea Sapientis onus ex publico omnium Ciuium voto ſubierit, ac tandem vrbis munitionibus fuerit præfectus. Ita ſenio confectus, cùm Anno M. CCC. LXXIV. vitâ exceſsiſſet, clariſsima ſapientiæ ac fortitudinis exempla reliquit

liquit filio Thomæ ex Luciâ Porretâ: qui patrem æmulatus, in patriâ XII. Viri & Libertatis moderatoris dignitate perfunctus, à Ioanne XXIII. Pontifice Romæ eximiè creuit. Prouentus enim Eccleſiæ Saluſtianæ in diœceſi Imolenſi benignitate Pontificis obtinuit, Prædia duo in Epiſcopatu Ceruiæ, Molendium caſtri Bononienſis, & rebellium bona mobilia & fructus: quibus familiæ ornamenta vſq; ad noſtram ætatem inſigniter extendit. Iacobus enim hujus filius, quem ſuſceperat ex Luciâ Gozzadinâ, poſteros reliquit, quorum gloria magno familiæ incremento & patriæ vtilitate in hunc diem feliciter propagatur. Cui eximium hoc decus acceſſit, quòd affinitate illuſtrium familiarum ſemper floruerit. In patriâ nempe matrimonium cum Pepolis contraxerunt Montecalui, cum Bentiuolis item Bononiæ Dominis, cum Maluetijs, Mareſcotis, Ghiſelerijs, Bianchettis, Gozzadinis, Caſtellis, Orſis, Vizzanis, Angelellis, Paleotis, Fantuccis, Manlis, Bargelinis, Beccadellis, Pariſijs, Foſcherarijs, Piatetis, Bianchis: foris cum Bardis Florentinis, cum Ptolomeis Senenſibus, cum Florentinis & Boccacijs Romanis. Et meritò hæc illis intercedebat cum primoribus conjunctio. Dignitate enim ac potentiâ inter Montecaluos eminuere plurimi Comites, Equites, Vrbis præfecti, Oratores ad Principes. Sed in primis ea fuit ipſorum integritas, vt ab Anno M. CC. LXXI. ad hęc tempora Decurionis & Confalonerij dignitas apud ipſos fuerit.

VIN-


VINCENTIVS MONTECALVVS
BONONIENSIS PHILOS. PROFESSOR

VINCENTIVS MONTECALVVS.

AVitæ laudis non inglorius poſſeſſor VICENTIVS, quem noſtra ætas jure fuit admirata, patre Coſmo & matre Diamante de Federicis Bononiæ Anno M. D. LXXIII. naſcitur. Subtilis ingenij adoleſcens excolendis ingenuis artibus maximèq; contemplationibus naturalibus aptus, Philoſophiæ & Medicinæ operam dedit Ticini, Patauij, & Bononiæ ſub præceptoribus clariſſimis. Bonæ frugis prouentum nequaquam mentitus tantâ contentione in ſtudijs diſputationibuſq; ſe exercuit; vt doctiores ipſi, æqualiſq; iuuentus eum adeo celeriter atq; feliciter profeciſſe mirarentur. Exinde laureâ vtriuſq; diſciplinæ exornatus, ſuggeſtu dignus, Philoſophiam publicis in ſcholis Anno M. DC. III. enarrare cæpit, collegis Cl. Baldo Papazzono, Pendaſio, & Calleſio. Cùmq; jam per plures annos in patriâ docuiſſet, increbeſcente ejus famâ in diuerſa Italiæ Gymnaſia inuitatus, præſertim in Ticinenſem mille ducatorum honorario, & ab Excell. Venetis Moderatoribus ad Lyceum Patauinum, & in Pariſienſem Academiam, quò jam ejus fama pertingerat; ſed patriæ, familiæ, amicorumq; deſiderio oblatas conditiones recuſauit. Vitæ enim genus adamauit quietum, curis ſolutum & litibus, hilariq; in primis & tenerâ ſtudioſorum familiaritate gaudebat: ingenio aperto, liberali, perblando,

cultu

cultu corporis nitido. Diſciplinę ſuę imitatores egregios reliquit Io: Aloyſium Gypſium, Bartholomęũ Maſsam, Dominicum Felinum Philoſophię doctores, & Dominicum Lanam, Comitem Fabium Albergotium, Ouidium Montalbanum publicum Matheſeωs profeſsorem, Rochum Baſsanum, Peregrinum Riueri, Herculem Bettum, Franc: Ceſium, Carolum Emmanuelem Vizzanum in Gymnaſio Patauino ſubtilis ingenij Philoſophum, Auguſtinum Marſilium, Carolum Aloyſium Scappi, Comitem Aloyſium Bentiuoli, Ioannem Furlanum Philoſophum & Medicum, Franciſcum Sauentem Medicinæ profeſſorem, Galeatium Poëtam Philoſophũ, Matthęum Gondum olim publicum Medicinæ profeſsorem, Ludouicum Boneti Philoſophũ & Medicum, Franciſcũ Nadalem publicè profitentes, Horatium Dolci, Franciſcum Claudinum, & alios ferè innumeros ex variis orbis partibus. Munera insuper ciuilia patriæ commodo ſuſcepit varia: & Theologiâ ſummopere delectatus præ manibus ſemper habuit D. Thomam & Caietanum. Cùm annos xxxiv. publicè Ariſtotelis libros explanâſſet, multaq; ad iuuentutis facilitatem, explicando ſubtiliores Philoſophi textus, ſcripſiſset, in amicorũ gratiam Metaphyſicas ſpeculationes de Primis & Secundis Intentionibus vulgauit; in quibus totius Entis tam realis, quàm rationis naturam, prædicationes, paſſioneſq; altiſſimè ſimul ac lucidiſſimè explicauit. De quibus non minùs verè quàm ſplendidè Polycarpus D. Petri Bononiæ pœnitentiarius publicâ fide teſtatus, auctorem mentem Ariſtotelis ita aſsecutum, vt ſi ille auditor eiuſdem

P exti-

extitiſſet, dubium foret, ſi tam luculenter, & diſtinctè germanum ejus ſenſum nobis aperuiſſet. In vniuerſum præterea Ariſt: expoſitionem confecerat. Quorum indicem debemus cl. Nepotibus Honorato Montecaluo Canonicorum Lateranenſium Abbati, Pyrrhi filio, politioris ingenij monumentis conſpicuo, itemq; Ouidio ejus fratri V.I.D. qui pari laude ad honorum faſtigia contendit. Verùm morbus exitialis VINCENTIO hæc eruditæ mentis molimina interuertit. Febri namque abſumptus die xv. Octobris M. DC. XXXVII. in æde D. Martini majoris apud ſuos conditus eſt hoc Elogio.

HIC FELICIVS,
QVAM IN PERIPATO, QVIESCIT
ARISTOTELIS CHRISTIANI GENIVS,
VINCENTIVS MONTECALVVS PHIL. MED. COLLEG.
SENATORIO GENERE CLARVS,
AC SAPIENTIAE FAMA CLARIOR.
QVI PATRII LYCEI COLVMEN,
POSTQVAM INTER SVOS XXXIV. ANNOS DOCVISSET,
DVM NOVA SAPIENTIAE MIRACVLA
POSTERITATI PARARET,
REDDIDIT MATRI MORTALES,
QVAS AB EA ACCEPERAT, EXVVIAS.
ANNO M.DC.XXXVII. AETATIS SVAE LXIV.
HORATIVS MONTECALVVS HAERES
PATRIAE SVAE THALETIS OCCASVM DEFLENS
L. M. P.

Quo non inferior legitur in Scholis in ejus memoriam à ſuis doctrinæ alumnis poſitum. D.O.M.

D. O. M.

VINCENTIO NONTECALVO
PATRICIO BONONIENSI,
PHILOSOPHIAM PVBLICE XXXIV. ANN. PROFESSO,
HOMINVM VENERATIONEM
AVITA NOBILITATE SAPIENTIAEQ. GLORIA EMERITO, PATRIAE NON MINVS PRODIGIOSA CONSVLENDO ERVDITIONE, QVAM DVM AMPLISS. AD PRAECIPVA EVROPAE GYMN. PRAEMIIS INVITATVS, ILLE SE NVMQVAM ERIPI PERMISIT. DVM COLLABENTI PHILOSOPHIAE CONTEXENDIS PRISCA DOCTRINAE GRAVITATE MONVMENTIS, PROMOVENDIS, VRGENDISQ. IVVENVM STVDIIS, VITAM RESTITVIT.
VITA FVNCTO
ARTIST: VNIVERSITAS
CORONATVM HVNC LAPIDEM
SOLIDAE GRATITVDINIS ELOGIVM,
VIVENTIS OLIM MODESTIA RECVSATVM,
AERE PVBLICO
PRIVATO ETIAM ORNANTIBVS
EX EIVSDEM ALVMNIS
PIETATIS AEMVLATIONE PROMPTIORIBVS
ANNO DOM. M.DC. XXXVII.

Ejus Opera edita.

Comment: ſuper libros Priorum, & Poſteriorum.
De Ente Quiditatiuo, & de vltimis differentijs.
De Generatione, & Corruptione.
De Febre putridâ ad mentem Hippocratis, & Galeni.
De Relationibus primis, & ſecundis Intentionibus.

Vulganda ab Hæredibus.

Comment: in Libros Phyſicos, & Metaphyſicos.
Comment: in Libros de Anima.
De Longitudine, & Breuitate Vitæ.
De Juuentute, & Senectute, & Reſpiratione.
De Omnibus partibus principalibus hominis ad mentem Ariſtotelis, & Galeni.
De Cælo, & Mundo.
De Somno, & Vigilia.
De Cauſis.
De Quadraturâ.
Super quartum Meteorom.

ANTONIVS RICCOBONVS.

SEcundo Muſarum fauore Rhodigii naſcitur Anno M.D.XLI. Venetijs & Patauij humanioribus literis ſub Paulo Manucio, Carolo Sigonio, & M. Ant. Mureto, mox Iuriſprudentię operam impendit, eâ cum laude; vt adhuc juuenis in patriam vocatus publico ſtipendio Humanitatis profeſsionem obtinuerit. quam ita diligenter & aſsiduò geſſit; vt bonas literas ibidem poſt Cœlii exceſsum ferè ſepultas in animos ciuium reuocauerit: eaq; bonæ frugis incrementa ſuo tempore protulerit; vt plurimi ex ipſius ſcholâ Viri celeberrimi prodierint. Rogantibus amicis An. M. D. LXVII. cùm publicè oráſset in Iuriſprudentiæ laudem; ingentibus eius meritis ſuffragantibus, omnium calculis inter ciues Rhodiginos, quamuis ipſe humili loco natus eſset, cum totâ familiâ relatus fuit. Scriptioni poſtea deditus anno ſequenti typis vulgauit Cõmentarium de Hiſtoriâ, vnà cum fragmentis M. Porcij Catonis, Q. Claudii Quadrigarii, L. Siſennę, C. Criſpi Saluſtij, & M. Terentij Varronis: quæ ſcholijs etiam illuſtrauit. Hinc peruagante meliorẽ orbem longè latèq; ipſius famâ, cùm M. Antonius Muretus Gallus defuncti Robertelli locum, à Gymnaſij Patauini Moderatoribus oblatum, recuſaſset; ſolus Riccobonus inter cæteros Italiæ eruditos dignus habitus eſt, cui prima Oratoriæ facultatis cathedra

trade-

traderetur: quamuis ipſe humaniores literas jam dimittere ſtatuiſſet: ratus Legum ſtudium ad tenuem familiam ſuam ſubleuandam accommodatius. Sic ille An. M D.LXX. celeberrimum Lyceum ingreſsus Ioannem Phaſeolum Patauinum collegam habuit: quo duobus poſt menſibus fatis ſublato Gymnaſii parietibus hoc diſtichum incerto Auctore inſcriptum fuit.

RICCOBONI *radiis magno & fulgore* PHASELVS
Bulliit: en coctus vermibus eſca datur.

Plura hic in Ariſtotelis Rhetoricam conſcripſit atq; vulgauit: Hiſtoriam inſuper Gymnaſii Patauini cum elencho Doctorum ac rerum memorabilium contexuit. Vir lætus, ſuauis, diſcipulis erudiendis facilis, amicis gratiſſimus, quorum cõuerſatione plurimùm delectabatur: inter quos Alexander Maſſaria Medicinæ profeſsor, & Hieronymus Mercurialis, non ſolùm medendi peritiâ, ſed variâ eruditione clariſſimus: in cujus gratiam ſummam cum Carolo Sigonio controuerſiam ſuſcepit. Nam cùm Franciſcus Vianellus typis vulgâſset Opus de *Conſolatione* ſub *M. T. Ciceronis* nomine, eâ elegantiâ & eloquentiâ, vt plurimi eruditiores Viri non ſine ratione dubij hærerent, Vianelli an Ciceronis ea eſset; Riccobonus, vt Mercuriali ſuam ſententiam aperiret, Epiſtolam hac de re publicauit: cui diuerſi animi Sigonius mox reſpondit: cujus opinionem denuo excuſſit Riccobonus. Inſigni quoq; Viro Gaſpari Schioppio cùm de Laureâ Iulio Bordonio à Doctoribus Patauinis collatâ documenta ſuppeditâſset, eruditos in ſe Belgas concitauit; qui Iulij Scaligeri natales acriùs defenderunt:

derunt : Summi etiam literarum patroni Io: Vincentii Pinelli fauore, ac Pauli Aicardi neceſſitudine in diuerſa veterum monumenta ex ſuo arbitrio penetrauit. Anno autem M.D. LXXXI. cùm Patari Buzzacareni funus elegantiſſimâ oratione celebrâſset, plurimaq; de Vrbis ſplendore appoſitè conmiſcuiſset, tantâ beneuolentiâ ciuium animos ſibi deuinxit; vt nemine renitente Ciuitatis Patauinæ jus impetrauerit. Ea verò fuit omnium ejus eloquentiæ opinio, vt pro Uniuerſitate Philoſophorum, Medicorum, ac Theologorum Sebaſtiano Venerio & Nicolao de Ponte, Ducib: Venetis, de recẽti imperio gratulatus fuerit: ad Aloyſium Mocenicum Ducem pariter pro patriâ Oratoris munus ſubierit cum Bernardino Fornagerio I. C. Sed neq; illud ſilentio prætereundum. cùm recenſenda forent Uniuerſitatis Statuta, hanc Riccobono noſtro prouinciam demandatam fuiſse: & licèt Rectore ob homicidium in exilium acto, tunc negotium intermiſsum fuerit; ne tamen debito laborum præmio fraudaretur, ipſi cõceſsam ab eâdem Uniuerſitate fuiſse immunitatem eorum omnium, quæ ex pecuniis Profeſsorum ſolui conſueuerunt. Senex Patauij vixit ſuâ ſemper ſorte contentus ac lætus, ſed parum firmâ crurum valetudine. cùmq; generoſioribus vinis maximèq; Vicentinis delectaretur, ſenſim contabuit: ac increſcẽte veſicæ calculo, cui obnoxius erat, An. M.D. XCIX. occubuit, cùm Artis Oratoriæ ſedem XXX. annos magnâ cum ſui nominis laude ac publici loci ſplendore ſuſtinuiſſet. Delatus in patriam, vbi in æde S. Franciſci à Ludouico Rogato I.C. Rhodigino ſolenni oratione laudatus, tumulo

mulo conditus eſt, quem ſibi viuens extruxerat hac inſcriptione.

MARIETAE MATRI OPTIMAE,
SIBI, AGNATISQVE
ANTONIVS RICCOBONVS
M.D.XCVI.

Frater poſtmodum in tanti Viri memoriam ſtatuam cum hoc monumento addidit.

TITVLVS HIC ESTO AETERNVS
ANTONII RICCOBONI V.I.C. RHODIGINI.
PATAVII QVI POLITIORES ELOQVENTIAE ARTES PVBLICE ET GLORIOSE PROFESSVS PER ANNOS XXX.
E VITA CESSIT HONORIFICA SEXAGENARIO PROPIOR.
ANNO M.D.XCIX.
P. BARNABAS RICCOBONVS, ABBAS OLIVETANVS
FRATRI LAVDATISSIMO
M.DC.XV.

Ejus in manibus doctorum verſantur.

Orationum tomi duo.
Hiſtoria de Gymnaſio Patauino.
De Vſu Artis Rhetoricæ.
Comment: in Artem Oratoriam Ciceronis.
Compendium Artis Poëticæ.
Comment: de Hiſtoriâ cum fragmentis Veterum Hiſtoricorum, quæ ſcholiis illuſtrauit.
Judicium de Conſolatione editâ ſub nomine Ciceronis, quatuor diſceptationibus explicatum.
Ariſtotelis item Rhetoricam & Ethicam in latinum vertit, & commentariis illuſtrauit.

LVDO-



LVDOVICVS BVCCAFERREVS
PHILOSOPHVS BONONIENSIS

LVDOVICVS BVCCAFERREVS.

..... nullis oblector amicis,
Alloquor hos,
Te primùm LVDOVICE nimis Siderostome lætum,
Quod patrum in numerum eſt juuenis Gonzaga vocatus.
Nec tua Te doctrina tenet, quin protinus illuc
Acceleras.

Sic enim elegantiſſimis Gyraldi verſibus Te, LVDOVICE, in hanc maximorum Virorum claſsem adſcribere juuat: cujus diuinas dotes miratur orbis, felicemq; prædicat Hieronymum Buccaferreum: cui, lectiſſimâ vxore Apolloniâ Nordoliâ Foro-Cornelienſi, gentilio ſplendore clariſſimâ fœminâ, obſtetricante Bononiâ Muſarum matre, tam fœcunda literis contigit proles. Hoc enim loco poſtquam natalem hauſiſti aërem, ita reſplenduit tua indoles; vt jam fandi compos bono euêtu literis fueris præmaturè admotus. Etſi enim harum radix amara, antequam primæ difficultates ſuperentur, fructus tamen ſuauiſſimus eſt, quo animus in rerum contemplationem ſuiq; perfectionem ducitur. Ita cùm primis literis ſolidè imbutus eſſet Ludouicus noſter, ſe totum Philoſophiæ mancipauit. Florebat eâ ætate Bononiæ primi nominis Philoſophus Alexander Achillinus: quem cùm aliquando docentem ſtudiosè audiuiſset, ad medicinam proceſſit: in vtrâq; a. tantùm profecit, vt breui vtriuſq; Lauream meruerit. Publicis jam honoribus decoratus Romam contendit,

dit, vbi aliquandiu in eo Vrbis ſplendore cum magnis viris verſabatur. Poſtea patriæ redditus cathedram Logicæ obtinuit: qua occaſione ingenij ſui præſtantiam doctrinæ monumentis declarauit. Inde ea inualuit de eo omnium ſententia, vt ad Philoſophiæ extraordinariam ſedem proueheretur: quàm eo ſplendore ſuſtinuit, vt ejus famâ à varijs orbis tractibus plurimi auiditate diſcendi Bononiam accederent. Inter eos eminebant Gonzagæ Principes: quibus ita fuit acceptus, vt toto vitæ curriculo eorum fauore plurimum honoris & fortunæ ipſi acceſſerit. Herculi Gõzagæ Cardinali præſertim intimus fuit: cujus exortatione ſacris initiatus, ac Protonotarij Apoſtolici titulo decoratus Eccleſiaſticos prouentus etiam in vrbe Mantuanâ ſuſcepit. quòd forſam Principes ij eo allectamento Virum celeberrimũ in ſuam Vrbem pertrahere cogitarent. Pari etiam affectu eum coluerunt Pyrrhus Gonzaga Cardinalis, & Aloyſius, qui ſuâ ætate ob ſingularem fortitudinem Rodomontis cognomen meruit. Etſi verò in Patriâ à lecturâ extraordinariâ ad ordinariam Philoſophiæ tranſlatus eſſet, ſuadente nihilominus Pyrrho Cardinale Anno M. D. XXII. ipſum Romam ſequitur. Quo tempore cùm Leone X. Summo Pontifice nuper extincto adhuc bonæ literæ in precio eſsent; in vrbis celeberrimæ Gymnaſium magno honorario accitus, quinquennium ſummâ cum laude ex communi omnium applauſu ingenuâ libertate Philoſophiam Peripateticam interpretatus eſt. Memorabile eſt, quod ipſe lectione xxx. in Ariſot. de Senſu, & Senſibili narrat, in Coronatione Sanctiſſimi Do-

mini Clementis VII. *Pont.* coram ipſo à doctis dubitatum fuiſse de mixtione aquæ cum vino in ſacrificio altaris, ſe autem nullam hìc tráſmutationem admiſiſse. Inde namq; creuit in dies apud omnes tanta Viri auctoritas; vt ſumma quæq; ſibi polliceri potuiſset. Sed cùm ſingularis ejus fama iam increbuiſset, in Præceptoris locum vocatus, patriæ in primis amore, occaſionem ſibi de eâ bene merẽdi adeo honorificam elabi noluit. Itaq; Anno M.D. XXVIII. Bononiam redijt, vbi annis decem & ſeptem voce & calamo ſe Philoſophum veritatis amantem oſtendit. Et ſanè quàm vtilem nauaret operam, teſtantur, qui ex ejus ſcholâ prodierunt innumeri omnium nationum Viri celebres: è quibus magis conſpicui nobis innotuerunt. Inter eos primum locum ſibi vendicat Iulius Cæſar Scaliger, qui in Epiſtolâ ad lectorem *Subtilitatibus* præmiſsâ Buccaferreũ præceptorem nominat. Quem & magiſtrum fatentur Franciſcus Piccolomineus, Federicus Pendaſius, Antonius Bernardus Mirandulanus, Caſertæ Epiſcopus, & Mainettus de Mainettis: qui intimus diſcipulus ab eo Lauream etiam Philoſophiæ obtinuit. Hujus Patauij in Bibliothecâ Triuiſanâ videre licuit codicem M.S. hac ſubſcriptione. *Explicit Liber primus Meteorũm cum expoſitione eximij Equitis & Doctoris D. Ludouici Buccaferrei, nobilis Bononienſis, exaratus per Mainettum de Mainettis ſub eo ſcriptitante in almo ſtudio Bononienſi ſub Paulo III. Pont. Max. An. M D. XXXVII.* Hieronymus etiã Oſorius Epiſcopus Siluenſis docto de *Gloriâ* Libro Ludouicũ Buccaferreum omnium Peripateticorum Principem ſtudioſè audiuiſse

ſcri-

ſcribit. Eximio diſcipulorum de eo judicio ſuffragium tulerunt Viri clariſſimi Leander de Albertis, Celſus Mancinius, Franciſcus Bonamicus, Franciſcus Sanſouinus, Thomas Garzonius, Fortunius Licetus, Flaminius Nobilius, Hieronymus Pandulphus, Io: Baptiſta Goyneus, Pompeus Vizzanus, Petrus Meſſia, Angelus Viggianus, Io: Paſqualis Alidoſius, Benedictus Varchi, Iacobus Rainerius, alijq; plures. Hoc vnum mihi reliquorum loco ſat s ſit, Franciſci Zilieti in Epiſtolâ dedicatoriâ ad Conſilia legalia Io: Franciſci Purpurati: *Ludouicum illum omnium ſuæ ætatis Philoſophorum facilè Principem Buccaferrea genuit familia, qui diuinum potiùs quàm humanum præſeferebat. Hujus quanta fuerit doctrina, teſtes celeberrima Bononiæ Gymnaſia, quò ad eum audiendum primo loco Philoſophiam publicè profitentem tanto ac tali honorario, quanto & quali nunquam, nec ante, nec poſt vllus vnquam eſt auditus, ex omnibus totius Orbis partibus ingens ſtudioſorum multitudo confluxit. quandoquidem vix primoribus labiis Philoſophiam attigiſſe judicabatur, qui ſub tanto Buccaferreo non militâſſet. Hoc ejus ſcripta ad memoriam hominum ſempiternam nunquam interitura optimè comprobant.* Egregium ſanè Encomium: cui nihil impar candidiſſimum Bernardini Tomitani noſtri, qui de Linguâ Etruſcâ ad magnum Speronium fatetur, ſe Bononiæ Viros reperiſſe Senatu eo dignos, ac veteri æſtimatione ejus Gymnaſij, atq; inter eos, veluti ſolem inter ſtellas, eminuiſſe Buccaferreum ſublimi famâ, & communi omnium voto illuſtrem. Longum nimis foret ſingulos hìc recenſere doctrinæ Peripa-

teticæ Scriptores, qui vno omnes ore Virum hunc miris laudibus efferunt.

Neque doctrinâ ſolùm alumnos ſuos excoluit, ſed etiam moribus, ac ingenuitate: quæ ſummæ humanitati & prudentiæ iuncta ita eius vitæ rationem exornauerat; vt in exemplum bene viuendi fuerit, multiq; ſolo ejus eloquio, vel vultûs majeſtate in ejus cultum perpetuò allicerentur. Decurrente ad vltimam metam vitâ Platonis de Legibus libros in Epitomen redegit, vt ſenectutis tædio ſolidum aliquod oblectamentum adferret, nunquam à conſuetis laboribus atq; vigilijs quidquam intermittens, quod diſcendi, vel docendi gratiâ exigi videbatur. Ita præclaris ſui ingenij monumentis vniuerſo Orbi notus, Equeſtri præterea honore, & Comitis Palatini dignitate cum cæteris Gymnaſij Bononienſis Doctoribus à CAROLO QVINTO condecoratus, Anno Salutis M. D. XLV. Die III. Maij ſuæ ætatis LXIII. mortalitatem expleuit. Summo honore in Ædem S. Franciſci Bononiæ poſitus à Bartholomæo Camotio V. Gl: frequenti concione laudatus fuit. Statuæ ibidem erectæ monumentum hoc appoſitum.

D. O. M.
LVDOVICO BVCCAFERREO,
BONONIENSI PHILOSOPHO,
QVI VIXIT AN. LXIII.
OBIIT VERO ANNO M.D.XLV.
NONIS MAII.
HAEREDES B. M. F.

Edidit

Edidit.

Commentaria in Lib. 1. Phyſicorum.
Com: in I. & II. de Ortu & Interitu.
Com: in I. II. III. & IIII. Meteorûm.
Com: in Tres Libros de Animâ.
Com: in Parua Naturalia.

Manuſcriptæ extant apud ſuos Hæredes.

Lectiones in I. de Cælo, & in Duodecimum Metaphyſicorum, & in Secundum Phyſicorum.

Alia Opera aſſeruantur in Bibliothecâ Cœnobij S. Mariç de Gratijs Bononiæ: & alia in Bibliothecis Excellentiſs. virorum Baldi Pendaſij, & Elephantuccij.



HIERONYMVS BVCCAFERREVS
I.C. BONONIENSIS.

HIERONYMVS BVCCAFERREVS.

BOnonia ingeniorum fœcunda nutrix Buccaferream gentem adeo benigno ſinu aluit, ac perpetuis honoribus fouit; vt meritò ea & vrbi & ſibi metipſi ſummam gloriam ac ſplendorem conſeruauerit. Quantum ei ſummus Philoſophus contulerit Ludouicus Buccaferreus jam vidimus. Majorum ſeriem in hoc Doctorum Virorum theatro nunc explet HIERONYMVS, Ludouici nepos, vt loco, ita quoq; doctrinâ ex toto hoc ordine nemini ſecundus: cujus miram Iuris peritiam, ac probatum in iure dicendo candorem, &, ſupra quàm dici poteſt, cum ſingulari prudentiâ facundiam vix noſtrum eſt dignis laudibus perſequi.

VICENTIVS frater Ludouici Philoſophi genuit Franciſcum, qui non modò ſummâ pietate & dexteritate præditus, ſed etiam morum comitate exornatus magnis Viris, & præſertim Cardinali Palæoto Bononienſi Archiepiſcopo mirificè acceptus fuit. Hic vxorem duxit Iacobam Iacobi Faſanini I.C. Collegiati Bononiēſis, cauſſarum actoris & legum Interpretis poſthumā & hæredem, fœminam tum corporis, tum animi dotibus inſignem, ex qua Hieronymum filium Anno M. D. LII. ſuſcepit. Qui viuacis ingenij, & optimi temperamenti, majorum imagines ſtatim ab ipſâ adoleſcentiâ æmulatus, optimi parentis ductu

à præceptoribus mirâ facilitate humaniores literas didicit. Quibus ſupra mediocritatem eruditus Anno M. D. LXVI. Iacobum Paulum Muzolum, ex ſorore conſobrinum, Logicæ & Philoſophiæ publicum profeſſorem diligenter audiuit. Sed antequam vlteriùs in hiſce ſtudijs progrederetur, anceps aliquandui hæſit, quò ſe verteret, num ſe Philoſophiæ, an Iuriſprudentiæ traditurus eſſet. Ad illam adoleſcentis ingenium Ludouici Philoſophi patrui magni exemplo, & Muzoli conſilio ferebatur: inuitabat etiam ſcientiæ jucunditas, quippe cujus vi abdita cœli ſoliq; myſteria, aliaq; homini ignota patent. Vicit tamen Iacobi aui materni memoria: cujus ille ſe ingenio ſenſim accommodans, Iuriſprudentiam veluti rerum omnium moderatricem, ſummiq; eâ ætate precij apud Viros Principes magnis conatibus aggrediebatur. Accedebant Iulij Scarlatini Regienſis hortamenta: quem amitæ maternæ Conſtantiæ Fuſarinæ maritum veluti patrem colebat. Nec vano obſequio. Magni enim hunc fuiſſe judicij Iuriſconſultum teſtatur Decianus Conſilio num. 159. Lib. 2. qui & Patauij ipſum docuiſſe monſtrat. Decius quoq; in Conſilio 547. virum extollit. Bononiæ poſtea in Quinqueuirûm numero Rotæ adſuiſſe ex diuerſis ipſius doctrinę monumentis planum eſt, & præſertim ex Volum: 1. Conſiliorum Criminalium 112. 113. 114. 115. 118. 120. Lib. 1. & Lib. 2. 105. 106.

HIERONYMVS itaq; tot tantiſq; ingenij doctrinæq; præſidijs. poſtquam An. M. D. LXVIII. abdicatâ rerum contemplatione in patrio Gymnaſio Imperatoris Inſtitutio-

nes

nes biennium audiuiſset, ad leges Ordinarias ſe contulit, Præceptores nactus Cl. Legum Interpretes Ferrantem, Vezzam, & Antonium Giauarinum: quibuſcum ei ſumma neceſſitudo interceſſit. Et ſanè Giauarinus, ob mirum juuenis in ſtudijs ardorē, ipſum tantopere diligebat; vt ad priuata colloquia ſæpiſſimè admitteret, & inter domeſticas literarum contentiones identidem ſpe maximi profectûs hortabatur, vt incæptū ſtudiorum curriculū proſequeretur. Conſilio euentus reſpondit. In exercitationibus enim Academicis, quibus Repetitiones Bartholi exponebantur, ſtrenuè ſe geſſit, adeoq; magni ingenij documentis plurimorum commilitonum ſibi fauorem conciliauit. Inter eos præcipuus fuit Achilles Pedroza Brixienſis, quem varia ejus ſcripta I. C. clariſſimum demonſtrant. Animum & linguam cùm domeſticis diſceptationibus informâſset Buccaferreus, fortis athletæ in morem ingenij vires in arenâ ſcholaſticâ experiri voluit. Magno itaq; auditorum applauſu die xx. Maij Anno M. D. LXXVII. Theſes ex Iure Ciuili depromptas Cardinali Palæoto dicatas publicè ſuſtinuit. Ex quibus eam eruditionis laudem reportauit, vt anno ſequenti die xv. Ianuarij Lauream in vtroq; Iure promeruerit: quam Antonij Gypſij, Berlingherij Cardinalis patrui Cl. Viri, qui Archidiaconi abſentis vices gerebat, auctoritate, præſente Cardinale Palæoto obtinuit, *Promotoribus* Ferrante Vezzâ præceptore, Frāciſco Zoānetto Ferdinandi I. Imperatoris conſiliario, Annibale Montareſio, & Iacobo Venente: quorum fama prçclariſſimis doctrinæ ciuilis documentis orbi vniuerſo iam inclaruit.

Hac dignitate condecoratus, vt ſolidis ſuorum laborum fructibus alijs prodeſſet, ſtatim cathedram Inſtitutionum impetrat, collega datus Camillo Buccaferreo cl. Legum interpreti: quem Ziliettus in Epiſtolâ nuncupatoriâ Conciliorum Purpurati celebrat. In eo ſumma cura fuit, vt facilitate, & diligentiâ diſcipulos breui doctiores redderet. Idq; cum publicis tum priuatis lectionibus ſic erudiendis juuenibus aſſiduè occupatus: quibus hanc ſui ingenij opinionem præbuit; vt multi alijs Gymnaſijs relictis Bononiam ad tanti Viri diſciplinam cōtenderent. Dictio ejus prompta, non obſcura, non prolixa, ſed breuis & perlucida. Auditoribus ipſe affabilis, cunctis adeò gratus; vt iuuenis patriæ Decurionibus adſcriberetur: quem magiſtratum ita honorificè ſuſtinuit, ita candidè omnibus jus ſuum tribuit; vt iteratis vicibus per omne vitæ curriculum decies & ſeptem ad idem munus obeundum eligeretur. Biennio cùm Inſtitutiones tradidiſset, ad Ordinariam Iuriſprudentiæ ſeſem aſcendit. Eam auctis honorarijs per annos quadraginta duos tantâ cum ſui nominis gloriâ, & auditorum frequentiâ honeſtauit, vt fermè ſolus ſupremum Gymnaſij Bononienſis decus tueri videretur, Collegas nactus cl. Viros Ferrantem Vezzam ſuum olim doctorem, Annibalem Mareſcotum, Laurentium Cauallinum, & Cæſarem Argilem vtriuſq; ſignaturæ Referendarium. Quantum publicæ juuenum vtilitati ſtuduerit, loquitur ingens eorum numerus, qui ex ejus ſchola prodierunt. Quot etiam viros celebriores, quot purpuratos produxerit, notum eſt. Erat ejus præcipua cura diſcipulos ſuaui comitate ad labo-

res

res allicere, facili methodo res arduas in planiorem ſenſum reducere: Vir Formæ majeſtate venerandus, clarâ voce è ſuggeſtu diſſerens, cunctorum animos ad tantum ſui obſequium trahebat, vt plenis ſubſelliis nemo vel vltra horam defatigaretur, adeoq; perpetuum auſcultationis deſiderium ſingulorũ animis hæreret. Memorabile eſt quod fide publicâ notarij Antonij Bettæ de Gauatio Diœceſis Tridentinæ manu probatum retulit D. Euangeliſta Bornicus, ciuis Ripæ, Sereniſſimi Archiepiſcopi Salſburgenſis protophyſicus, quòd in itinere Veneto cùm An. M.DC.V. fortè incidiſset in ſummi nominis Iuriſconſultum Marcum Antonium Peregrinum, tunc Pataaij Iuris Cæſarei profeſſorem, ac quod fieri ſolet, in cymbâ inter varios ſermones rogaretur vir maximus, quem inter Italiæ Iuriſconſultos primum cenſeret, BVCCAFERREVM reſpondit: quæ ſententia tunc aliorum, qui aderant, eruditiorum calculos promeruit. Nec etiam præclarum de eo iudicium ſiluit in conſilijs 10. T. 2. & 125. T. 5. vbi nunc *clariſſimum*, nunc *præſtantiſſimum I.C.* aduocat. Sed nec ab hac ſententiâ diuerſos fuiſſe conſtat Card. Manticam in conſilio M.S. incipit. *Placet mihi.* Saecam in conſil. 176. T. 1. Ioannem Baptiſtam Coſtam Tract. de fact. ſcient. & ignor. cent. 2. diſt. 60. num. 21. Giouagnonem Conſil. 91. T. 1. qui omnes vno ore Virum extollunt. Imò Gypſium in ſuis Conſilijs cap. 41. *Hæc videant, conſiderent, ſubijciant iudicio integerrimo tam perilluſtris & Excell D. Hieronymi Buccaferrei I.C. tempeſtate hac noſtrâ eminentiſſimi, & conſultoris etiam, vt audiui, in hac cauſâ*

adbi-

adhibiti: Inde Sacræ Rotę Romanę Doctores in quadam Deciſione Bononienſis Indemnitatis XXII. Maij M.DC. XX. coram Card. Caualerio, & XXV. Febr. M.DC. XXXIX. Bonon: Tranſactione coram R.P.D. Merlino non immeritò ipſum *Primarium, & ob integritatem & doctrinam magni nominis Iuriſconſultum* appellaueunt. Eum celebrant in ſuis operibus Gypſius, & Aſcanius Tamburinus de Iuræ Abbatum T. 1. Diſp. 15. qu. 22. Melchior Lotterus de Re Benific. Lib. 1 qu. 31. num. 51. Antonius Monachus Deciſ. Bonon. 40. Hieronymus Manfredus in Præfat. Dialogi ad Colleg. Doctor. Bonon. Dominicus Cęſarius Epiſtol. Centur. 6. Alexander Raudēſis Conſil. 14. Mitto priuata aliorum encomia, quæ paſſim apud Scriptores occurrunt. Viri merita florente adhuc ætate in publicis Scholis ad Cathedram, quam diu tenuerat, monſtrant vtrinq; Tabellæ erectæ. Hæc à latere dextro.

Quid Præceptorum merita valeant, quid eorum vigiliæ poſsint, hoc vno exemplo Studioſa I.V. Vniuerſitas apertiſsimè demonſtrauit: quæ Excellentiſs. D. Hieronymo Buccaferreo delectum hoc Auditorium varijs antea picturis cohoneſtatum, nunc verò proprijs ſtemmatibus decoratum (magnum amoris ac reuerentiæ ſignum) ex animo dicauit & obtulit. Procurante R. D. Flaminio Paulutio Priore digniſſimo.

A ſiniſtro.

Ad Excell. D. Hieronymum Buccaferreum Iuriſc. Clariſs.

Quicquid hic oppugnat, quicquid defendit, & acer
Roborat, infirmat, ferreus eſſe ſolet.

Si

Si legum promit ſenſus interprete linguâ,
Aurea verba fluunt, aureus ordo nitet.
Ferreus eſt igitur dicendus, & aureus idem,
Inclita Felſinei gloria Gymnaſij.

Annuente R. D. Flaminio Paulutio Fractenſi Priore digniſſimo Anno M. D. LXXXII.

Interea dum ſummis velis per immenſum Iuris Oceanum ad gloriæ portum contendit, Iacobo fratre natu minore conjugium recuſante, amicorum conſilio ad familię ſuæ ſtabilimentum, licèt de vitâ Eccleſiaſticâ jam cogitaret, Anno M. D. LXXXIX. ſuę ætatis trigeſimo ſeptimo Orintiam, Antonij Mariæ Catanei filiam, vxorem duxit. Ex qua præterquam quòd deſideratam progeniem vidit; id connubij potiſſimùm ſolatium ingens obtinuit, quòd ei vxor natalibus conſpicuis contigiſset. Patrem nempe eâ habuit ex antiquiſſimâ Cataneorum familiâ, penes quam olim Montiſbelij dominium erat, Matrem Biancam Dugliolam, cujus maiores nec generis antiquitate, nec fortunarum opulentiâ vllis ſecundi. Cui is honor acceſſit, quòd Ptolomæus, Biancæ ex fratre nepos, thori conſortem habuerit Dominam Mariam Barberinam, Vrbani VIII. neptim, & Caroli Barberini filiam: cujus ingentes animi dotes fati immaturitas inuidit meliori orbi.

Iam Hieronymi fama per vniuerſam ſe dilatauerat Italiam. Itaq; cùm Anno M. D. XCVIII. nata eſset inter Cardinalem Federicum Borromæum Archiepiſcopum Mediolanenſem & Magiſtratum Regium ejuſdem vrbis grauis controuerſia, Clemens VIII. Sum: Pontifex, qui tunc

Ferrariæ morabatur, ex Gymnaſio Patauino V.C. Guido Panciſolo publico Legum profeſſore ſelecto, Hieronymum Buccaferreum ex Bononienſi Lyceo addidit, vt horum virorum iudiciis cauſſam æquis rationibus dijudicaret. Rei benè geſtæ monumentum purpurati Patris munificentiâ aureum torquem Clementis VIII. numiſmate appenſo retulit.

Hac occaſione Io: Petrum Sordum Senatûs Montisferrati præſidem agnouit, & cum eo ſuam de grauioribus negotijs ſententiam communicauit. In patriam reuerſus, vnà cum alijs Collegij Bononienſis Doctoribus Clementem VIII. Bononiam ſolenni ritu excepit. Nec minori honore anno ſequenti pro Duce Mantuano & Exc. Camillo Correggij Domino in cauſſâ hæreditatis Fabritij ejus fratris tertius arbiter electus eſt. Mantuæ quoq; non modò honorificè à Pontifice habitus fuit, ſed Bononiæ diuerſa poſt munera obiuit. Anno M.DC. Sanctæ Inquiſitionis Collegio Conſiliarius adſcribitur, qui eximius ibi eſt honor, eoq; totius vitæ curriculo decorabatur. An. M.DC.I. in cauſſâ Sereniſs. Ducis Sabaudiæ & Reipublicæ Genuenſis pro juriſdictione terræ Pornaſi ad Collegiũ Bononienſe delatâ pro Duce ſententiam tulit. Verùm ne publicę occupationes familiæ ejus caſu inopinato damno forent, hoc anno è liberis teſtamento hæredes inſtituit quatuor maſculos, relictâ competenti dote duabus fœmellis, quæ tunc ſupererant. Vxori peculiarem commendauit muſei ac Librorum M.S. curam: cujus poſſeſſionem integrã è filijs voluit ei, qui Doctoris titulo dignus foret. An. M.DC.III.

Colle-

Collegio Iuris Ciuilis patrio, ſicuti jam Anno M. D. XCIV. Canonici Iuris magnâ cum laude aſſociatur. Cùm Bononiæ M. DC. XIV. Mapheus Barberinus, quem hodie ſummum Pontificem colimus, Legationis munus obiret, caſus quidam criminalis magni momenti pro ſummâ ipſius prudentiâ duobus I.C. primarijs Buccaferreo, & Horatio Giouagnono decernendus datur. Quorum ſententiam Legatus ſuo iudicio probatã Tergeſtũ miſit. Accidit vt vigintiquinq; poſt annis Franciſcus Maria Hieronymi filius ſummo Põtifici venerabundus ſe ſiſteret; hærebat adhuc herois animo laudabilis Hieronymi opera, quam tunc Legato probatam, tunc quoq; apprime laudauit. Anno M. DC. XXII. Bononienſis magiſtratûs nomine, veluti primus, in aduentu Cardinalis Antonij Cajetani orationem habuit, benigniſſimè ſemper à tanto patrono, alijſq; magnis Viris & Principibus habitus.

Longum nimis foret omnia recenſere, quæ chartis cõmiſit, quæue pro clientibus protulit. Diſcipuli ſanè ex ipſius phrontiſterio veluti ex equo Troiano proceſſerunt innumeri. Inter ipſos externi primam ſedem meritò ſibi vindicant Bonifacius & Antonius Caietani Cardinales, quos patruus Enricus Caietanus Legatus Bononienſis ſecum duxerat, ac in Buccaferrei diſciplinam tradiderat, imò quauis hebdomadâ ad Academicas exercitationes in Palatium euocabat. E purpuratorum collegio præterea auditores olim habuerat Serram Legatum Ferrarienſem, Caualerium, Fabricium Veroſpium, Gypſium, Spinolam, S. Cæciliæ Cardinalem, qui ſolus ex hoc numero in viuis.

Inſuper Illuſtriſs. Littam S. Rotę Auditorem, Io: Baptiſtam Saluagum Genuenſem, Epiſcopum Lunæ & Sarzanæ, Antonium Seuerolum Archiepiſcupum Nazareth, Comitem Annibalem Chieppium Mantuano Duci à conſilijs, Cæſarem Manentem Senatûs Mantuæ præſidem editis ingenii monumentis I.C. clariſſimum, Comitem Andream Codibo Ser. Duci Mutinenſi à conſilijs, Laurentium Vercelli, Bonjoannem Vinci Bononienſis Rotæ auditorem, & Bartholomæum Cauallum: quos omnes virtus & genus ad varios honorum gradus euexit. In Curiâ Romanâ adhuc ſuperſunt Racagna Epiſcopus Caſtelli, Scanarolus Epiſcopus Sidonis, & Eminentiſs. Cardinalis Barberini familiæ Præfectus, Franc. Albicius vtriuſq; ſignaturæ Referendarius, & Sanctiſſimæ Inquiſitionis Romæ Aſseſsor, Cæſar Argolus, Hieronymus Codibo, Io. Baptiſta Faràbuccius, Franc. Caſtellus, Chriſtophorus Segni, & Ferragallus Vrbani VIII. cubicularius honorarius, omnes Viri clariſſimi. E' ciuibus ſuis præcipuos reliquit præter laudatum Cardinalem Gypſium, Antonium Albergatium Epiſc. Vigiliarum, Segnum vtriuſq; ſignaturæ referendarium, & Prouinciæ Æmiliæ Legati vices gerentem. Io. Baptiſtam Palmerium, Paulum Toſſignonum, Laurentium Cauallinum, Laurentium Balzanum, Ioannem Camillum Garzariam, Camillum Gypſium, Thomam Serram, Bernardinum Cataneum, Dominicum Odofredum, Io. Baptiſtam Gallum, Franc. Pedrinum, Sebaſtianum Ale, Petrum Peratinum, Cornelium Canalem, Franc. Barbadori, Petrum Felicorium, Dominicum Comellum, &

alios

alios partim publicis muneribus, partim publicè docendo Viros vndiq; in curiâ Romanâ & alijs in locis celebres.

Exacto profeſſionis anno quadrageſimo quarto annum ſeptuageſimum ſuæ ætatis agens, cum jam ſibi firmum, nec vnquam morbis tentatum corporis robur aliquantiſper deficere ſentiret, non ſolùm vacationis priuilegium, docentibus poſt tot annos conceſſum, obtinuit; verùm huic etiam gratiæ is cumulus acceſſit, vt relicto ſibi docendi arbitrio filium Franciſcum Mariam, qui ſexennium Ius publicè expoſuerat, in eadem cathedra docentem videret. Voti jam compos ſe ad meliorem vitam, cui ſe vicinum nouerat, quotidie præparauit. Fati vim non parum accelerauit ingens mœſtitia à conjugis obitu: quam ſolutis paulatim viribus poſt quadraginta dies lentâ febre conſumptus, ritibus diuinis expiatus, inſecutus eſt adueſperaſcente primâ Martij die M. DC. XXIII. Exſequijs ſolenniter ſolutis in templo S. Georgij conditus eſt in monumento, quod ſibi reſtaurauerat hoc titulo.

SEPVLCRVM HOC
IN AMPLIANDA ECCLESIA
VETERE ANGVSTATO
QVIETAM CORPORVM SEDEM
SIBI, SVISQ. POSTERIS
AETERNAM ANIMORVM REQVIEM
PRECATVS
HIERONYMVS BVCCAFERREVS I.V.D.
FRANCISCI F. VICENTII N.
P. A. S. M. DC. XX.

E quinq; filijs, quorum duos præmiſerat, tres ſuperſtites habuit, qui parentis manes eximiè decorârunt. Major natu Fráciſcus Maria verum paternæ gloriæ exemplum, Iuriſcóſultis adſcriptus, annos decem in patrio Gymnaſio magno auditorum concurſu Ius Ciuile docuit. Romam deinde ſe contulit, vbi quinque annos in cauſis tuendis, & præſertim ad celebre illud Rotæ dicaſterium ſpectantibus, ſe laudabilem præſtitit. Defuncto Senatori Camillo Gypſio, pauperum in forenſibus patrono, Buccaferreus in patriam reuerſus Summi Pontificis Vrbani VIII. judicio ſufficitur: quod munus nemini niſi probatæ fidei confertur. Id poſtquam aliquamdiu laudabiliter geſſiſset, Romam denuò profectus alium tantiſper ſibi ſubſtituit, donec ſua ibi negocia confeciſſet, Vir ob egregiam cum prudentiâ doctrinam, morumq; innocentiam ſummæ apud omnes æſtimationis. Alexander Iuris pariter Laureâ honeſtatus, dum floridâ ætate patriæ munera ſubiret, immaturo fato diſceſſit. Poſtremus in viuis Hyacinthus publico eruditionis teſtimonio in vtroq; Iure ornatus, tum patriæ tum familiæ maximam ſui expectationem præbet. Sulpitia Dorothea vitam ſacris deuouit. Liberis Hieronymus Buccaferreus libros fœcundi ingenij partus reliquit plures, è quibus nunc in lucem editur Bononiæ.

Volumen è Conſilijs 1400. *ſelectum.*

In ſcrinijs ſunt.

Lectiones in omnes Ordinarias Juris Ciuilis materias matutinis horis enarratas.

Explicationes in Tit. Inſt. de Actionibus tam in Textum quàm in Gloßas.

ANTO-



ANTONIVS QVÆRENGVS PATAV.
VTR. SIGNAT. REFERENDARIVS.

ANTONIVS QVÆRENGVS.

QVi præclaram nominis famam, à majoribus orbi relictam, ſuâ virtute extendere nituntur, næ ſibi & poſteris conſulunt, dum peculiarem ſuæ familiæ laudem cõſeruant, poſteriſq; exemplo ſunt, quàm patriæ interſit, bonos vtileſq; ciues produxiſse. Talem, FLAVI QVAERENGE, Vir clarjſſime, qui negat, ANTONIVM, Patruum tuum verè magnum; parum ſe rerum humanarum peritum oſtendit. Vitæ namq; innocentiâ morumq; candore rediuiuus ille noſtri ſeculi Cato, multipliciq; rerum ſciẽtiâ alter Varro, ita patriam noſtram exornauit; vt ampliſſimum maximèq; conſpicuum nobis ex tanto ciue gloriæ argumentum reliquerit. De quo egregium noſtrâ ætate nobilis Poëtæ Virginij Cęſarini Vaticinium:

En Patauiſedes tanto ſe gaudet alumno,
Prælia Romuleæ quantum cùm Liuius vrbis
Scriberet, Euganeos fertur lætata per agros.

Quàm hæc verè, deductâ per annos vitæ ſerie inſpiciamus. Anno ſalutis humanæ M. D. XLVI. Nicolao Quærengo Patauino & Eliſabethâ Otteliâ natus, ANTONII nomen accepit, in memoriam Antonij Cardellini I. C. qui Paulæ auiæ paternæ frater, Baſſano oriundus, Imperatori MAXIMILIANO ejus nominis Primo à cõſiliis ob ſingulares

lares animi dotes charus, Tridentinæ Vrbis Præfecturam maximâ cum laude geſſit. cujus fides Cæſari arduis in negotijs ſæpe probata fuit. De quo eleganter Antonij noſtri Muſa:

Aſpicies iterum pulcris iu collibus arces
Baſſani, & proauûm ſoboles te clara meorum
Hoſpitibus coget lætum ſuccedere tectis.
O quos inuidiæ ſtimulos mihi mente ſub altâ
Abſenti tua ſubjiciunt nunc gaudia, FLAVI.
Quàm cuperem conceſſa meis talaria plantis,
Aërias curſu ut properans volitante per oras
Felices ſubito vobis mirantibus ædes
Ingrederer, dulciq; frui ſermone loquentum,
Voſq; inter poſſem iucundæ accumbere menſæ.
Proſpectu poſſem cupidos de turribus altis
Multiplici oblectare oculos, latèq; vagantem
Flumine Medoacum nitido, campoſq; tueri,
Et valles procul, & montes, quos numina ruris
Cuncta fouent Pindiq; ſacra viridantis alumnæ.
Has ego, cùm primâ florens ætate juuentus
Vix teneras flauâ vmbraret lanugine malas,
Vt vigiles ſtudio curas ceſſante leuarem,
Formoſas memini me ſæpe inuiſere ſedes.
Inſignes has ille ſuis natalibus olim
Reddidit, vnde mihi nomen patriaq;, tibiq;
Cardellina decus partum immortale propago:
Quem æuo Heſperias bello flagrante per vrbes
Vis animi excelſa ingentis, probitaſq; fideſq;

Inuicta

Inuicta, & magnis prudentia cognita rebus
Cæſaris in ſummum meritò adſcripſere Senatum,
Et regere imperio populos docuere potentes.
Sin mea diſcerpunt rapidi vota irrita venti,
Nec mihi, quas vellem, ſuperi dant ſumere pennas;
Mente tamen celeri ſupereſt quæ ſola voluptas,
Lætitiâ ſimulacra volans ſectabor inanis.
Tu verò, permiſſa quies dum grata laborum,
Exple auidum ſenſu pectus, pariterq; vigentes
Corporis, atq; animi pulcris à collibus vrbem
In patriam vires ad munera magna reporta.

Cùm biennis patrem amiſiſset Antonius in tutelam Gaſparis Ottelij aui materni receptus, præter miram in literas propenſionem magni Cardellini exemplis incitatus improbo labore ad ſummum gloriæ faſtigium contendit. Ingenio planè igneo in primis fauit corporis temperamentum, quod per adoleſcentiam etſi dubium eſset; virili tamen ætate optimum firmumq; ſatis fuit. Annum duodecimũ vix attigerat, cùm Grammaticis addictus eâ facilitate verſus funderet, vt ludimagiſter non vano omine adoleſcentulum Poëtam natum diceret. Acceſsit ea ingenij docilitas, vt inferiorum diſciplinarum ſtadium mirificâ celeritate decurrens, anno ætatis quinto & decimo aui judicio ad Inſtitutiones Iuris Ciuilis capeſsendas gradum faceret. Quod ſtudij genus non minori alacritate amplexus, triennium Iuriſconſultis ejus æui celeberrimis Marco Mantuę cæteriſq; collegis impendit, magnâ profectûs opinione; niſi aliò adoleſcentem traxiſset ingenij impetus, cui bono

euentu

euentu obtemperauit. Interea, dum conſtanter in hoc literarum genere progreditur, poſt Rhetoricas exercitationes Diuini Platonis lectionem domi arripit: à qua non deterruit juuenem rerum ſublimitas, imò varium illud ac ſuaue ſermonis genus ita detinuit; vt decimo ſeptimo ætatis anno totum acuratiſſimè peruoluerit. cujus diligentiæ teſtem librum variè interpolatum vidimus.

At quoniam animaduerterat, ſe parum ſine Ariſtotele profeciſſe, ad Peripateticorum ſcholas ſe conuertit. Magnus tunc temporis erat Philoſophiæ honos, nec minor politiori literaturæ: quem auxit fama ſummorum Virorum per omnes orbis angulos ſparſa, quorum diuinis ingenijs Ariſtoteli Philoſophorum Principi amiſſum decus reddebatur. Horum igitur is ſubſellia frequens occupauit. Inter quos potiſſimùm in Logicis Zabarellam, in Phyſicis Pendaſium, in Metaphyſicis Peregrinum ſibi imitandum propoſuit. Aſperum hoc atq; ſeuerum ſtudij genus vt gratâ vice temperaret, Muſas iuxta mitiores coluit. Nec inſtituto euentus defuit. Tunc enim Pataui j variæ eruditionis nomine Robertellus & Sigonius claruerunt: quibus ille ſtudiosè adhęſit.

Nec tamen, dum in hęc ſtudia ferebatur, à Iuris peritorum ſcholis penitus diſceſſit: licèt animus in literas manſuetiores adeo inclinaret; vt è ſuorum ſententiâ ſe ijs, quibus oblectabatur, literis totum manciparet. Hę namq; ſecretę ipſius delicię, maximèq; veteres Poëtæ, quibus etiam ad æmulationem mirè afficebatur. Inde quoties otio abundabat mirâ ipſorum ſuauitate captus ſemper ali-

quid ſtylo tentabat. Inter cætera è Græciâ in Latium traduxit Batrachomyomachiam Homeri: Virgilij etiam Bucolica & Lucani quædam etruſco carmine conuertit. Nunquam tamen animum ſic agitabat ſacer ille furor, vt non ſemper de diuinis cogitaret. Iuueni nempe aderat maxima diuini Numinis veneratio, qua ad ſacrarum literarum ſtudia maximè idoneus videbatur: quibus tunc Summatum liberalitate ingens precium erat. Amicorum itaq; conſilio ab humanâ ſapientiâ ad diuinam conceſſit, eo quidem animi feruore; vt anno ætatis XXV. communi ſuffragio honoribus ſummis decoratus Theologorum Collegio patrio meritiſſimè fuerit aſcriptus.

Neq; his ille veluti phaleris contentus, multorum more ſeſe otio ac inertiæ dedit: quin ad majora in dies ſurgebat animus. Nimirum ingentes ille ſcientiarum aceruos quaſi in horreum repoſuit in ſpem annonæ liberalis, quæ poſteritati diſpenſanda. Inde noua ſemper ei ſuccreſcebat ſtudendi cupiditas. Modò ſacros Patrum codices, modò Platonicæ ſcientiæ aſſeclas, modò ſacra Vatum monumenta peruoluebat: nec ſine conſilio. Duplicem namq; pulcherrimi laboris fructum è ſtudijs ſe capere affirmabat, inſignem animi caſtimoniam, toto vitæ tempore familiarem ſibi, ac conſtantem eximiumq; in Deum amorem: cujus incrementa ex rerum cœleſtium & humanarum contemplatione perſenſit. Scientiam decorabat mira ejus comitas & dicendi promptitudo: nec rarò commendabat morum facilitas, facetijs ſæpe iucundis non ingrata.

Hiſce dotibus mirificè exornatus Quærengus Viris eruditis

ditis ſenſim innotuit, imò breui colebatur eo affectu, vt ejus contubernium non paucis affectaretur. Summâ inprimis neceſſitudine conjunctus fuit Iacobo Mazzonio, & Iulio Carraræ, qui poſtea Epiſcopatu Rhetymnenſi floruit. Diligebatur etiam ſummopere à Nicolao Contareno, quem ad Principatum Reip. Venetæ euectum vidit. Nobiliſsimis quoq; Viris Stephano Theupolo, & Petro Duodo chariſsimus erat. Aloyſium pariter Lollinum Bellunenſem Epiſcopum, ſuum olim condiſcipulum, per omnem vitam arctiſsimum habuit amicum. Maxima verò ex ingenij & ſtudiorum ſimilitudine cum Speronio ipſi intercedebat familiaritas: cujus conſilio, iam maximi viri literis vulgato, de Curiâ Romanâ cogitare cæpit. Vrbem itaq; communem omnibus gentibus patriam ſibi ſedem eſſe voluit. Quam cum Eminentiſsimo Federico Cornelio annos XXX. natus adijt. Pontificatûs apicem tenebat per ea tempora Gregorius XIII. Vrbem vix ingreſſus noſter Antonius, en Flauius Vrſinus Ducis Grauinæ filius, ſummæ auctoritatis inter Patres purpuratos, literatorum acerrimus æſtimator, ipſum eo ipſo die inter alios ſibi primum à libellis conſtituit. Ille verò fide & obſequijs ita ſibi Patroni animum conciliauerat; vt is ſæpe familiariter deſideraret tam facile ſibi jus eſse transferendi in ipſum galeri, quàm eo dignum cognoſceret. Flauio in Cœlos tranſlato, die emortuali naſcitur Antonio Nepos, quem domini pridem amiſſi nomine inſigniri voluit. Sub idem tempus Romæ ANIMOSORVM Academia inſtitui cæpit: cujus initia ipſe non parum promouit, varijſq; decla-

clamationibus alienâ voce honeſtauit. Defuncto jam Vrſino Inicus Cardinalis de Aragonâ Quærengum ſibi itidem à Libellis poſcit: tandemq; Alexander Eſtenſis ſacræ purpuræ lumen. Quo munere talem ſe præbuit; vt, Antoniano ad purpuræ dignitatem euecto, ſtatim in ejus locum ſacro Cardinalium Collegio à ſecretis electus fuerit. Onus hoc ſingulari curâ ſuſtinuit. Et raro ſanè exemplo quinq; Summorum Pötificum SIXTI V. VRBANI VII. GRGEORII XIV. INNOCENTII IX. CLEMENTIS VIII. ſacris Comitijs interfuit. Indefeſsi laboris præmium ſenſit vbiq; ſummi Pontificis fauorem. Clementis VIII. benignitate, ſine vllis impenſis Patauij Canonicatum obtinuit. Mirabatur Pontifex, quòd Curiæ conditionem cum illâ permutâſset, cùm jam Antoniano eſset ſuffectus. Ille verò, partim vt ſe ſe æmulis ſubtraheret, partim ne pietati in matrem decrepitam videretur defuiſse, patriam repetit, mediocri ſorte contentus: quam animo verè ingenti & heroico ſpiritu ſic ad Federicum Cornelium Epiſcopum Patauinum profeſsus eſt.

Non ego me cenſu locupletis vt vbere templi
Efficias ditem poſco, non muneris vllâ
Jngentis tecum defungi parte peropto.

Quin ea ſemper fuit ipſi deſideriorum moderatio, vt nihil vnquam in aulâ ambierit, licèt Paulo V. Gregorio XV. & Vrbano VIII. jam feliciter, vtinam ſic diutiſsimè, ad clauum ſedente, ſemper gratiſsimus eſset. Virtutis, non lucri cauſâ ſe Magnates colere ferebat. Cùmq; Cardinalis Coſentinus ei intimus aliquando ſuggereret, quod

Pon-

Pontifex Paulus v. ipſum in re lautâ cenſeret: reſpondit Quærengus, illud modeſtiæ ſuæ præmium eſſe. Impetratâ itaq; dimiſſione apud Clementem VIII. Patauium rediit. Mirum quantâ lętitiâ reducem exceperit vniuerſus ciuium ordo, in primis è Magnatibus Federicus Cornelius Abbas, & nunc S. R. E. Cardinalis: cujus ille auſpicijs initia Academiæ RICOVRATORVM optimis legibus ſtabiliuit. Præ cæteris placuerunt omnibus priſci mores viri, quibus nihil à ſe alienum ferebat. Ita veræ ſapientiæ argumento ſine fuco ſine faſtu ſibi ſemper ſimilis ingentem amicorum acceſſionem experiebatur. Primis nempe amicis ſymbolam addiderunt Simon Contarenus Patricius Venetus, Eques & D. Marci Procurator, cujus ingentes ipſe dotes carmine prædicat, Senator magni nominis, optimèq; plurimis ad Principes Chriſtianos legationibus, atq; iteratâ ad magnum Turcarum Imperatorem, de ſuâ patriâ meritus, Franciſcus Pigna Poëta Etruſcus, Io. Franc. Muſſatus græcarum literarum ſtudioſiſſimus, Franciſcus Frigimelica, atq; in primis Laurentius Pignorius Antiquitatum condus, Patauini omnes: Itemq; Gabriel Capra Comes Vincentinus & Canonicus Patauinus, Paulus Gualdus Vicentinus Archipreſbyter Patauinus; Ioannes Bellonus, ciuis Venetus, Philoſophiæ Moralis Profeſſor publicus. Ioannem Vicentium Pinellum tacere nefas, quem Vrbis noſtræ hoſpitem nulla ætas ſilebit. Æſtiuos calores temperabat prædioli ſuburbani amœnitate, quod primo ab vrbe lapide vicinum Medoaco hac deſcriptione commendauit:

Hoc

Hoc tibi vicino creſcit quod margine ripæ,
Et vitrei gelidas amnis obumbrat aquas,
Aſſiduus parui cultor Quærengus agelli,
Medoace, agreſti conſerit arte nemus.
Tu, violenta lares ne ſubruat vnda propinquos,
Anguſtum aggeſtâ porrige littus humo.

Verùm Clementi VIII. mortalibus exempto cùm LEO XI. ſucceſſiſet, Quærengus inter omnes, vt vocantur, Prælatos primus Pontificis juſſu ab Aquauiuâ & Sfondrato, intimioris notitiæ ſibiq; fauentibus Purpuratis Patribus, Romã reuocatur. Nec mora. Quærengus mox iter init. ſed cùm à Mario Farneſio Generali militiæ Eccleſiaſticæ Præfecto Ferrariæ exceptus eſset; en feralis nuntius Pontificis mortem indicat. Quærengus itaq; rerum dubius Patauium recogitat. At Marius iter continuandum ſuadet, quòd nemo non ad Pontificatûs faſtigium euectus foret, cui ejus merita non obuerſarentur. Nec ſanè fefellit animus. PAVLVS namq; V. aſſumpto Pontificatu mox Quęrengum intimis ſuis adſcriptum, Prælatum domeſticum & ſignaturę vtriuſq; Referendarium elegit, GREGORIO XV. & VRBANO IIX. poſtrema hęc dignitatis incrementa approbantibus. Stabilitis ita in Aulâ Romanâ fortunæ fundamentis, Anno M. DC. VII. Flauio Nepoti Canonicatum concedit moræ ſecurus: quam vt lætiorem haberet, Pontifex ipſius vſui Villam adſignat. In quam ita luſit:

Seu pictum te flore ſolum gemmante moratur,
Seu grauidis pendens fœtus in arboribus;
Vtere delicijs, Hoſpes, non inuide noſtris,

Et

Et lege non timidâ quæ placuere manu.
Ingratus largita ſibi qui credidit vni
Munera, quæ magno à Principe magna tulit.

Præter optimi Pontificis munificentiam Virum detinebant fautores atq; Amici, quibus ille affluebat. Inter Purpuratos ſui maximè ſtudioſos habuit Aquauiuam, Spinellum, Beuilaquam, Vbaldinum, Caponum, Antonianum, Cobellutium, Alexandrum Eſtenſem, Columnam, Vrſinum, Baronium, Sabaudum, Magallottum, Franc. Barberinum. Quærengi quoq; fortunam augere videbatur è Principibus Coneſtabilis Columna, Virginius Bracciani Dux, Io. Antonius Vrſinus S. Gemini Dux. Cæteros in eâ literatorum turbâ hìc enumeràſſe longum nimis foret. Mutuis officijs & literarum amore in eâ Vrbium dominâ in ipſius amicitiam penetrârunt Sebaſtianus Poggius Epiſcopus Arpinas, Marcellus Barbianus, Ioannes Ciampolus, Gaſpar Saluianus, Bandinus Gualfedrucius, Petrus Pacconius, Alexander Taſſonius, Gaſpar Scioppius, Abraamus Bzouius, Ioannes Barclaius, Franciſcus Thuanus, Vincentius Graminius, Paganinus Gaudentius, Ioſephus Perſicus, Hieronymus Aleander, Sigiſmundus Boldonius, Philippus Spinellus, Io. Bapt. Manſius, Hippolytus Caracciolus, Alexander Pollinus: Parmæ Pomponius Taurellus, genere, virtute, literis clari: quorum nomina ſuis Poëmatijs æternitati ſacrauit. Veteris quoq; neceſſitudinis memor ciues ſuos, cæteroſq; in patriâ viros auctoritate & doctrinâ notos abſens non minori ſtudio coluit. Inter quos magni fecit Comitem Schinellam, Albertinum

Bari-

Bariſonium Abbatem, ingenij laude digniſsimos,& Gregorium Montagnanum magnæ ſpei iuuenem. Suum verò in Dominicum Molinum Senatorem magnum nunquid elegantiùs exprimere potuit animum?

Quæ volucris tanta ingenij vis præpete pennâ
Magnanimi in cælum MOLINI attollere laudes
Auſit, & Icarios non exhorreſcere caſus?
Ille quidem vaſtâ quamuis ſub mole laboret
Imperij, populoſq; vigil tueatur & vrbes;
Mente tamen celſâ non immemor ætheris alti,
Vnde ortus, quò tendit iter, templa ardua crebrò
Ipſe ſuis nitens alis percurrit Olympi,
Et fruitur pleno diuini luminis hauſtu.
Nec fouet interea ſacra ſecius otia doctæ
Palladis, aut Pindi aſsuetas viridantibus vmbris
Felices animas arcto ſibi jungere nexu
Dulcibus æterni officijs non certat amoris.

Aduenas eâ quoq; comitate excepit, vt neminem ſine humanitatis ac eruditionis opinione dimitteret. Imò officiorum ita prodigus fuit; vt Octauius Aquauiua Cardinalis ipſum potiùs nutricem, quàm matrem diceret. Inde noua famæ, inde honorum incrementa. RANVCIVS FARNESIVS, acerrimi judicij Princeps, rebus ab ALEXANDRO Patre duce fortiſſimo in Belgio alibiq; geſtis Quærengi operam expetiuit. HENRICVS IV. etiam magnus Galliarum Rex, prudentiſſimi Cardinalis PERRONII ſuaſu, Quęrengum magnis pręmijs Lutetiam euocauit. Sed eâ ſemper vixit animi conſtantiâ, vt ſtatutam

ſibi

ſibi cum fortunâ ſedem mutare nollet, ratus ad vitæ perfectionem ſibi ſemper aliquid ſupereſſe: vnde hoc ipſi Emblema familiare, appicto veruere:

ADHVC VELLERA SICCO.

Quid enim optimi ſenis voto majus accidere potuit, quàm integras cum maximo Principe VRBANO IIX. horas ducere? Tantum potuit ſtudiorm ſimilitudo animiq; candor, tantum parata multiplici rerum vſu prudentia,& beata ætatis maturæ facundia, quæq; cæteris animi virtutibus ſuperior, ſumma vitæ innocentia, quam ſingulari frugalitate ſine labe integram ſeruauit. Ita leni otio inter literas & familiarium officia extremos annos parciſſimo ad vires refocillandas prandio contentus largiri cœnâ ducebat:non parum fidei ſuo exemplo concilians Patauinis noſtris Medicis celeberrimis, qui hanc vitæ rationem valetudini tutuſſimam voluerunt. Semper enim lætus ac ſanus vixit, fortunæq; commodis beatus: cujus munere nepotes Flauium, Marcellum, & Marcum Poiaghi Comites ob ſua in Sereniſſimam Eſtenſium familiam merita ſummis honoribui auctos vidit: vt jam nihil ſupereſſet aliud, quàm parato animo extremum ſummi moderatoris imperium expectare. Quod vitæ gloriæq; ſatur anno ætatis LXXXVII. catarrho graui ætati moleſto ſolutus Calendis Septembris Anni M.DC.XXXIII. ſummâ pietate excepit. Pridie namq; ante diem fatalem ſacris expiatus cùm S. Franciſci geſta die ſequenti latinè ſcripta attentè auſcultâſset, funiculo huic tutelari dicato præcinctus in hæc verba prorupit. *O' Pater Joannes Baptiſta quàm hæc verè intellexiſti?* Principem

cipem Alphonſum Mutinæ Ducem innuens, qui paulò ante in Capucinorum ſocietatem ſeceſſerat. Atq; ita paulò poſt tranquillè Deo animam reddidit. Illatus in Ædem S Franciſci ad Ripam, vbi ad majoris aræ leuam quicquid mortale fuit repoſitum eſt ſine titulo, quem Procerum pietas pollicetur. Pataui j Collegam Academici Ricourati ſolenni pompâ laudârunt. Flauius Quærengus propè prædiolum ſuburbanum in ſacello D. Antonij Abbatis, quod in cœmiterio S. Vrſulæ extructum, *P*atruo meritiſſimo hoc ſtatuit monumentum.

ANTONIO QVAERENGO
CAN. PAT. AC VTR. PONT. SIG. REF.
CVIVS SAPIENTIAM, VIRTVTEM, ERVDITIONEM
SVSPEXIT ITALIA,
CVIVS CINERES ROMA, TANTO VIRO ORBATA,
IN MEMORIAM AC SOLATIVM SERVAT.
CVIVS MAGNA IMAGO PRAESENS ASTARE CREDITVR
AD HAEC SEPVLCRA AMATA
AVORVM, PATRIS, ET FRATRIS.
FLAVIVS QVAERENGVS, POIAGHI COMES, ET CAN. PAT.
FRATRIS F. PARTVO OPTIMO
ANNO M.DC.XXXVII.

Pataui j in templo pariter D. Auguſtini ad Auiæ tumulum ei Cenotaphium magnifico apparatu erexit: quod frequentes aduenæ magnâ ciuium oblectatione luſtrant.

ANTO-

ANTONIO QVAERENGO
VTR. PONTIF. SIGN. REFERENDARIO, PAVLI V. GREG. XV. VRB. VIII. PRAELATO DOMESTICO SACRI COLL. A SECRETIS POST CARD. ANTONIANVM, ET CAN. PATAVINO.
CVIVS MERITA ELOQVENTIS AC ERVDITAE SAPIENTIAE, PROBITATIS, IVDICII ROMA PRAEDICAT, SCRIPTA TESTANTVR. NOMINIS ANTONII DIGNISSIMO AB ANTONIO AVVNCVLO MAGNO MAXIMIL. I. IMP. A CONS. ET TRIDENTI PRAETORE'
FLAVIVS QVAERENGVS POIAGHI COMES, PAVLI, GREG. VRB. INTIMVS CVBICVLARIVS, ET CAN. PAT. FRATRIS F.
PATRVO DE SE OPTIME MERITO
P. C.
VIXIT ANN. LXXXVI.
OBIIT ROMAE ANN. SAL. M. DC. XXXIII.

Quis quantuſq; Orbi vixerit beatus ille cœli incola rectiùs loquuntur felicis ingenij monumenta, quæ marmore perenniora exegit. Nobis ſuffecerit leuiter in ſummam laudum ſtylum duxiſse.

Libri ab Ant. Quærengo ſcripti.

Hexametri Carminis Lib. VI. &

Rhapſodiæ Variorum Carminum Lib. V. Hi varijs in locis editi ſunt.

De Marci Varronis diuiſione, qua ſe definito complexum numero eſt arbitratus omnes Philoſophorum ſectas, quæ vel fuiſſent aliquando, vel eſſe poſſent.

De Geminis Nobilium diſciplinarum Officinis.

De præſtantium linguarum cognitione, quarum incorruptus vſus familiaris inter ineruditos prorſus intercidit libri tres.

De Triplici Rhetoricâ.

De Ideis Hermogenis.

De Imitatione veteris eloquentiæ ad Vincentium Quirinum.

De Analyticæ methodi in vtrâq; Philoſophiâ indifferenti vſu.

Quos habemus Ariſtotelis Topicorum libros non eos videri, ex quibus Cicero, ac Themiſtius ſuam Locorum enumerationem deſumpſere.

De naturali Verborum ſignificatione, quo quis modo facilè conciliare poſsit cum Academicis Peripateticos.

De judicio Dionyſii Longini in Comparatione Demoſthenis, & Ciceronis.

De vnicâ totius Politicæ diſciplinæ methodo, & Auerrois vera ſententia in explicatione ſubjectæ materiæ librorum ad Nicomachum.

De Platonis Ariſtotelis, & Polybij politicis in rebus diſſenſione.

Quarum artium vniuerſalis Politica ſit præſertim Architectonica.

De Hiſtoriæ Pragmaticæ Polybianæ triplici fine: vnde ſcriptoris officia, vel negligenter, vel prauè à Luciano tradita eliciuntur.

Vitarum Hiſtorici, quæ in re differant à Pragmaticis.

Cornelij Taciti Hiſtoriam falſâ conjecturâ in duo genera diuidi.

Home-

Homerum à Socrate jure ejectum è Repub: nec tamen eundem ſibi contradicere, cùm varijs in locis inducitur à Platone, ejus Poëtæ magnâ cum laude mentionem facere.

Epitome tertij tumultûs Belgici, Alexandro Farneſio prouinciam adminiſtrante.

De Xenophontis Artificio, quo Principum, vel leges, vel mores citra periculum reprehendi poſſunt.

Pendaſius, ſiue de Animæ immortalitate, libri Duo.

Linguâ Etruſcâ.

Inſtruttione al Sig. Card d'Eſte nel ſuo viaggio di Spagna.

Conſiderationi al medeſimo, intorno alle offerte del Marcheſe di Couré in nome del Rè di Francia.

Delle qualità de' Nuntij deſtinati dal Papa à diuerſi Prencipi.

Dell'apparente ingratitudine del Popolo Atenienſe verſo Pericle, & gli altri ſuoi gran politici, commendata giuſtamente da Socrate.

Perche Platone nell'Epitafio chiami Ariſtocratia il gouerno popolare d'Atene.

Nuouo Artificio di biaſmar ſenza pericolo il gouerno publico, inuentato da Senofonte.

Lettioni Academiche, e Dialoghi diuerſi, cioè.

Dell'origine, & vtilità dell'Academia.

De' proprij ſuggetti loro.

Della vera difinitione dell'Honore.

Della radice di tutti gli affetti humani, ſopra alcuni verſi di Dante.

De' rimedij d'Amore, ſopra vn ſonetto del Caſa.

Dell'-

Dell'Antro Homerico, Impreſa dell'Academia de Ricourati di Padoa.

Dell'Allegoria della Comedia di Dante.

Delle ragioni, che indußero il Taßo à far vna nuoua Geruſalemme.

Della cognitione delle tre lingue più nobili.

Della proprietà, vnico, e ſicuro fondamento d'apprenderle facilmente.

Dell'vſo loro ne'noſtri tempi.

Delle due ragioni, addotte da' Platonici contro l'inuentione dello ſcriuere.

Il Taſſone primo, ouero delle oppoſitioni fatte all'Jliade d'Omero.

Il Taßone ſecondo, ouero della Dottrina di Virgilio.

Le Sette de' Filoſofi, moltiplicate in eccesſiuo numero da Varrone, diſtinguerſi per doi ſole differenze ſpecifiche, che ſono la diuerſa opinione del Criterio, e la diſcordia circa l'vltimo fine.

Jl verſo d'Omero, che chiude il duodecimo libro della Metafiſica, eſſer fallace per lo più ne i gouerni humani.

L'Aritmetica Teologica di Nicomaco à torto eſſer giudicato ſofiſtica da Fotio.

Jntroduttioni allo Studio delle Leggi Canoniche.

La Sindereſi, ouero dell'ingratitudine amoroſa.

Il Parallelo, ouero modo di paragonare frà loro i Gran Capitani.

Parallelo di Ceſare, e di Aleßandro.

Raccolta di diuerſe Poeſie Volgari.

IOAN-



IOANNES MARIVS AVANTIVS
I.C. RHODIGINVS.

IOANNES MARIVS AVANTIVS.

AB Auanticis Heluetiorum populis, Rudolpho ſtrenuiſſimo milite auctore, originem traxit AVANTIORVM familia: quæ non modò Veronæ inter nobiles & perantiquas habetur, ſed etiam Ferrariæ clariſſimorum Virorum ſobole, ac in primis Ioanne & Rudolpho Equitibus Rhodijs illuſtrata auitum ſplendorem etiamnum ſeruat. Iacobus Laurentius Rhodigium Herculis Ferrariæ Ducis nomine regebat, cùm Vrbs in Venetorum ditionem veniret: in qua cùm ille affinitates jam contraxiſset, bonaq; non pauca poſſideret, ibi quoq; ſedem figere decreuit: allectus præſertim mitiſſimo Reipublicæ Venetæ imperio, à qua etiam honoribus & dignitatibus quam plurimis decoratus eſt. Cùmq; poſtmodum ab eodem Hercule magnis pollicitationibus ad defectionem ſolicitaretur: ille verò datam Venetis fidem nullo modo fallere vellet; non modò omnia ejus prædia, quæ ampliſsima in agro Ferrarienſi poſsidebat, proſcripta fuerunt, ſed & ipſe immiſsis ab eo ſicariis miſerabiliter trucidatus eſt, vt colligere eſt ex diplomate Auguſtini Barbadici Venetiarũ Ducis Anni M.CCCC.XCI. Diei XIX. Martij. Hujus ſtipite ortus eſt IOANNES MARIVS noſter Anno M.D.XLIX. Die XXIII. Auguſti, patre altero Iacobo Laurentio, prioris nepote, vrbis Rhodiginæ Decurione pru-

dentiſ-

dentiſsimo à quo poſt prima grámaticæ rudimenta Antonio Riccobono traditus, vt greuis literis & poëticâ ac oratoriâ facultate inſtrueretur, breui præceptoris expectationem ſuperauit. Vix enim artium illarum præcepta libauerat, cùm elegantiſsima carmina latina artificioſaſq; orationes ſuopte marte concinnaret. Hinc Riccobonum dicere ſolitum accepimus, ſe ſolum Auantium nouiſse Poëtam ſimul & Rhetorem natum. Accendebatur adoleſcens in dies ad virtutem paterno exemplo, quem Cœlij Rhodigini diſciplinâ conſpicuum arma literis non vulgari fœdere ſociâſse conſpiciebat. Quapropter nullam diem ſine lineâ ſibi elabi patiebatur: ideoq; vbi politioribus literis artibuſq; liberalibus probè inſtructus fuit, Philoſophiæ ac Theologię ſtudijs operam dare cæpit in Academiâ Ferrarienſi tunc celeberrimâ: vbi Baptiſtæ Guarini, Torquati Taſsi, Cæſaris Cremonini, aliorumq; doctiſsimorum Virorum familiaritate & contubernio vſus eſt. Inde naturali quadam propenſione ad Iuriſprudentiam animum applicuit, inuito quaſi parente, qui eum Medicinæ deſtinauerat: primaq; ſcientiæ illius tyrocinia Bononiæ jecit: deinde verò, cùm Reſp. Veneta edictum promulgâſset, ne ejus ditioni ſubjecti externas Vniuerſitates adirent, Patauium conceſsit, vbi ſtudijs ſuis colophonem impoſuit, laureaḿq; feliciter conſecutus eſt, præceptoribus Franciſco Manticâ, Iacobo Menochio, Tiberio Deciano, M. Mantuâ Benauidio, & Sebaſtiano Monticulo, primarijs illius ſeculi Iuriſconſultis.

In patriam reuerſus demandatum ſibi à Principe Fiſci

patrocinium ſuſcepit, & aliquot annos egregiè ſuſtinuit, cauſaſq; ciuiles & criminales tantâ nominis ſui famâ egit, vt innumeri ad eum clientes ex proximis vrbibus conſilium rogaturi confluerent: ipſiq; quod forſan pauciſſimis contigit, vt quater & vigeſies ad agendas criminales cauſas extra patriam euocatus fuerit. Cæpit tamen auerſa fortuna inter primas felicitates optimum Virum exagitare, crebriſq; infortuniorum turbinibus ejus animum exercere, & in primis bonorum jacturâ. Cùm .n. pro trapezitâ quodam ſe fidejuſſorem præſtitiſſet; decocto ab eo ære ſibi credito aliquot aureorũ millia erogare coactus eſt cum inſigni rei familiaris diſpendio. Inde crebris hoſtium inſidijs petitus tandem duodeuiginti lethalibus vulneribus confoſsus eſt: è quorum vno, quod amplum in abdomine habebat, magna prominentis omenti portio amputari neceſse fuit. Vix à vulneribus conualuerat, cùm vnicum & chariſſimum fratrem hoſtili gladio amiſit. Vtq; ei acerbiùs funeſtiſſimus ille caſus contingeret, eodem ferè tempore dilectiſſima vxor inter primi partûs labores vnâ cum filiolo expirauit. Tot igitur tantiſq; ærumnis vndiq; circumuentus nõ ſemel de deſerendâ patriâ cogitauit, Vir alioqui prudentiſſimus & imperterriti animi. Non erit ab inſtituto noſtro alienum hìc adſcribere elegantiſſimum carmen, quo ille ſortis ſuæ iniquitatem fatorumq; ſæuitiam accuſat & lamentatur.

Ergo dira lues hominum, ac immitia cælo
Nos vitam externo ducere fata trahunt?
Nec tantùm affines, notos, dulceſq; penates,

Atq;

Atq; lares proprios dira valere jubent?
Verùm etiam (heu pietas nimium eſt nimiumq; reluctans)
Maternos cineres, oſſaq; ſacra Patris?
Fraternoſq; artus, quos tinxit ſanguine ferrum,
Quos & adhuc lacrymis lumina noſtra lauant?
Teq; tenelle puer, dulcis ſpes vnica prolis,
Qui fatum enixâ cum genitrice ſubis?
Ergo me miſerum vobis, dulciſsima vitæ
Portio, & hoc tumulo ſemper abeſſe volent?
Saltem extrema priùs (liceat) figam oſcula ſaxo,
Atq; iterum lacrymis oſcula miſta: vale.
Et manes ſaluete ſacri: diuellor ab vrnâ,
Hincq; oculis madidis impia fata trahunt.
Æthere felici potiemur nos ſimul, vno
Etſi non dabitur marmore membra tegi.

Proſcriptis ac diſſipatis hoſtibus cæpit vitam paulò tranquilliorem degere: rediitq; ad diu intermiſsa bonarum literarum ſtudia. Quarum amore tam feruido captus erat; vt pleraſq; noctes inter libros inſomnes tranſigeret: vixq; reperias vllum Veterum Auctorum, quem ille ad verbum non legerit. Solebat autem inter legendum ſemper excerpere, & in Aduerſaria referre: quorum ingentia volumina tam ad juriſprudentiam, quàm ad ſcientiam naturalem, & philologiam ſpectantia reliquit. Non igitur mirum ſi doctiſſimi Viri nomen longè lateq; peruagatum alpes etiam ipſas penetrauerit, & ad munificentiſsimi Principis Ferdinandi Archiducis Auſtriæ, deinde Imperatoris auguſtiſsimi aures peruenerit. Qui eum non modò am-

plis muneribus ob carmina in ſui laudem compoſita donauit; verùm etiam per Hieronymum Porcilæ Comitem, tunc apud ſe Legatum Pontificium, vt à ſanctioribus conſilijs ſibi adeſset, allicere non ſemel tentauit. Quam quidem auſpicatiſsimam occaſionem ſi non neglexiſset, irritum fortaſsis non ceſsiſſet præſagium duorum inſignium aſtrologorum, qui ejus horoſcopum examinârunt, ipſum nō ſine juriſdictione & dominio aliquo moriturum. Tandem, cùm priori vxore defunctâ matronam Patauinam duxiſset ex nobili familiâ Genâ, nunc extinctâ, Leuirumq; cælibem cerneret, ideoq; omnia illius bona ad vxorem ſpectare, aſsiduis quoq; illius precibus fatigatus, domum Patauium tranſtulit Anno M. DC. VI. vbi & Ciuitate donatus, & cunctis acceptiſsimus vixit vſq; ad An. M. DC. XXII. quo fatis pio exitu conceſsit Die II. Martij, relictis ſeptem liberis, tribus fœminis, & quatuor maribus, Hieronymo ſcil. Carolo Phil. & Med. Doctore, ſcientiâ rerum naturalium, ac in primis Rei Herbariæ celeberrimo, juxtaq; Viro humaniſsimo, Iacobo-Laurentio, ac Rudolpho. Elatus in ædem Diui Auguſtini in ſepulcro Leuiri ſui conquieſcit. Filij hoc ipſi pietatis monumentum ſtatuêre.

D. O. M.
IOANNI-MARIO AVANTIO,
PATRICIO RHODIGINO, PHILOLOGO ET POLYHISTORI INSIGNI, NON MINVS NATVRAE QVAM IVRIS CONSVLTO, PATRI OPTIMO ET DESIDERATISSIMO HIERONYMVS, CAROLVS, IACOBVS-LAVRENTIVS, ET RVDOLPHVS FILII MOESTISSIMI P.
VIXIT ANNOS LXXII. MENS. VI. DIES VII.
OBIIT AN. M. DC. XXII. DIE II. MARTII.

Facie

Facie fuit liberali, procero ac robuſtiſsimo corpore, moribuſq; ſimpliciſsimis & priſcâ ætate dignis. Libet hìc referre ſingulare pietatis ejus exemplum, cui ſimile hoc noſtro ſeculo vix reperias. Structæ erant ijs ipſis, qui ejus fratrem interfecerant, ab hoſtibus inſidiæ, abditis facinoroſis aliquot hominibus eâ viâ, qua eos rure redeuntes trãſire mos erat. Quod cùm ipſi innotuiſset, miſso religioſo Capucino, eos monuit, ne illâ die, ſi vitam ſaluam vellent, Rhodigium venirent: deinde ſicariis illis ſignificauit, detectas eſse inſidias, ideoq; properè ſolum verterent: mox ineundæ inter illos pacis præcipuus auctor fuit. Quantum eloquentiâ valuerit, vel inde facilè colligere licet, quòd extremis vitæ ſuæ annis proprij filij, qui interfecto villæ ſuæ parocho reus capitis agebatur, cauſam tantâ vi & felicitate dixerit, vt eum judices liberum pronuntiauerint. Primus in Patriâ inſtituit Iuris conſultorum collegium, quo Ciues à plebeis diſtinguerentur: quamuis poſtmodum in pejus recidentibus rebus nimio quorundam fauore infimæ ſortis nonnulli in nobilem illum cœtum admiſsi fuerint.

Extant apud Filios Manuſcripta hæc ejus Opera.

Hiſtoria Eccleſiaſtica à Lutheri apoſtaſi ad ſua vſq; tẽpora.

Tractatus de Partu Hominis: quem fato præuentus ad vmbilicum perducere non potuit.

Conſilia quamplurima de rebus Ciuilibus & Criminalibus.

Carmina latina & italica penè innumera.

Edita quoq; ſunt non pauca ejus carmina: in primis *Poëmation italicum*, quo *Lampyridis ſeu Noctilucæ metamorphoſim* elegantiſsimè cecinit, Ferdinando II. inſcriptum.


FABIVS PACIVS VICENT.
PHILOSOP. ET MEDICVS.

FABIVS PACIVS.

PACIA domus Arimini antiqua & nobilis, Anno M. CC. XCVI. Vicentiam traducta, Patauij etiam floruit ex decreto D. Melchioris Triuiſani Poteſtatis Patauini Anno M. CCCC. XCI. XXIX. Iunij: in quo Io. Donatus Pacius à Bergâ Catharinæ Polcaſtræ nobili fœminæ matrimonio junctus inter ciues Patauinos receptus eſt: cujus filus Melchior Paulũ genuit, ex quo Fabius ac Iulius prodierunt. Familiæ Paciorum cognomen dedit Vicẽtinæ vrbis vicus, qui meridiem verſùs collem Bericam reſpicit: quo etiam Iulius apud exteros inclaruit. *Berga* verò Montem ſignificat Germanis. Cujus gentis reliquiæ adhuc magnis priuilegijs vicinos ciuitatis Vicentiæ montes habitant. Huic à Fabio is gloriæ ſplendor acceſſit, eaq; illuſtris celebritas; vt non inter Vicentiæ ac Lombardiæ limites, in quibus ille natus & educatus, ſed per cultiores Europæ partes altiſsimæ doctrinæ & virtutis famâ diffundatur. Partu nempe vt portentoſo ſic & ingenio naturam virum dedit: quem Paulo Lucretia Angiolella ſeptimo menſe à conceptu Anno M. D. XLVII. filium tulit: fœmina illuſtris familiæ tum annorum ſerie, tum fratrum meritis: quorum Antonius Maria Eques, Academicus, & Orator claruit, Io. Paulus profundi judicij laude, & inſigni literarum cognitione patriam ornauit. Prima politioris litera-

turę fundamenta cùm Fabius à Gripholo Philenio ac Violâ, claris eo ſeculo magiſtris in patriâ accepiſſet, ætate progreſsâ in Gymnaſium Patauinum vnà cum Iulio fratre mittitur: vbi diuerſâ genij propenſione, hic ad Iuriſprudentiam, ille ád Medicinam omni curâ contendebat. Logicæ primùm hic noſter, mox Philoſophiæ operam dedit: in qua à ſummis illius ętatis profeſſoribus Pendaſio, Franc. Piccolomineo, & Iacobo Zabarellâ, quicquid notitiâ dignum deſiderari potuit, feruore ingenij, aſſiduitate ſtudij, & vigilijs hauſit. Tota ejus cura verſabatur in peruoluendis Philoſophi interpretibus: nihil ad vitæ floreſcentis illecebras impendebatur, ſed lectioni perpetuæ ita ſe mancipauerat non ſine valetudinis diſcrimine, vt pater, quem ſũmopere diligebat, filiũ à literis ſæpius retraheret. Perceptis jam naturalis ſcientiæ arcanis ad medicinam eodem ingenij calore ſe contulit: nec minori profectu. Clariſſimos enim Viros Hieronymum Mercurialem, & Bernardinum Paternum, tunc in Patauino Lyceo magno applauſu profitentes publicè auſcultauit; priuatim artis Principes Hippocratem & Galenum non modò legit, ſed triuit. Nec tamen grauioribus ſtudijs ita implicitus fuit vnquam, quin literarum humaniorum & gręcæ eloquentiæ oblectamentis, non quod vulgo fit, animi gratiâ, ſed ad penitiorem ſublimiorum rerum cognitionem, non parum temporis impenderet: quo nomine etiam hebræas literas didicit. Muſarum hoc conſortium ne ſibi friuolum oſtenderet, cùm ſemper in qualibet arte id ſummi ſit ingenij gloriæ faſtigium quærere; Poëma dramaticum etruſco ſermo-

ſermone *Eugenij* titulo non minori elegantiâ, quàm artificio contexuit. Pataiuij ita ſeptennium virtuti & literarum ſtudijs cùm impendiſſet, magnâ ſui nominis gloriâ Philoſophiæ & Medicinæ Lauream promeruit die IX. Iunij An. ſalutis M. D. LXXV. His ingenij monumentis patriæ redditus, ſedulam languentibus operam præſtitit, non prætermiſſis amœnioribus ſtudijs. Academia hìc ſæpius nunc ſolutâ nunc ligatâ oratione dicentem audiuit. In pangendis præcipuè carminibus mira inerat ei facilitas & dulcedo, vt poſtquam multis retro annis ſe ſcholis abdicâſset, cùm in Academiâ Olympicâ argumentum, celebri Theatro dignum, quæreretur; poſthabitis aliorum Poëmatijs, Fabio cura imponeretur, vt Sophoclis Oedipum latino donaret. Sed ne ad ſpeciem omnia fierent, ſerias etiam de Re Poëtica lectiones habuit, pariterq; de rebus Philoſophicis, ac Medicis: quibus multa de Ventorum origine, plura Mathematum demõſtrationibus adſtructa ingenioſè protulit. Ex medicinâ dextrè adminiſtratâ creſcente jam in dies re familiari, ne familiæ ſuæ tam nobili deeſſet; abſente præſertim extra Italiam Iulio fratre, conjugem ſibi delegit Helenam Zugianam, quæ ipſi quatuor filios Fauſtum, Fabricium, Flauium, & Ferdinandum tulit. Horum educationem ſedulò curauit. Nunquam tamen deſes fuit ciuium languoribus diligenter tollendis: quibus animo miſericordiæ & humanitatis pleno ejus auxilia implorantibus ſuccùrrebat. Quod munus grauiſſimum etſi hominem ferè totum occuparet; alieni tamen commodi ita ſtudioſus fuit, vt in gratiam amicorum ſuorum domi ſuæ Philoſophiam,

ac Medicinam doceret,imò & Anatomiam magno ſpectatorum concurſu publicè perageret. Intima præterea naturæ viſcera penitus explorauerat, metallorum, ſtirpiumq́; vires & facultates tam incredibili ingenij acumine peruiderat; vt morbos omnes vel deſperatos, & opinione hominum inſanabiles, audacter & bono euentu aggrederetur, eâ nominis famâ, vt Veterum medicinam ad noſtræ ætatis vſum reuocâſſe diceretur. Interea poſteritatis memor nobiliſſimis Galeni de Methodo medendi libris de ſuo ingenio lucem attulit domeſticis meditationibus: quas non intermiſit, etiamſi ſuadente Alexandro Maſsariâ, primario Lycei Patauini Medicinæ profeſsore,alijſq́; cl. Viris ſe Venetias cum familiâ contuliſset, vt vberiores ſuæ artis fructus in ſplendiſſimam vrbem conferret. Nec defuit conſilio euentus. Viris enim nobilibus tam gratam præſtitit operam; vt intra annum tria ducatorum millia confecerit. Verùm à Patriæ Decurionibus reuocatus tam ſplendidam, quæ affulgebat, fortunam relinquere maluit, ſeu patriæ amore, ſeu otio literario accenſus, omnium cum admiratione,poſtquam in vrbe locupletiſſimâ annum egiſset,ad patrios lares anno jam ætatis quadrageſimo tertio ſe conuertit. Hic ille felici prole auctus ſuas cogitationes medicas in Galenum perfecit: quarum vnam partem Patriæ ſuæ, alteram aliquot poſt annos Iudicum Collegio inſcripſit. Decurionibus Hippolyto Bancâ,Pyrrho Montiâ, Io. Baptiſta Carcannâ Doctoribus, Odorico Poyanâ, Carolo Thieneo, Leonardo Valmaranâ, Guido Arnaldo, & Benedicto de Seſso aureum torquem laboris precium

habuit.

habuit. Hos, dum librum offerret, tali carmine filij Ferdinandi voce Auctor compellauit.

Quò me veſtrarum rapiunt inſignia laudum,
Quò ſplendor vocat, & nulli non cognita virtus.
Huc feror, ò ſummi Proceres, quibus æqua tueri
Iura datum eſt, atq; ancipiti fas pendere lance.
Si vos Pacis amor, ſi vos riuerentia legum
Sacra tenet, pulchraſq; animum verſatis in artes,
Hos Pacis fructus, interq; negotia curis
Otia parta meis, generoſo pectore læti
Excipite, exiguum mihi non ſudore peractum
Exiguo fœtum: veſtriſq; fouere parate
Auſpicijs, tanto vt perfuſus lumine terras
Spernat, & ætherij conſcendens ardua Cœli
Æternum veſtro referat de nomine nomen.

Cæteris etiâm Viris conſultiſſimis acceptum fuiſſe donũ ejuſdem generis munere nihilo inferiori oſtenderunt. Vtrumq; ſanè eâ animi lætitiâ tulit; vt eo fauoris indicio, quod viuus geſſit, Iconem ſuam iure honeſtandam cenſuerit. Vulgatis ſui ingenij hiſce monumentis, cùm cl. Virorum citra & vltra alpes ob elegantiam & germanum Galeni ſenſum ſuffragia meruiſset, ita ejus in medicinâ auctoritas increbuit; vt non ſolùm Venetias, alioq; ad diuerſorum Principũ valetudinem euocaretur; ſed etiam ad eum multi accederent: partim vt ſaluti conſulerent: partim vt de rebus medicis eius ſententiam audirent, ac virum hunc celeberrimum coram agnoſcerent: partim, vt ſuas lucubrationes ejus cenſuræ ſubijcerent. Nec ſanè domus Viri

iſti honori impar, magno Vrbis ſplendore, eleganti ſupelle ctile, familiâ, cæteriſq; ad ornatum inſtructa, quam eruditorum concurſus frequentaret. Communi enim hominum judicio eâ ætate practicæ medicinæ primas extra aleam tulit. Inde crebis exterorum ſalutationibus ſingularis ei honor habitus. Obſeruantiam manu teſtatam reliquerunt Medici in Germaniâ, imò in extremo Septentrione ſcriptis ac medendi peritiâ celebres, dum Patauij Apollini, & Hygiæ litarent, Petrus & Michaël Viroti fratres Mombeligardẽſes, Georgius Heniſchius medicus Auguſtanus, Elias Bonuinius Vratiſlauienſis, Laurentius Hofmannus Hallenſis, Paulus Ieniſch Auguſtanus, Henricus Nagel, & Federicus Seyller Vratiſlauienſes Sileſij, Villielmus Simonides Stettinenſis, Ducis Pomeraniæ medicus, Stephanus Geiger Noricus, VVendelinus Fung, Gaſpar Bartholinus Danus, profeſsor Regius, Godfridus Vogler Francofurtenſis, Eraſmus Poſthius, Ioannis ſummi Poëtæ filius, Chriſtophorus Stymmelius Francofurtenſis, Ioannes Scherhagg Viennenſis Auſtriacus, Conradus Hofmannus Friburgenſis, Io. Henricus Kirchberger Noricus, Hieronymus Scholerius, & Marcus Videmannus Auguſtanus, Caroli Videmanni Medici filius. Hac famæ celebritate ad Gymnaſium Ticinenſe magno honorario inuitatus, cùm conditionem recuſâſset, parario Iacobo Gallo Patauij, Iuris Ciuilis profeſsore primario mille aureorum ſtipendio, præter viaticum, Meſsanam vocatur. Conſilij anceps, dum moras necteret, literis Æneæ Vizani Profeſsoris Medici & Pendaſij Philoſophi Primarij Bono-

niam ad primam practicę medicinæ ſedem ſtipendio nongentorum coronatorum expetitus fuit. Quæ quidem cómoda tam ampla patriæ, familiæ, & prolis numeroſæ ſtudio mirâ animi moderatione præterijt. Munus etiam Archiatri perhonorificum à Sereniſſimo Polonię Rege oblatum gloriæ ſecurus modeſtè renuit. Ita ſibi, ſuiſq; viuere maluit, ſuâ fortunâ contentus, vt etiam defunctâ vxore, ſecundas nuptias contraxerit cum Eleonorâ.... quæ ipſi familiam tribus filijs auxit. Compoſito interim animo cum ipſâ vixit, non minùs contemplationibus medicis, quàm operibus artis ſedulò addictus. In primis verò Conſilijs adeò felix, vt ad ipſum veluti ad oraculum tam collegæ, quàm ægrotantes recurrerent. Seueriores tamen hoſce labores mitioribus ſtudijs horis ſubciſius ita temperauit, vt omne ferè literarum genus attingeret, ac præcipuè SS. Patrum lectioni extremos annos daret: quibus hiſtoriam Eccleſiaſticam ſeriò junxit. Imò eâ curioſitate etiam in Iuriſconſultorum caſtra tranſierat, vt ſummâ cum admiratione omnium ſuum de Fideicomiſſis animum plenè ac eruditè aperuerit. Amicos eximiâ hac ſuâ virtute ſibi parauerat innumeros eruditionis famâ clariſſimos, Hieronymum Mercurialem, cujus ad Fabium Reſponſa Medica, Hieronymum Fabricium ab Aqua pendente, Æmilium Campolongum, Æneam Vizanum, Alexandrum Maſſariam, Gnocum Veronenſem, Medicos celebres: Iacobum Gallum, M. Antonium Pellegrinum, Iuriſconſultos, Iacobum Zabarellam, Federicum Pendaſium, Franc. Piccolomineū, Philoſophos: & Paulum Gualdum I.C. & Patauinum

num Archipreſbyterum. Verùm vt humana, dum in ſummo ſunt, plerumq; franguntur, ita dum Fabius poſt varios in patriâ honores ſuo ingenio jam ſupremo felicitatis gradu ſubſiſteret, nec quicquam ejus gloriæ deeſset, quàm vt Sereniſſimæ Reip. Venetæ in ſuſcipiendâ ſupremâ Medicinæ practicæ Cathedrâ apud Patauinos morem gereret; en morbo correptus totum ſe diuinæ voluntati obſequioſum præbuit, eâ mentis conſtantiâ, vt cùm vndecimo Octobris M. DC. XIV. die horâ XVIII. inſtaret ſolis deliquium, jam morti vicinus de feneſtrâ luminis defectū conſpicere voluerit: cujus voti cùm compos factus fuiſset, in lectulum ſe reponi iuſsit, addens ſuo deſiderio jam ſatisfactum, ſeq; læto animo diſceſsurum. Quod die ſequenti magno omnium dolore euenit: poſtquam ſexaginta ſex annos exegiſset, Vir optimi temperamenti, etiamſi ſtaturâ exiguus: magnanimus quidem ac ſplendidus, omnibus tamen facilis, & inſigni morum comitate gratus, ad omnem fortunam compoſitus: quod Emblemate Academico operibus prefixo teſtari voluit. Liberorū præterea educatione diligens atq; accuratus, quos vidit omnes ſtrenuos paternæ virtutis atq; exiſtimationis æmulos. Fauſtus enim natu major cùm Philoſophiæ & Medicinæ laureæ eſset vicinus, juuenis febre malignâ cum inſigni Parentis mœrore obijt. Fabricius, patri ſuperſtes, paterniſq; veſtigijs inſiſtens magnâ celebritate poſt ſuorum ſtudiorum honores in patriā medicinam fecit, vbi auctâ ſatis familiâ diuturno ſuſpirij malo prouectâ ætate interijt. Fuluius Templi Cathedralis in patriâ Archidiaconus inſigni pietate ac vitę inte-

integritate non ita dudum diem clauſit. Supereſt Ferdinandus nobiliſſimo Iudicum Collegio ob ſingularem Iuris ſcientiam enumeratus, verum paternæ domûs columnen ac ornamentum. Reliqui generis ſui ſplendorem egregiè ſuſtinent. Acerbam optimi patris iacturam ſupremo proſecuti officio, ſolenni pompâ in Æde S. Michaëlis Vicentiæ apud majores funus curârunt. Alexander Maraſottus Collega & diſcipulus eleganti oratione alijq; magno numero diuerſis elogijs defunctum laudârunt.

Præter *Commentaria in ſeptem de Methodo Galeni Libros*, non edita apud cl. V. Ferdinandum Pacium adhuc ſeruantur.

Liber I. Homeri Iliad.

Diſſertatio in laudem Belli.

Oratio, quam præmiſſurus erat Practicæ Medicinæ Profeſſioni in Gymnaſio Patauino.

Septem Pſalmi Pænitentiales etruſco carmine.

Carminum Volumen tum latino tum etruſco idiomate.

IVLIVS



IVLIVS PACIVS D. MARCI
EQVES PHILOSOPH. ET I.C.

IVLIVS PACIVS.

DIuerſo vitæ inſtituto, non inferioribus ornamentis, gentem patriamq; ſuam illuſtrauit IVLIVS PACIVS. Qui triennio minor Fabio An. M.D.L. in lucem editus, ingenium politiorum literarum ſtudijs pari cum fratre contentione excoluit: eoq; profectu; vt juuenis nondum exacto tertiodecimo ætatis anno Arithmeticæ libellum magnâ facilitate conſcripſerit. Patauium ad altiores meditationes miſſus, ibidem Logicam & Philoſophiã vnà cum Fabio, mox Iuriſprudentiam à cl. Viris Marco Mantuâ, Tiberio Deciano, Matthæo Gribaldo, & Guido Pancirolo didicit. In patriam reuerſus cùm diuerſos ſcriptores profanos curioſè euolueret, ac de ijs omittendis ſeueriùs à Recognitore admoneretur, juuenis ille conſiliorum expers, & amicis deſtitutus, quò fata ferebant per Alpes Rhæticas ad Lacum Lemannum contendit. Hìc ille ſapientiſſimi Biantis viatico inſtructus, quas poſſidebat animi dotes, ſibi præſidio eſſe experiebatur. Primis nempe annis ijs artibus, quibus ad ſapientiam peruenitur, alios informauit; donec editis ingenij documentis in Viros tranſcriptus, publico docendi munere ornaretur. Atq; ſic magnorum Virorum amorem promeruit, vt nobilem Lucenſem vxorem ſibi ſelegerit, quæ decem natorum patrem fecit. Interea in Academiam Hei-

delbergenſem euocatus, eo in loco Organici profeſsoris titulo & ſtipendio Organum Ariſtotelis interpretatus eſt. Cùmq; linguâ Græcâ plurimùm valeret, ſummi Philoſophi opus hoc ita triuit; vt non ſolùm germanum & planiorem ei ſenſum reddiderit, ſed notis & commentarijs vberrimis magnâ facilitate illuſtrauerit: quę eruditorum manibus quotidie præſertim vltra alpes verſantur. Ad Philoſophiam poſtea prouectus, tantâ celebritate & diſcipulorum concurſu prouinciam hanc ſuſtinuit, vt meritò nominis ejus fama vbiq; ſe diffuderit: maximè cùm præclariſſimos Commentarios in pleroſq; Philoſophi Libros mirâ eruditione refertos in publicum miſiſset. In Pannoniam inde magno honorario accitus Ius Ciuile, illis regionibus magis neceſsarium, ſummâ diligentiâ & curâ docuit. Hinc altiſſimi ingenij eos dedit fructus, vt jam non ſolùm Libris Philoſophicis, ſed Iuridicis etiam inclareſceret. Hi verò cl. Virorum judicio ſic approbati fuerunt, varijſq; in locis denuò excuſi; vt publicis doctorum ſuffragijs non ſolùm Peripateticæ doctrinæ palma, ſed & Iuriſprudentiæ meritò ipſi adjudicata fuerit. Cæterùm Galliæ dulcedine & ſublimi eruditionis famâ inuitatus, amicorum conſilio paruit, quorum literis crebrioribus ſolicitabatur. Nouam Henricus Dux Bullioneus Academiam Sedani aperuerat: vbi cùm Pacius docuiſset, editis in vſum iuuentutis Inſtitutionibus Logicis, ob belli rumores, poſt exiguam ibi moram, ad Alloborges redijt. Inde Nemauſenſi Gymnaſio præfectus, poſtea in celeberrimo Montis Peſsulani Gymnaſio Regiam Cathedram obtinuit. Quo in munere

ali-

aliquandiu acclamantibus ſtudioſis omnibus eò vſq; progreſsus; vt in eo ætatis flore ipſâ doctrinæ grauitate & maturitate magis magiſq; vulgarem opinionem excederet: quam ad Aquas Sextias tranſlatus, dum Ius Ciuile traderet, pari cum laude ſuſtinuit. Tandem Valentiam profectus, in eo Gallicæ virtutis Lyceo voce & calamo præclara ingenij ſui & digna omni immortalitate ornamenta reliquit. Hîc ſuo merito ciuitatis jure donatus, & Regis Chriſtianiſſimi conſiliarijs adſcriptus, annuo ſexcentorum coronatorũ honorario Conſilio Gratianopolitano adſciſcitur. Quo in loco ſic vniuerſos ferè Iuris Ciuilis Codices vel Commentarijs vel Notis dilucidauit; vt fidem pene ſuperet, Virum hunc inter domeſtica negotia & publica munera tam ingentem Voluminum molem confeciſſe. Cujus laboris ſolidum conſecutus fuit fructum, ampliſſimâ ſui nominis famâ per cultiores Europæ partes diuulgatâ. A Magno .n. Etruriæ Duce in Gymnaſium Piſanum deſideratus, à Potentiſſimis etiam Belgiarum Ordinibus mille aureis inuitabatur, vt ſine docendi onere Academiam Lugdunenſem magnis doctrinæ ſuæ ornamentis condecoraret. Variâ nempe pollebat, præter Iuris Ciuilis & Canonici ſcientiam, omniũ literarum notitiâ: linguæ Latinę, Græcę, ac Hebraicæ gnarus: in Mathematicis non mediocriter verſatus: Poëtarum amœnitatibus ſatis indulgens: omnis hiſtoriæ peritus: quodq; rarum homini negotijs ciuilibus occupato, Sanctorum Patrum lectioni, & Hiſtorię Eccleſiaſticæ plurimùm deditus. Diuerſarum rerum memoriam procul dubio artis Lullianę conſeruauit benefi-

cio: cujus aliquot inſtituta edidit.

Defuncto Iacobo Gallo Gymnaſij Patauini primario Iuris Ciuilis profeſſore, ſapientiſſimi Senatûs Veneti decreto IVLIVS noſter in ejus locum annuo ſtipendio mille ducentorum coronatorum & quadringentorum viatico Anno M.DC.XVIII. Die XV. Ianuarij inuitatur. Benignâ adeo ſui memoriâ recreatus ille, Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ elegantem *de Antiquo Jure Adriatici Maris* libellum præmiſit. Quod obſequium fuiſſe gratiſſimum, nouâ Senatus beneficentiâ planè oſtendit, editâ ſententiâ, qua Iulio aduentanti equeſtris dignitas torque aureo trecẽtorũ coronatorũ decernitur. Ne itaq; tam amplam de ſe expectationem moraretur, annum agẽs ſexageſimũ octauum, relictâ familiâ præter Iacobum filium viæ ſocium difficilimis itineribus in Italiam contendit. Iamq; vix Lombardiam intrauerat, cùm ad tanti Viri conſpectum miro applauſu promiſcuè omnes turmatim effunderentur, Ciuilis prudentiæ oraculum rati, maximèq; Vicentini ciuem ſuum ſingulari comitate exceperunt. Nec Veneti vllum humanitatis extremæ ſignum intermiſerunt. Pleno namq; Senatu honores jam antea decretos ei conferunt: Filium etiam in profeſſorum Iuris Ciuilis numerum adſcribunt, magniſq; pollicitationibus vtrumq; Patauium dimittunt. Hoſpitem tanti nominis gratiſſimum declarauit vniuerſa Ciuitas: nec vllus erat virtutis æſtimator, qui accedenti nõ occurreret, qui intranti non aſſurgeret. Illuſtriſſimi Vrbis Rectores Virum ſe ex more ſiſtentem omni fauore proſequebantur, Doctores communem præceptorem ſaluta-

lutabant, venerabatur juuentus, ciues reliqui mirabantur. Die Orationis ſolennitati indicto, Auditores nouo exemplo magnâ ſolicitudine ſcholarum ſubſellia occupârunt. Nec ſpe vanâ. Argumentum enim noui Doctoris varietate animos mirificè capiebat, dum vniuerſam vitæ & itinerum rationem ad vnguem memoraret. Iamq; ea fuit de ipſo omnium opinio; vt ſemper in poſterum confertâ auditorum coronâ è ſuggeſtu diceret. Comitate, præterea, mirâq; morum facilitate ſtudioſam juuentutem in ſuas partes facilè pertraxit, nihil intermittẽs ad tanti loci dignitatem verè tuendam. Splendidum nempe domiciliũ prope ędem S. Danielis habuit: vnde ſæpius vicinũ noſtrũ S. Mariæ templum in Vantio viſitauit: quod neceſſitudinis noſtræ initium fuit. Virum inueni quadratâ corporis formâ, ſtaturâ mediocri, lætum, & blandè loquentem, non faſtu turgidum, ſed placidum, meraſq; elegantias ſpirantem. Ea ipſi erat oculorum acies, vt quoties in meo Muſeolo conquieſceret, adſcriptos cl. Virorum Iconibus titulos eminus abſq; ſpecillis aſſequeretur: quod Iacobo filio juueni à viſûs imbecillitate negatum erat. Plura mihi de ſuâ vitâ, de ſuis ſtudijs familiariter diſſerebat: inter cætera quotidie ſe XII. horas libris impendiſſe. Sed jam ætate grauis, perpetuâ familiæ ſuæ ac filiorum, nec non amicorum non minùs, quàm aëris & victûs veteriſq; conſuetudinis memoriâ, exacto vix anno, ingentis deſiderij vt compos fieret, impetrato ab Illuſtriſſ. Gymnaſij Moderatoribus in Galliam reditu, antiquam ſedem repetijt. Ciuem reducem gratulabundi ſuo loco reſtituerunt Gymna-

ſij

ſij Valentiani Præſides: quem mille coronatorum ſtipendio vſq; ad decrepitam ſenectutem firmâ ſatis valetudine tenuit.

Filios quatuor omnes Iuris vtriuſq; Laureâ ornatos vidit. Laurentius, & Iuſtus Iulius præcipuis Cathedris in Galliâ expetiti, immaturo fato è viuis diſceſſerunt: Paulus ſummo ſplendore familiam ſuſtinet, ex quo nepotes Iulio cariſſimi. Iacobus literis & armis clarus, poſtquam cum patre ex Italiâ redijſſet, ab Epiſcopo Valentiæ Iudicis dignitatem Diuioni obtinuit, quam ſummâ cum laude gerit. Iulij quoq; conſilio & familiaritate vſus Antiſtes beneficium eccleſiaſticum abſq; animarum curâ bis mille coronatorum emolumento, vxore jam defunctâ, ei conferre voluit: ſed ille magis rei ſacræ veneratione, quàm vtilitate honorificum munus recuſauit. Filias ſuas Venturinam, Lauiniam, Iſabellam, & Ioannam cl. Viris & Iuriſdictionem habentibus in matrimonium locauit. Sic ille proſperâ nepotum ſerie lectiſſimos ſui conjugij fructus percepit. Pacia nempe domus ex Fabio & Iulio vndecim diuerſarum artium Doctores vno ſeculo tulit. Summæ autem felicitatis acceſſio ea fuit penè ſingularis, quod tam commodè egerit extremos annos, vt cygneâ voce cecinerit:

Hactenus aduerſam expertus ſortemq́; ſecundam,
Euaſi inuictus.

Quam ſanè animi conſtantiam ſymbolo familiari profitebatur, literis vocum primoribus Pacium Vincentium I. C. ſignificantibus.

PAX VIVIS IN CHRISTO.

Quo

Quo etiam annis octóginta quinq; vitam varijs fortunę vicibus tentatam placidè pièq; in Chriſto clauſit, ſalutis humanæ M. DC. XXXV. Valentiæ: ibiq; ſummo omnium honore conditus. Vitæ ſuæ curſum Iulius Pacius hiſce verſibus circumſcripſit.

Vrbs genuit, Venetis condens quam Gallus in oris,
Hoſtibus à victis nomen habere dedit.
Pacis vbi, & Berigæ noſtræ cognomina gentis
Clara per innumeros inuenientur auos.
Cum fratre à teneris, iuſſu patris, excolor annis,
Hellados & Latij ſcripta diſerta legens.
Miſſus in illuſtrem poſt hæc Antenoris vrbem,
Et Sophiæ juſsis imbuor, & Themidis.
Tum fatum injuſti fugientem tela furoris
Detulit ad fines, terra Lemanna, tuos.
Tu vitæ ſociam primâ florente juuentâ
Junxiſti: decies me facit illa patrem.
Euocat hinc luſtris tradentem Jura duobus
Pannonia, & retinet tempore penè pari.
Abſtrahor à caris, colui quos ſemper, amicis,
Moribus auerſis, liuida turba, tuis.
Pace peto Moſam, mox linquo bella gerentem,
Antiquo Allobrogum reddor & hoſpitio.
Sed ſi hinc pertraxit Rectoris læta Nemauſus
Imponens humeris munera cuncta meis,
Cur reuocas? præſtare vetant, en optime Princeps,
(Parce piæ menti) juſſa ſuperba fidem.
Non tamen inuitus retinebor tempore longo:

Auro

Auro libertas gratior eſſet ſolet.

Excipit hinc igitur vicina Academia, tandem

Sede Placentini, Rege jubente, locans.

Hactenus aduerſam expertus ſortemq́ ſecundam,

Euaſi inuictus. Scire futura nefas.

Ingenium Viri teſtantur hæc monumenta

Philoſophica.

Inſtitutiones Logicæ in vſum Scholæ Sedanenſis priuſquam Minerua Marti cederet.

Organum Ariſtotelis grecum & latinum cum notis.

Idem cum notis & commentarijs.

Rudimenta Logica.

Phyſici Libri VIII. græci & latini cum com.

Libri de Cælo græci & latini com. illuſtrati.

Libri de Animâ græci & latini cum com.

Doctrinæ Peripateticæ Tomi tres. Primus Logicus. Secundus Philoſophicus. Tertius Politicus.

Logicæ Diſputationes.

Ariſtot. de Cælo cum notis perpetuis.

Iuridica.

De Contractibus Tractatus VI.

Com. ad tit. Cod. de rebus creditis, ſeu obligationibus, quæ re contrahuntur.

Centuriæ aliquot.

Iſagoge in Inſtitutiones Imp. Lib. IV.

Item notæ in eaſdem.

Epitome Juris ſecundùm ordinem Inſt. Imp. digeſta.

In Decretales Lib. V.

De Juris Methodo Lib. II.

Synopſis Juris ciuilis &c.

Com. ad Lib. IV. Cod. de obligationibus & de rebus creditis.

Libellus de Jure Maris Adriatici.

De Arte Lullianâ.

Oeconomia Juris.

Com. in Tit. de pactis & tranſactionibus.

Analyſis V. partis Digeſti.

Picturæ II. de gradibus ſecundùm Jus Ciuile, & Canonicum.

Item Tractatus de Gradibus Affinitatis.

Editio Corporis Juris ciuilis cum notis & Legum argumentis.

FEDERICVS CERVTVS.

VEronenſis græcas & latinas literas, ex puriſſimo optimorum ſcriptorum fonte in Italiâ & Galliâ hauſtas, illuſtribus diſcipulis humaniſſimè refudit, longeq; per quinguaginta annos labore in ijs inſtruendis exacto ſupremum gloriæ culmen hoc ſeculo inter Grammaticos & Rhetores obtinuit. Tanta namq; ejus fama erat in educandis ritè adoleſcentibus; vt Vrbem illam celeberrimam ſua ſchola ferè in Gymnaſium publicum transformaret. Bibliothecam habuit non vulgarem

pluribus manuſcriptis codicibus auctam: quorum indicem Ioanni Rhodio debemus, quem nos aliquando in BIBLIOTHECIS EXOTICIS dabimus. Diſciplinæ ſuæ alumnos reliquit is innumeros: inter quos duo maximè conſpicui occurrunt, Cozza Cozza archipreſbyter, vir ad vnguem factus, & Aloyſius Nouarinus, Theatinæ Sodalitatis decus, atq; inter Eccleſiaſticos ſcriptores nemini ſecũdus: cujus potiſſimùm in gratiam Cerutum clariſſimũ & abſolutum omnibus numeris Virum libenter hìc memorare volui, non alijs laudibus, quàm *Commentariorum elencho*, quæ eruditis probata leguntur. Obijt ſenectute, & difficultate vrinæ confectus ætatis anno LXXIX. relicto filio Benedicto, claro & ſpectatæ formæ medico: qui, poſtquam arte medicâ & vulgato *Calceolarij Muſeo* inclaruiſſet, Anno M. DC. XX. ſenex viuere deſiit. Ejus pietate parenti erectum hoc in Templo cathedrali monumẽtum.

AVE
PATER FEDERICE CERVTE.
PATER ERVDITIONIS OMNIS LIBERALIORIS.
PARENS
INCOMPARABILIS MEMORANDE.
PROMERITVMQ. HVNC TITVLVM
AETERNVM
A FILIO PIENTISSIMO
BENEDICTO CERVTO MEDICO PHYSICO
HABE.
ANNO M.DC. XI. XIX. CAL. FEBR.
QVI DIES FINITIONIS EIVS FVIT.
VIXIT AN. LXXIX. M. V. D. IIII.

VIN-

VINCENTIVS CONTARENVS.

VEnetijs ortus, adeo in omni antiquitatis ac priſcæ eruditionis ſtudio inſudauit; vt verè ſui ſeculi omnium votis Italiæ Lipſius fuerit habitus. Optimi habitûs placidoq; vultu, ingreſſu graui, omnibus vir ſuauis, atq; ad officia promptus, memoriâ fideli, judicioq; perſpicaci, in rebus omnibus præcipuè modeſtus, M. Antonio Mureto addictiſſimus: à quo Venetijs prima interioris literaturæ initia fideliter hauſerat. Ingenio vt erat acri, ſic Iuſti Lipſij, quæ tunc literatorum orbem recenti famâ impleuerant, monumenta diligenter euoluit, ac honeſtâ contentione ad veritatis amuſſim exegit: cujus adhuc ſuperſunt veſtigia. Nec humanis tantùm literis acquieſcens, ſacræ etiam ſcripturæ lectione plurimùm delectabatur, rebus eccleſiaſticis magnâ parte deditus. Cùm jam ingenij præſtantiâ vndiq; inclaruiſset, à Gymnaſij Moderatoribus Anno M. DC. III. ad publicam Oratoriæ cathedram eligitur. In qua poëtas omnes, hiſtoricos, & inter eos T. Liuium ita clarè ac diſertè explicauit, omnemq; ex ijs medullam, ac penitioris reconditæq; eruditionis documenta digeſſit, ac in penu ſuæ memoriæ repoſuit; vt fermè ex ejus ingenio rariora quæq; eruditionis momenta pendere viderentur. Priuatis etiam in ædibus, nobilibus præſertim Venetis, omnis antiquitatis atq; in primis Romanæ abſtruſiores ſenſus aperiebat: è quibus inter præcipuos Sereniſ-

ſimæ Reipublicæ Senatores nunc plurimùm pollent Angelus Contarenus D. Marci Procurator, & Hieronymus Landus vterq; eques. Aſſeruantur adhuc apud Ioannem Galuanum I.C. celebrem Gymnaſij Patauini lectorem, ac reconditæ eruditionis notitiâ præſtantem; egregij Viri diſcipulum varia harum lectionum fragmenta. Summâ cum laude prouinciam hanc cùm aliquot annis exornâſſet, neſcio quæ ipſum opinio inceſsit à Senatu Veneto emeriti Profeſsoris titulum publico ſtipendio ſibi etiam abſenti jam deberi. Floridâ verò ætate ac vegetâ diuerſam conſilij rationem ſugeſsit Patribus: præſertim cùm extra ditionem Venetam agere conſtituiſset. Expectatione fruſtratum ſe cùm ægrè ferret, Anno M.DC.XVI. à legendi munere abſtinuit, Abbatis Aldobrandini, quem poſtea Cardinalem vidimus, præſertim fauore Romam excitatus, cùm ei Patauij commoranti Hiſtoriarum & Ciuilis diſciplinæ documenta tradidiſset. Amicis ejus reclamantibus, durior nihil cedens, cùm multa circa vetuſtioris hiſtoriæ notitiam elaborâſset, atq; in primis de Antenore, in Iſtriâ Polam ſeriò perluſtrare decreuit. Æſtate verò admodum feruidâ, Auguſti menſe An. M.DC.XVII. cùm eò conceſsiſset, cœli grauitate, mox febre corripitur. Inde Venetias illico tranſlatus, in domo Bonfadini Parochi S. Benedicti cùm ſibi vltimum diem inſtare videret, tot annorum labores ne penitus interirent, Ioannem Galuanum I.C. celebrem, chariſsimum ſibi diſcipulum Patauio accerſiuit. Interea hic patrui morte impeditus, febriq; correptus cùm literis Contareni à patre traditis mi-

nimè

nimè obtemperare poſset; paucis poſt diebus occubuit ille annos natus XL. in æde D. Benedicti honorificè tumulatus. Viri famam extendunt ejus monumenta, quæ ipſe luci commiſit. Cætera cum ſcrinijs ſurrepta nullius adhuc diligentiâ reperiri potuerunt.

Edidit *Orationes tres. I. De Laudibus Virgilij. II. De Eloquentiæ cum arte Militari ſimilitudine. III. in Funere Joan. Sauij.*

Variarum Lectionum liber.

De Re Frumentariâ contra Lipſium. Item *de militari Romanorum ſtipendio.*

IOANNES BARCLAIVS.

BARCLAIORVM familia in Scotiâ olim celebris, hodie rerum viciſſitudine, hæreditarijs prædijs cum dominis ferè perijt. Cujus proſapiæ GVILIELMVS filius natu minor, in Regis Scotiæ aulâ conſumptis adoleſcentiæ annis, quærendæ rei & figendæ fortunæ in Galliam paulò adultior & triginta natus annos venit, cępitq; quam vis ſeriùs, animum ad literarum ſtudia adijcere: quod eâ ingenij felicitate perfecit, vt breui Iuriſprudentiæ doctor à Iacobo Cujacio renunciaretur: atq; ob judicij præſtantiam in Muſſipontanam Academiam, non ita pridem à Sereniſſimo Lotharingiæ Duce inſtitutam, euo-

euo-



IOANNES BARCLAIVS

euocatus, primarij Interpretis munere perfunctus fuerit. Id ei procurante Viro cl. Edmundo Hayo Societatis Ieſu Theologo, Barclaji auunculo, plurimæ apud Ducem auctoritatis. Hic dum in vxorem eſſet ducturus clariſſimam fœminam è familiâ Dominorum de Maleuille, cùm de ejus familiæ nobilitate à Puellę parentibus quæreretur; Iacobi Regis atteſtatione id comprobatũ eſt An. M.D.LXXXII. Die XVIII. Martij literis Dat. Edimburgi ad Sereniſs. Ducem Lotharingiæ.

IACOBVS Dei gratiâ Scotorum Rex omnibus, ad quos hæ literæ perferrentur, ſalutem. Cùm eſset nobis relatum à dilecto noſtro conſanguineo Georgio Comite de Hunilie, nec non à dilectis noſtris Domino Patricio Gordonio Auchendoun, D. Valtero Ogiluio de Finlater Equitibus auratis, Joanne Leſlæo Domino ac Barone Balquhane, Joanne Gordonio Domino ac Barone à Pielurge, Valtero Barclaio Domino ac Barone à Tollie &c. & à Dauide Barclaio Domino ac Barone à Calarne &c. ac etiam ab alijs Regni noſtri primi ordinis nobilibus, Gulielmum Barclaium, prædictorum virorum illuſtrium cognatum, in Galliam ante aliquos annos profectum, jam tandem ſub amantiſsimi fratris ac cognati noſtri ditione in Lotharingiâ conſediſſe, ibique affinitatem genere moribuſq; ſuis non indignam contraxiſse; precibus à nobis contenderunt, vt noſtrâ teſtificatione exteras nationes de ejus viri antiquâ nobilitate redderemus certiores. Idq; maximè vt intelligat chariſsimus frater noſter ac cognatus Illuſtriſsimus Dux Lotharingiæ, cæteriq; omnes, apud quos dictum Gulielmum Barclaium habitare cõtigerit, eum ſuam nobi-

nobilitatem nihil eſſe ementitum, quod facere interdum nonnullos humili & obſcuro loco natos nobis ſuggeſtum eſt; ſed ex antiquiſsimis Regni noſtri familijs longâ auorum ſerie ortum traxiſſe. Hoc itaq; verum eſſe, quod prædicti viri illuſtres nobis narrârunt, re totâ diligenti inquiſitione exploratâ comperientes, eorum ſupplicationi, eo quòd iuſtiſsimam videtur continere petitionem, libenter annuimus, ac præſentium literarum tenore tam prædicto fratri ac cognato chariſsimo noſtro, quàm cæteris omnibus, quorum hoc ſcire intereſt, hoc locupletiſsimo teſtimonio ſignificamus, præfatum Gulielmum Barclaium ex coniugali toro natum antiquâ majorum ſuorum nobilitate eſſe illuſtratum: ex quibus complures etiam torquati Equites, vt fideliter accepimus, multis retro ſeculis extiterunt. Quod vt planiùs præfato fratri ac cognato noſtro illuſtriſs. Duci Lotharingiæ cæteriſq; omnibus innoteſcat; hoc auctoritatis noſtræ teſtimonium, à nobis ſubſcriptum, magno ſigillo noſtro communiri præcepimus.

Datum &c.

Ex hac tam illuſtri vxore Gulielmus Ioannem filium vnicum habuit: qui indolis & iudicij præſtantiâ puer inſigni ſtatim in Patrum Ieſuitarum ſcholis educatur: vbi ita eorum ſtudijs ſe accõmodauit, vt ferè ab eis in eorum contubernium abriperetur. Sed renitente patre, qui eum ſuæ ætatis delicium, & ſenectutis veluti baculum ſibi conſtituerat, cùm adoleſcentem magni ingenij iterum expeterent; eorũ voto nihil ceſſit: quandoquidem mutatis rebus Scotorum, & Regno Angliæ calamitatum, quibus afflicti multos annos jacuerunt Catholici, finis ſperabatur, ac tempeſtatis,

peſtatis, qua religionis puritas, hoc eſt ſacra Romana, fuerat jactata, ſerenitas.

In Angliam igitur Gulielmus quinquagenarius cum vxore, filio, omniq; familia migrauit, ſperans, ſe doctiſſimo Regi nouo, & literatorum fautori, ſuæ juriſprudentię ſtudijs delectaturum. Quod feliciter euenit. Conſiliarius enim ab eo electus, ibi jactatæ fortunæ anchoram fixiſſe arbitrabatur. Sed cùm Rex à Catholicâ fide aberrans, aulicorum arte catholicos paulatim ab officijs ſecretis reſpueret; Barclaius mallens regiam liberalitatem, quàm conſcientiam, vulnere hæreſũ fœdare, de diſceſſu cogitauit. Eo tunc tempore Ioannes filius ſuæ ætatis anno XVII. Panegiricum de Regis Iacobi inauguratione compoſuerat. Quo lecto Rex, pueri ingenio delectatus, patrem rogat, vt apud ſe hærere filium pateretur. Sed Gulielmus metuens, ne molli ętati adhæreret erroris de religione labes, eum ſecum in Galliam reduxit, apud ſe manſurum, donec robur religionis catholicæ Romanę ratione & conſtantiâ magis confirmaretur; vt poſtea ad Regem, veluti familiæ collapſę reſtaurator deſtinatus, accederet. Lutetiam igitur profectus ab Andibus inuitatus eſt ad primariam juris cathedrã. Andegauum cum filio accitus, ibi quinquennio expleto filium iuriſprudentiæ Laureâ exornauit. quod quidem ſummæ lætitiæ & felicitatis accidit. Statim tamen aduerſa fortuna aſtitit Barclaio: neſcio enim quo morbo Gulielmus afflictus paulò poſt è vita exceſſit: ibiq; perhonorificè reconditus. Edidit Pater celebre & præclarum *contra Monarchomachos pro Regibus* volumen ſex libris diſtinc-

tum, & eruditos *in titulum de Rebus Creditis, & titulum de Iureiurando commentarios.*

Ioannes tanti, patris filius, non parentis obitu territus, magnâ animi conſtantiâ ſtudia jam incæpta proſequebatur. Hìc in florente vrbe aduena ad Iuriſprudentiam animum applicuit: mox ad Regem Angliæ ab amicis excitus, & vt ſuæ familiæ veſtigia erueret, ſe contulit. vbi cùm à Rege clementer exceptus eſſet, aliquandiù vixit à publicis oneribus liber, titulo ſolummodo Cubiculi Regij nobilis honeſtatus. Eam fidem, quam ab incunabulis ſanctiſſimè hauſerat, tenuit: & hoc quidē Regis benignitate, vt ipſe in Epiſt. ad Lectorem in ſuâ Paræneſi. *Itaq; in Angliâ non furtim, non timido more obibam Catholici Viri munera: familiam eâdem diſciplinâ imbuebam: nec aberam modò à Sectariorum Templis, ſed & Orthodoxorum cætibus aſſiduo conſortio miſceri ſolebam.* Id totum à Regis clementiâ impetratum oſtendit: quod quidem nec præter conſuetudinem: cùm ille in Galliâ natus, veluti Angliæ hoſpes tali viuendi ratione frui poſset. *Primum te abſoluo, me in fide catholicâ à puero educatum, neq; vnquam demutâſſe. In hæreſes, ago, perpetuò mihi hoſtes, quarum caſtra non ſubij, teſſeram non agnoui.* Hìc dum commoraretur, fortunę & rerum humanarum fluxum & refluxum meditatus, eorum, qui pietatis & doctrinæ imagine orbi illudunt, artificia, aulicorum ineptias, & in nihil agendo occupationes, anxiamq; ſolicitudinem; ſubijt penicillo animus hic ingenioſiſſimus iſtarum rerum effigiem delineare, vt aliquo pacto experiretur vires, quid ſcribendo poſſet. Itaq; lectis

Petro-

Petronij Arbitri, quæ ſuperſunt, fragmentis; effinxit ſe totum ad hujus ſcriptoris vultum, ſuæ ætatis ac temporis tabulam effingendo: in qua plus ſalis quàm fellis, iocorum quàm conuitiorum. diuerſas etiam prouincias & aulas Anglicam, Gallicam, Lotharingicam, quas præſens viderat, Hiſpanicam, Romanam, & Imperatoriam, vt ab alijs audierat, ſuo ſtylo adumbrauit fictitiorum nominum nube obſcuratum opus, quod SATYRICVM inſcripſit. Hìc intertextæ ſunt narrationes de populo vniuerſo, de ſexu, ætate, veræ quidem, ſingulari tamen nomine conſignatæ: ſolennia vbiq; & crebra amorum furta fœminæ garrulitate & fallacijs cenſentur: quæ in aulis liberiuſculè collimant capita, & pudorem audaciùs decoquunt. Compunxit iſtam vitiorum libertatem in aliquâ, quæ nec vnquam nata, nec naſcetur. Hujus Operis libri de amicorum manibus in complures orbis partes aduolârunt, typis vulgati ſub EVPHORMIONIS titulo: vbi nomina per literarum inuerſionem, aut additionem, duarumue latinarum vocum in vnam combinationem, aut græcę dictionis, aut populi, aut loci deriuatione & moribus aliquando intelliguntur. *Euphormio* nempe Ioannes Barclaius, ingenuæ frontis homo: ſicuti *Lucinia* Scotia patria majorum Barclaij. *Scolimorrhodia* Anglia, à Roſis ejus gentis inſignibus: *Eleutheria* Gallia, quæ vox libertatem ſignificat: *Marcia ciuitas* Venetiæ, à S. Marco Diuo tutelari: *Delphium* Muſſipontum, Gallicè *Pontamuſſon*, Lotharingiæ vrbs, in qua natus Ioannes Barclajus, & in qua Gulielmus Pater Ius docuerat: *Icoleon* Belgium, quòd fingatur à Geographis refe-

rens Leonis imaginem: *Melandria* Hiſpania, à nigredine hominum. *Ilium* Lutetia Pariſiorum, à Paride Trojano, à quo conditam primùm hanc vrbem, & nominatã eſſe fabulantur: *Liphippus* Philippus II. Rex Hiſpaniæ: *Labetrus* Albertus Auſtriacus Archidux Belgicæ: *Deſpotikyrius* Dux Lermæ, quòd Domini eſſet dominus, hoc eſt ejus nutu & conſilio omnia peragerentur à Rege Hiſpaniæ: *Pedæa* Infans Hiſpaniæ Iſabella Clara Eugenia, vxor Alberti: *Argyroſtratus* Ambroſius Marchio Spinula, factus Imperator dato argento: *Charidotus* Richardotus, præſes Cõſilij Belgici Archiducis Alberti: *Nearius* Comes Mauritius: *Thebani* Germani, à fortunæ ſimilitudine: *Ægorus* Comes Egmondanus Conte D'aigmont; *Leucomus* Pater Franciſcanus, qui pararius fuit pacis inter Hiſpanum & Gallum, conciliatorq́; induciarum inter Albertum & Ordines Hollandiæ, à canicie capillorum, & ſenectute: *Albagon* Dux Albæ: *Protagon* Rex Galliæ Henricus IV: *Doromiſus* Dux Rhonius, ſiue Sujlius præfectus Aerario Regio in Galliâ, à tenacitate & odio donandi: *Torrenſius* Galliç Cancellarius Brulard: Gallicè *Brſuler* eſt torrere: *Neapolitanus* Galliç primus Secretarius Villeroy, cujus cognomen Gallicum *Villeneufe*, ideſt noua Vrbs *Janicularius* Prçſes Ianinus, qui pro Rege Galliç adfuit Hollandis, dum Induciç cum Hiſpano fierent: *Curſor* Varrenus præfectus Veredariorum, ſiue Maſtro delle Poſte: *Geragathus* Bellieureus Galliæ Cancellarius ante Torrentium, à geſtione magni Sigilli, quod incluſum Capſulæ pretioſo lapide ornatæ prçfertur Cancellario: *Major familiæ Gera-*

gathi

gathi Archiepiſcopus Lugdunenſis, Bellieurei filius natu maximus: *Teſſaranactus* Rex Magnæ Britániæ, à quatuor Regnis Angliæ, Scotiæ, Franciæ, & Iberniꝫ: *Gephyrius* Papa ſeu Pontifex, à Gephyrâ Ponte: *Themiſtius* Gulielmus Barclajus Ioannis Pater à Iuris & themidis profeſſione: *Neopalæus* Lipſius, homo nouus, ſed affectatæ in dicendo antiquitatis: *Acignij* Ieſuitæ, à nigro veſtium colore contrario cignorum colori.

Relictâ Angliâ cùm Germaniam & Galliam peragâſſet, Romam tandem acceſſit, vt inter præcipuos literarum cultores, & optimos Principes ejus fides & eruditio probaretur. Iam fluctuantis fortunæ inſultu ad pacatiorem vitam & tranquillitatem vni Deo & Muſis tranſlatus, benignitate Pauli V. Summi Pontificis varijs beneficijs auctus, ſuam domum modico prouentu ſuſtinuit. Ædes in Vaticano, quas viridario ornauerat, nunquam deſerere voluit, vt vt aër parum ſalubris cenſeretur. Scriptioni deditus ſuaui ſtylo ARGENIDEM conſcripſit. opus varium, inuentione & elocutione præclarum, ſententijſq; plenum. Meditabundus multa præterea contexuit, ſingularum in primis Gentium mores. Earum characteres dedit eleganti libello, quem ICONA ANIMORVM inſcripſit. Nec minori in Carminibus facilitate eruditorum ſuffragia promeruit: quos conciliauerat ſibi grata conuerſatio, argutus ſermo, ſed & jocoſis ſine ſale adeo facetus; vt multi dubitauerint, ipſum Euphormionis auctorem. Nec minùs Gregorio XV. charus, & Maphæo Barberino purpuratorum Principi, literarum acerrimo æſtimatori gratiſſimus fuit: quorum

libe-

liberalitate familiam ſuam in dies locupletiorem percepit. Dubiâ valetudine vſus atq; in primis calculo diuexatus, domi varia ſuo ingenio digna exorſus opera, florente adhuc ætate ſuccubuit anno M.DC. XXI. XII. Auguſti: humatus in æde S. Petri Montorij. Cœnotaphium in æde S. Laurentij extra Vrbem poſuit Em. Franciſcus Barberinus Cardinalis: quod prudenti conſilio poſtea ſublatum, cùm defuncti vxor ſplendidius monumentum ad mariti tumulum meditaretur: imparem rata marito clariſſimo Bernardum Gulielmum à Monte S. Sabini, profeſsorem Romanum, cujus manibus parem gratiam reddiderat Cardinalis humaniſſimus. Nec aliam fuiſse amiſsę memoriæ cauſam, teſtis mihi Eques Caſsianus à Puteo, ob eximium animi candorem omni fide major.

IOANNES COLLE.

Bellunenſis anno M.D.LVIII. XXV. Octobris ortus Georgio patre & Nicoloſâ Paſchaliâ Comitibus Ceſanæ à Colle, olim vocatis de S. Bartholomæo, Dominis Vicariatûs Salcis, vt ex priuilegio Galeacij Ducis Mediolani cõſtat, quod Cremonæ datum Anno M.CCC. LXXXIX. Iuuenis formâ & indole præſtanti humanas literas ab Aloyſio Curtio & Geruaſio de Geruaſijs accepit. Hinc Philoſophiæ & Medicinæ Patauij ſub celeberrimis Viris ani-

animum applicuit: quibus ita curſum ſuorum laborum perfecit, vt Anno M. D. LXXXIV. VIII. Maij vtriuſq; diſciplinę laureâ fuerit inſignitus ſub auſpicijs Hieronymi Capinaccei, Bernardini Paterni, Franciſci Piccolominei, Comitis Iacobi Zabarellæ, Herculis Saxoniæ, Æmylij Campolongi, & Albertini Bottoni, quos promotores ſuæq; doctrinæ teſtes habuit. Aliquot inde annos cùm hìc ęgrorum inſpectioni diligens magnorum virorum ductu impendiſset, ſuadentibus agnatis Venetias profectus, in eâ celeberrimâ vrbe annos XII. magnâ cum laude medicinam exercuit: ſcriptioniq; deditus varia vulgauit. An. M.DC. Sereniſſimus Franciſcus Maria II. Vrbini Dux VI. cui jam opera quædam ſua dicauerat, ipſum protomedicum ac nobilem à cubiculo creauit annuo quingentorum ducatorum honorario, præter victum ei duobuſq; miniſtris aſſignatum. Præterea ſua ſtemmata auctiora obtinuit, Senogalliæ nobilitati conſilioq; aſcriptus. Vacante autem in Gymnaſio Patauino ob mortē Roderici à Fonſecâ Primariâ Medicinæ Practicæ cathedrâ, Senatus Venetus ipſum amplo ſtipendio in ejus locum euocauit. Exactis itaq; in aulâ tribus & viginti annis, mille coronatorum dono ex benignitate Principis dimiſsus, Patauij munus ſupra ætatem alacriter exercuit, non ſolùm in publicis ſcholis, ſed priuatis quoq; in ædibus diſcentium commodis impensè addictus: quorum non minùs applauſum meruit, quàm ciuium. Comitate inſigni ac decēti cultu Collegis ſuis gratus, maximèq; Cæſari Cremonino arctâ neceſſitudine coniunctus. Veterum præcipuè lectioni, quod à publico

munere vacabat, otium impendit omne. Inde jam ſenior etiam diuerſa vulgauit ingenij monumenta, vix à ſtudijs ſibi temperans etiam ſæuiente acriùs peſte: qua LXXII. exacto anno, menſe Iunio M. DC. XXXI. abreptus: in ſacellum D. Antonio vicinum priuato funere elatus, vbi ſine monumento quieſcit: quem poſteritati commendârunt hæc ingenij monumenta.

Edita.

Praxis vniuerſalis de omnibus Affectionibus Malignis & Peſtilentibus.

Idea omnium facultatum, ſcientiarum, & artium.

Elucidarium Anatomicum, & Chirurgicum, cum Commentarijs in Auicenam.

Coſmitor Mediceus, De exercitijs totius Artis medicæ Theoricæ & Practicæ cum Conſultationibus.

Ragionamenti Academici.

Commentaria in Librum Hippocratis De Inſomnijs: & Sententiæ dilucidatæ in AuenZoar.

De Medicinâ Iucundâ. Ars Chymica. Remedia Chymica ad omnes Morbos.

De Morbo Gallico, de Faſcino, de Plicâ, De Senectute protrahendâ, De Præſeruatione à Venenis, De Tartaro, De Vitriolo.

Monumenta Synoptica De Peſte præſeruandâ & curandâ.

Nondum edita.

Principia Naturalia, Metaphyſica, & Aſtrologica, ex Hippocrate.

Anatome Hippocratica.

Medi-

Medicina Theorica & Practica Hippocratica.
De Mortalitate Animæ ex Hippocrate.
De Principatu Membrorum.
Medicina Ariſtotelica.
Anatome Ariſtotelica.
De Calido Innato.
Vera opinio Aphrodiſæi de Immortalitate Animæ.
De Formis Elementorum, & De Principatu Membrorum.
Sententiæ dilucidatæ in Aphoriſmis.
De Naturâ Animalium ex Ariſtotele.
Admonita, & Præcepta dilucidata, & conciliata.
De Febribus benignis, malignis, & peſtilentibus.
De Vitijs Capitis.
De Vitijs Thoracis.
De Vitijs Ventris inferioris.
De Morbis Virginum.
De Morbis Muliebribus.
De Morbis Puerorum ex Rhaſi.
Metopoſcopia naturalis.
De Medicinâ Rationali, Methodicâ, Aſtrologicâ, Chymicâ, Empiricâ; & modo Collegiandi, Componendi & adminiſtrandi medicamenta, &c.

IOANNES THVILIVS MARIÆ-MONTANVS.

DOctiſſimi hujus Viri vitam non aliunde petere viſum eſt, quàm ex ipſiuſmet oratione, quam publicè in auſpicio ſuarum lectionum Patauij habuit anno M. DC. XXIII. XII. Decembris. Idq; eo libentiùs, quòd Viri libertas ac ingenuitas ex hac potiſſimùm ſpectatur, dum impeditum viginti annorum varijs difficultatibus ingenium ſic repræſentat.

In Comitatu Tirolenſi ad fontes Atheſis Vallis eſt, ob agri fertilitatem, & loci amœnitatem VALLIS VENVSTA appellata. In hac monaſterium MONS SANCTÆ MARIÆ in colle altiſsimo, paucis quaſi palantibus villulis cinctum, eminet. Ibi mea vagijt infantia, huſit pueritia, & quantum per ætatem & vires licuit (nihil .n. pudebit fateri quod in confeſſo eſt) vitam paſtoritiam & agriculturam in rure paterno exercuit adoleſcentia. Sed neſcio quo genio impulſus viuidus meus animus ad literas ardentiùs, quàm pro fortunâ & vitæ inſtituto, aſpirare, & parentes eâ de re importuniùs ſolicitare cæpit. cùm interea durus mihi ſæpe pater dixit, ſtudium quid inutile tentas? quippe qui me vnicum filium ad opera ruſtica alligare omni conatu ſatagebat: degenerem me credens, niſi & ego Horatianâ illâ felicitate beatus, procul negotijs paterna rura bobus exercerem noſtris. At mihi jam puero cæleſtia ſacra placebant,

cebant, inq́ſuum furtim Muſa trahebat opus: & ita trahebat; ut extorto à matre paruo viatico occultè me paterno ſubduxerim imperio, & Oenipontum ad liberalia ſtudia properauerim. Ibi jam annum egreſſus quartumdecimum manus ſurculis & ligonibus induratas primùm ad tabellam alphabetariam admoui: nihilominus non obſtitit extrema rerum neceſſariarum penuria, non retardauit quotidianus labor in victu quærendo occupatus, non abſterruit incertum ſubſequentis noctis domicilium, non retraxerunt noctes cum diſpendio aciei oculorum euigilatæ, quin quinque annorum ſpatio ſtudia humaniora cum publicâ laude feliciter abſoluerim. Quo ſanè temporis curriculo ea paſſus ſum, præ quibus Diogenis dolium, Cleanthis nocturni labores, & Plauti piſtrinum meræ ſunt fabulæ. Subſequens biennium in Archiducali Friburgenſium Briſgojæ Vniuerſitate in Collegio Sapientiæ ſtudijs Philoſophiæ ſatis commodè impenſum eſt. Poſt cujus ſupremam lauream aſſumptam cùm jam animũ ad medicinam applicuiſſem, vltrò mihi non ambienti oblata eſt Humanitatis cathedra. Quam prouinciã qua ratione ſuſtinuerim, malim loquantur teſtimonia publica, quibus me Senatus Academicus proſecutus eſt, quàm vt ego mearum laudum præco jactantiæ aut philautiæ notam incurram. Jam videbar albis quadrigis triumphare, niſi etiam ſtudia mea communi rerum humanarum viciſſitudini fuiſſent obnoxia. Etenim vno ferè & eodem tempore hinc bellica tuba horrendum increpans Martem ad inteſtinum tumultum Alſatiæ claſſico accendebat: illinc Libitina, recrudeſcente peſtiferâ lue, vrbes vaſtatione latè populabatur. Vnde pul-

cherrimus literarum curſus biennij ſpatio mihi fuit intereeptus. Quare ab Arte ad Martem deſilire, & integro anno cum trimeſtri in caſtris Archiducalibus ſtipendia mereri coactus fui. Reliquum tempus continuis peregrinationibus datum, ſpretâ etiam Aulâ Oenipontanâ me inuitante. Siquidem ingenitus meus candor nunquam potuit foris dealbatos aſpicere caminos, qui plerunq; in aulis eminent: nec ego vnquam volui hanc libertati aſſuetam ceruicem ſeruili & projectæ adulationi mancipare. Donec tandem tot procellis iactata nauicula huc Patauium, tanquam ad exoptatum portum, appulit: vbi ſtudiorum naufragium collectis tabulis denuò inſtauraui. Ariſtippus aliquando naufragio Rhodum ejectus, cùm in littore figuras mathematicas in arenâ depictas vidiſſet: Salua, inquit, res eſt, Amici: hominum veſtigia aſpicio. cùmq; Ciuitatem ingreſſus humaniſſimè eſſet exceptus; Ciuibus ſuis renuntiari juſsit, vt eas opes ſibi parare ſtuderent, quæ naufragio non pereunt, ſed ſimul cum poſsidente enatant. Alia longè præſtantiora, quàm mathematica, & ego hic in littore Adriatico poſt longã fortunæ jactationem inueni hominum veſtigia: virtutem, nobilitatem, doctrinam, & ſummam in peregrinos humanitatem. Vnde tam benignè ſuſceptus deliberato animo hìc ſpei meæ anchoram nõ irrito conatu fixi: ciuibus meis nuncium remittens, vt vel meo exemplo diſcant, quales ſibi parare debeant diuitias. Hìc etſi dura nouerca fortuna hactenus variarum afflictionum tela in me contorſerat; nondum tamen exſaturata fuit ejus ſæuitia; niſi etiam morborum cruciatibus meam experiretur conſtantiam: quibus me tam crudeliter afflixit; vt triennia

conti-

continuo affixus lecto iacuerim inutile pondus. ſolus animus ſemper ſibi conſtitit, ſola erecta mens, langueſcente corpore, cum Muſis verſabatur. Rorella planta, quantumuis ardentiſsimis ſolis radijs æſtate ſit expoſita; nunquam tamen ipſius folia roſcido quodam humore deſtituuntur, ſed ſemper eorum tenella lanugo guttulis quibuſdam pellucidis madere videtur. ſic tot malis induratus animus meus inter febriles æſtus, inter miſeriarum incendia, muſarũ rore irrigatus non potuit penitus contabeſcere. Didicerat enim oraculum illud Teleſillæ, nobili loco natæ, ſed ægro corpore fœminæ datum, ΜΟΥΣΑΣ ΘΕΡΑΠΕΥΕΙΝ *Muſas ſcil: & animi & corporis morbis mederi. Percepiſtis ſtudiorũ & peregrinationis meæ ſeriem. Quam ideo exponere vobis placuit; vt quiuis veſtrûm maturo judicio conijcere poſsit, quàm prorſus nihil in me relictum ſit, quod liuoris ſpicula & aculeos irritare, vel inuidiæ aleam ſubire debeat: niſi forſam aliquis tam pertinaciter prauus ſit, vt humile genus, exantlatos labores, & perpetuam comitem egeſtatem mihi inuidendam putet.*

Hæc de ſuæ vitæ curriculo ille. Noſtræ quoq; memoriæ obuiæ ſunt adhuc variæ, quæ ipſum jactauit, fortunæ vices. Patauij poſtquam exiguo fructu ſe Iulio Caſſerio operam literariam impendiſſe animaduerteret, vt ſe ſe libertati aſſereret, Venetijs librorum emendationi ſolers incubuit. Hìc ille Nicolao Contareno, quem poſtea ſolenni carmine Principem ſalutauit, Andreæ Mauroceno, Dominico Molino, cæteriſq; Muſarum patronis, poëticis maximè delicijs innotuit. Literis quoq; humanioribus cùm Cæſari Cremonino, & Laurentio Pignorio, alijſq; Patauij

ſatis

ſatis ſe commendâſſet, D. Iuſtinę cœnobitis dicendi artem diligenter tradidit. Interea diuerſis Orationibus in publico habitijs, Poëmatis etiam hinc inde ſparſis, ſed in primis ſuis ad *Alciati Emblemmata Annotationibus*, non exiguam de ſe inter eruditos plurimorũ excitauit opinionem. Itaq; Franciſci Contareni viri illuſtriſſimi domo ſplendidâ receptus, Patauij filiorum ipſius animum ad ea informauit, quibus prudentia, rerum gubernaculis apta, conquiritur. Decrepito jam Paulo Benio Artis Oratoriæ Profeſſore primario muneris vacationem indulſerat Senatus Venetus, relicto ex laudabili conſuetudine ſalarij dimidio: cujus alteram partem, quingentos nempe ducatos in Ioannem Thuilium & Felicem Oſium collegas honore pares contulit. Illi nihilominus prima ſedes data, intercedente inclitâ Natione Germanorũ Philoſophorum ac Medicorum, cui olim nomen fidemq; profeſsus erat. Pataui igitur ſedem figens M. DC. XXIII. publicè & priuatè legendo illuſtres ſuæ eruditionis diſcipulos reliquit, boni publici precipuè ſtudioſus. Hinc rariores libros è Germaniâ procurauit, vnâq; domi ſuæ typographiam erexit elegantem, vt magnorum in Germaniâ & Galliâ exemplo cultiores inde ſcriptores prodirent. Interea peſtis Lombardiam vexabat, & Pataui gliſcebat. Vrbis Decuriones, vt publicæ ſaluti conſulerent, magno honorario Medicos tanto malo idoneos conquirebant. Thuilius ſponte ſe illis obtulit, Antidotis fiſus, quorum inter arma vim expertus fuerat. Ita conſtanti animo ac prompto dum hac arte alijs ſuccurrit, inter initia cõmuni plurimis fato occubuit An. M. DC. XXX.

ſuæ

ſuæ ætatis XL. Vir pluribus annis dignus. Erat .n. facilis, humilis, laborioſus, & ad omnia paratus. Scriptioni deditus, & carminibus, atq; in primis Epigrammatis, lepôris ſaliſq; plenis : quorum libelli aliquot ipſius manu ſcripti apud V. cl. Ioannem Baptiſtam Verum, Hiſtoriæ Venetæ ſcriptorem, quem non degenerem inter plures diſcipulum habuit, ſeruantur.

Lipſij libros aliquot in epitomem contraxit, ediditq; ſub titulo *Compendij Facis Hiſtoricæ Conſtantij à Monte Laboris*. Orauit in funere Hieronymi ab Aquapendente, & Adriani Spigelij Medicorum clariſs. *Anatomiæ Janitores* incæperat: aliaq; multa eleganti ſtylo conſcripſit, quæ ferè omnia miſerâ iſtorum temporum conditione perierunt.

LAVRENTIVS PIGNORIVS.

QVamuis magni PIGNORII vitam ſeorſim aliàs ediderimus, iterumq; daturi ſimus in ATHENIS noſtris PATAVINIS; vt tamen exigentibus amicis morem plenè gereremus, non potuimus eruditiſſimo Viro hoc grati animi monumentum hoc quoq; loco non conſecrare. Ortus eſt igitur LAVRENTIVS noſter Patauij Anno M.D.LXXI. die XII. Octobris, horâ XIX. ſupra dimidiam, Antonio patre. Liberalibus ſtudijs ab in-



LAVRENTIVS PIGNORIVS
PATAV. PHILOLOGVS INSIGNIS.

eunte ætate delectatus, præceptores habuit præclaros, & in primis ex Societate Ieſu, Patauij tum docentes: & humaniores literas quidem hauſit ex ore Benedicti de Benedictis, quem poſtea vidimus Epiſcopum Caprularum, & Candidi Aemiliarij: Dialecticam & Philoſophiam tradente Io: Baptiſta Scortia Genuenſe, cujus extant libri duo *de Naturâ & Incremento Nili*, & Hieronymo Dardino Ceſenate, cujus labor eſt Liber *de Corpore Animato*.

Hinc ad Franciſcum Picolomineum, ac Iacobum Zabarellam], publicos eiuſdem facultatis Interpretes in Academiâ publicâ Patauinâ, audiendos tranſijt, quos & ſedulò auſcultauit. Philoſophiæ ſpatia emenſum amœna literarum & Antiquitatis ſtudia ad ſe totum traxerunt. At exhortante patre ad Iuris prudentiam amplexandam non inuitus acceſſit, & Legũ illius ætatis maximos Coryphæos ſectatus eſt, Guidum Pancirolum, Angelum Matthæacium, Ottonellum Diſcalcium, & Marcum Antonium Ottelium. Horum ex ſcholis quidquid ad Iuris cognitionem pertinebat celerrimè domum ſuam trãſtulit. Ex doctorum quoque Virorum colloquijs Iuris prudentiæ, & rerum priſcarum notitia ſenſim in eo ſuccreuit: quarum ita poſtea dulcedine perfuſus eſt; vt illi ſe totum addixerit.

Cælibatum perpetuò coluit candidiſſimis moribus ornatus, & cùm eccleſiaſticæ vitæ normam plurimùm adamaret, ſacris ordinibus initiatus eſt anno M. DC. II. Marci Cornelij Epiſcopi Patauini manu. Is enim iuuenis indole, dotibus, & eruditione captus, eum ſibi adeſse voluit à ſecretis. Deductus ab eodem Romam anno M. DC. V.

biennium ibi ſtetit, & otium ſuum omne, quà in priſcorum monumentis, & verendæ Antiquitatis reliquijs perluſtrandis, quà in veteribus libris inter ſe conferendis inſumpſit. Hæc illius ſola & vnica voluptas erat: tantumque labore iſto erudito profecit, quantum ejus libri, Romanâ vndequaque eruditione referti, docent, & elogia quibus à viris doctis, cum noſtris, tum exteris cumulatur.

Romæ degens hiſce præcipuè viris omni doctrinę genere clariſſimis innotuit, Angelo Rocchæ epiſcopo Tagaſti, Scipioni Cobellucio, qui Cardinalitiâ purpurâ decoratus non eum dilexit tantùm, ſed & inter ſuos habere cupijt. quamobrem ei libros duos, *de Seruis* vnũ, *de Patauinis Originibus* alterum inſcripſit: Cæſari Baronio doctiſſimo S. R. E. Cardinali, cui dicauit *Menſam Iſiacam*, & Ioſepho Caſtillionæo I.C. præclaro, à quo ad Aulam quoque Pauli V. Sum. Pont. ſummis conatibus accitus eſt: alijſque multis nobilitate, & eruditione conſpicuis, qui omnes ejus famæ fauentes ingenium ſimul eiuſdem exoſculati ſunt. Patauium inde redijt, vbi primùm domeſticis rebus implicatus, à ſacris demum Virginibus D. Stephani datus eſt Rector Eccleſiæ Parochiali D. Laurentij, Abbatiſsâ Magdalenâ Vercelleſiâ.

Hoc in onere tale ſpecimem ſedulitatis, & virtutis dedit; vt non ſolùm Eccleſiæ ſibi commiſſæ prouinciam adminiſtrârit egregiè, ſed etiam Epiſcopi juſsu ſacrarum earũdem Virginum confeſſiones exceperit, poſt eandem operam nauatam Virginibus D. Claræ magnâ cum laude. Quidquid inde verò nanciſci poterat otij, id omne literarum

ſtudijs,

ſtudijs, ſuis amoribus ac delicijs, impendebat. Ferebat & in eo vigilijs aſſiduis noctes, vt cum omnis Hiſtoriæ tum Patriæ ſuæ monumenta, & ornamenta luſtraret, & in Commentaria quæque redigeret, ſuis temporibus euulganda. Pluribus annis hoc illi onus dulce, ac iucundum fuit. Clericatu quoque S. Clementis ab eiſdem Monialibus decoratus eſt. Oblatam ſibi Lecturam Humaniorum Literarum, & Eloquentiæ in Piſano Gymnaſio à Magno Etruriæ Duce per Galileum Mathematicũ inſignem, renuit, quietis, & patriæ ſuæ ſtudio: cujus ergo animo planè ingenuo talia plura euitauit.

Proceræ ſtaturæ Vir, coloris albi, oculis quoque albis, ſed fulgentibus, grauis inceſſu, ac ferè cogitabundus: cæterum amabilis, placidus, pius, nec aſſentiri facilis cuiuſcunque dictis. Varia Patauinæ ciuitatis monumenta è latebris eruit, nec acquieuit omnibus à Scardeonio allatis. Eâ re totius antiquitatis indagator accerrimus, & in veterum Numiſmatibus interpretandis oculatiſſimus, Oraculum veluti Delphicum ſemper eſt habitus. In heroico carmine vera Muſarum, & Apollinis proles audiuit: quibus dictantibus plurima cecinit. Elogiographus egregius etiã paſſim ab omnibus ſalutatus. Has ob dotes gratiâ tum ciuium tum exterorum floruit maximâ. Purpuratis quoque Patribus Venetis, & Romanis charus. Commendauit illum in primis vbertas ſcribendi mira, cui nulla ferè par alibi hac ætate. Quanti porrò amicos ille ſuos fecerit, eiuſdem docent Epiſtolarum Symbolicarum libri: quibus eoſdem immortalitate donare niſus eſt. Ac licèt ijſdem Epi-

ſtolis amicorum illius cenſus appareat; non pigebit tamen horum aliquos recenſuiſſe.

Ioanni cum primis Vincentio Pinello charus, quoad vixit, extitit: fuit & eodem tempore ſummâ neceſſitudine coniunctus Marco Velſero, Paulo Aicardo, Vincentio Contareno, Franciſco Viduæ, Andreæ Mauroceno Senatori Veneto, Alnaldo Cebæ, Edmundo Brutzio, Philippo Rubenio, Iano Grutero, Hieronymo Aleandro, Iacobo Auguſto, Gaſparibus duobus, Schioppio, & Barthio, & Antonio Quærengo, eruditiſſimis & ampliſsimis viris.

Dilexerunt & illum vnicè Iacobus Cauatius Hiſtoriæ Caſsinenſis ſcriptor, Bernardus Bruſcus, Andreas Chiocchus medicus, Curtius Picchenas, Io: Hier. Bronzierius, Iacobus Auguſtus Thuanus, Præſes Regij Concilij Pariſienſis, Iulius Cæſar Velius, Marcus Antonius Bonciarius, Petrus Paulus Venturinus, *P*roſper Alpinus, Thomæ duo, Dempſterus, & Segetus Scoti, & Ioannes Manganus. Eundem in delicijs habuerunt cl. & omnis penitioris literaturę Vir Caſsianus à *P*uteo eques, cui nuper inſcripſit *Explicationem Antiquiſsimæ Picturæ, quæ Romæ viſitur*. Ioſeph Maria Soareſius, Muſarum ocellus, *P*ræpoſitus et Vicegerens Auenionenſis, Ioannes Meurſius, Gerardus Ioannes Voſsius, Ericius *P*uteanus, Iuſti Lipſij ſucceſsor, Nicolaus Fabricius *P*eireſchius, Regij Conſilij Aquis Sextijs Senator, Nicolaus Rigaltius, *P*etrus Scriuerius, Annibal Campeggius I.C. Daniel Heinſius, Balthaſar Bonifacius, Chriſtophorus Forſtnerus, Euerardus, et Adolphus Vorſtij, Albertinus Bariſonus, Abbas, et Canonicus *Pa*taui-

tauinus, Ioannes Thuilius, & Felix Oſius, Patauij Artis Oratoriæ publici profeſſores, Ioann: Marius & Carolus Auantij, Guilielmus Sohierus, Ioannes Rhodius; quos omnes vicit humanitas ampliſſimi Senatoris Dominici Molini: qui licèt literatorum omnium Mecœnas haberetur; in Laurentium Pignorum tamen ſic effundebatur, vt ejus labores inter cæteros ſtudioſiſſimè complecteretur. Colebatur & ab alijs ſummis & eruditis viris Pignorius, vt indicãt elogia, quibus ab illis ex merito decoratus eſt. A varijs Academijs exoptatus, inter Ricouratos Patauij præcipuè fulſit, tali ſibi Epicheremate concinnato.



Extant & eiuſdem alia Epicheremata duo. Vnum Apodis cum lemmate. TELLVREM PRESSISSE PVDET.



Alterum Tripodis cum dicto. NON VNO RESPONSO ANIMVM DELVSIT.



Dubia

Dubiâ ſanè ſententiâ, ſed qua teſtari voluiſſe videtur; quòd cùm plurimum Aulæ inſeruiſſet; paulùlum inde emolumenti hauſiſſet. Sed hęc ingeniorum infelicitas eſt, vt ipſi vix habeant, quod ſatis ſibi ſit: cùm otio & inertiâ torpentibus affluant omnia. Potuiſset ille tamen anno M. DC. XXX. Epicherema ſuum aliter interpretari, Taruiſinum Canonicatũ nactus liberalitate eminentiſsimi Cardinalis FRANCISCI BARBERINI Sum. Pont. VRBANI VIII. nepotis: qui patrui ſapientiſsimi veſtigijs inſiſtẽs, vnà cum ANTONIO fratre, literarum Ocelli prædicantur ambo, Muſarumque deliciæ, & incrementa ſapientiæ pariter ac literariæ rei: qui viros bonis artibus excultos iuuare & ornare quotidie pergunt. Tali recreatus honore PIGNORIVS, felix æterno patriæ decori & ornamento diutiſsimè viuere debuiſset.

Sed fluxa & caduca nimis hæc noſtra. Adeo verum Tragici illud.

Vbique mors eſt: optimè hoc cauit Deus.
Eripere vitam nemo non homini poteſt,
At nemo mortem.

Sæuiente enim Patauii in dies peſtiferâ erynni, cùm in *Corte Hatam* pagum ad Euganeos colles ſeceſsiſsem, loci amœnitatem vix oculis hauſeram, cùm ferales & inexpectatæ literę, cl. Pignori noſtri obitum nunciãtes, mihi lacrymas extorſerunt: ſimulq; affectus extremum pietatis officium elicuit, pijs precibus & ſolenni parentalium ritu mitigans doloris acerbitatem. Quod ne lateret poſteros Viro amiciſsimo cum Nepotibus eodem fato abreptis monumentum

mentum hocce ſupra Aulæ oſtium erexi, vt ſuę conditionis memores Aduenæ tanti Viri obitum lugeant.

LAVRENTIO PIGNORIO,
MVSARVM CORCVLO,
FRANCISCO, ET ANTONIO
NEPOTIBVS,
EX PESTE PEREMPTIS.
IAC. PHIL. TOMASINVS
HANC GRATI ANIMI MEMORIAM
P. C.

Ampliſsimus verò Dominicus Molinus, *literatorum* Mecœnas, præclarum adeo PIGNORIO noſtro Monumentum ſtatuit; vt jam non peſte ſublatus tumulo lateat, ſed in ſuæ domûs faſtigio ſub porticu D. Laurentij, veluti rediuiuus, ingenij majeſtate nunquam interiturus digno emineat encomio: inter Charitum oblectamenta mortalitatis legibus exemptus.

D. O. M.

LAVRENTIO PIGNORIO,
ALTERI HVIVS ECCLESIAE PRIMVM PAROCHO,
DEINDE TARVISII CANONICO,
PIETATE AC MORVM SANCTITATE
SPECTATISSIMO,
VERO CANDORIS ET PVDORIS EXEMPLO,
LITERARVM OMNIVM

CVM

CVM GRAVIORVM TVM POLITIORVM
PERITISSIMO
PENITIORIS ANTIQVITATIS NON MINVS
CERTO QVAM CVRIOSO
INDAGATORI,
PATRIAE, AMICORVM, ET SVI IPSIVS MEMORIAE
LVCVLENTISSIMIS SCRIPTIONIBVS
PROPAGATORI,
MVSARVM DENIQVE ET GRATIARVM
CORCVLO, ET OCELLO,
DOMINICVS MOLINVS
SEN. VEN.
AMICO, AC HOSPITI CARISSIMO, ET IVCVNDISS. P.
OB. ANN. CIϽ. ϽIC. XXXI. IDIB. IVNII.
VIXIT ANN. LIX. MENS. VIII.

Edidit latinè Pignorius.

Vetuſtiſsimæ Tabulæ æneæ ſacris Ægyptiorum ſimulacris cælatæ accuratam explicationem, &c. Quæ edita eſt etiam Francofurti hoc titulo. *Characteres Ægyptii, hoc eſt ſacrorum, quibus Ægyptii vtuntur, ſimulacrorum accurata delineatio, &c.*

De Seruis, & eorum apud Veteres miniſteriis Commentarium.

Notulas extemporarias in Emblemata Andreæ Alciati.

Item in eadem Commentaria ampliora.

Proſopopœiam Aldinæ Catellæ. Quæ prodijt etiam Pariſiis ſub titulo. *Lacrymarum Poëticarum in obitum Aldinæ Catellæ.*

Magnæ Deûm Matris ideam, & Attidis initia.
Carmen ad Vrbanum VIII Pont. Opt. Max.
Aponum ad Franciſcum Barberinum Card.
Miſcellam Elogiorum, Adclamationum, Adlocutionum, Conclamationum, Epitaphiorum, &c.
Symbolarum Epiſtolicarum librum: in quo nonnulla ex Antiquitatis Juris ciuilis & Hiſtoriæ penu depromuntur: multaque Auctorum loca emendantur, & explicantur.
Antiquiſsimæ Picturæ quæ Romæ viſitur, Typum ad V.N. Caſsianum à Puteo, Equitem.

Recognouit prętereà, & euulgauit *Elogia Anachoretarum Jacobi Cauatii*, & eiſdem *Præfationem* elegantiſſimam adiecit.

Italicè.

Annotationi & aggiunte al libro dell' Imagini de gli Dei di Vicenzo Cartari.
Della Conſecratione delle Vergini.
Gareggiamento vicendeuole in lode dell' Jlluſtriſsimo Signor Domenico Molino.
Notitie Hiſtoriche ſopra la Gieruſalemme del Taſſo.
L'Origini di Padoua.
L'Antenore.
L'Atteſtatione di Giulio Paolo.
La Principeſſa delle compoſitioni sfiorata.
La Vita di Santa Giuſtina Vergine, & Protomartire Padouana.

Reliquit & alia plura non edita, ſed perfecta & editioni parata: quæ apud Excell. Franciſcum Molinum D. Marci Procu-

Procuratorem, Dominici fratrem, ad quem omnis ejus M. S. ſupellex peruenit, religioſè aſſeruantur: videlicet.

Commentarium de Seruis innumeris penè locis auctum & locupletatum.

Comment. in Jul. Obſequentis librum de Prodigiis.

Variorum Carminum lib. II.

Symbolarum Epiſtolicarum lib. III.

Sacrorum Monumentorum librum Etruſco idiomate.

Riſpoſta all'Apologia del P. Angelo Portenari della Libertà de' Popoli Veneti.

Et hæc illius ſunt. Quibus æquum eſset addere cl. Virorum teſtimonia, quibus diuinum PIGNORII noſtri ingenium commendârunt: ſed cùm id in libello, ejus Vitæ priuatim dicato, præſtiterimus, ſufficiet duo aut tria, quæ omnium inſtar eſse poterunt, hìc adſcribere.

Annibal Campegius Dominico Molino Senatori Ampliſs. S. P. D.

Offendunt me in agris ſpatiantem poſtremæ literæ tuæ, ſeu veriùs Laurentij Pignorij Symbolæ, quæ me in Parnaſſum legentem tranſtulerunt, vſque adeo Muſarum amœnitatibus refertæ ſunt. Nam quis in eo eruditionem miretur, qui jam eruditionis nomen ſuum fecit, vt doctiſsima ejus monumenta teſtantur? Si duos præterea ſimiles haberet Italia, faſces fortaſſe vt ingenij, ita eruditionis, illi Germania ſubmitteret. Sed quid, Te in beatiſsimâ Italiæ parte ſtudiorum, & libertatis præſide ſperare non liceat? Te quidem jam vnum reſpiciunt literæ, Te aſſertorem, & vindicem miratur Italia, ad Te ex toto terrarum orbe confugiunt dedita Muſis ingenia.

Sed vt ad Pignorium redeam, non poſsum non tibi in præſens teſtari, quantas illi gratias debeam, quòd me obſcurum hominem in luce Epiſtolarum ſuarum collocârit, vt hoc veluti pignus immortalitatis haberem. Id, ſi quando vſus venerit, eruditiſsimo viro atteſteris, oro Te per hæc Muſarum ſacra, vt hoc quoque ipſe officio literis meis perfungar, &c.

Ticini III. Id. Sept. M. DC. XXVIII.

Daniel Heinſius Dominico Molino, &c.

A Laurentio Pignorio Viro verè eximio, & qui priſcam illam, propriamque Italorum laudem, ſiue proſa, ſiue verſu ſcribit, fortiter it reſtitutum, literas accepi, ad quas proximè ſum reſponſurus. Quæ Joſephus Scaliger ad Triumuiros Amorum olim ſcripſit, & ante mortem auxit, ante annos aliquot Geneuam excudenda miſi: ſed cùm videam ab ijs nihil præter moram expectandam eſſe; repoſcendus nobis erit codex, quem vel Elzeuiro, vel alij hîc excudendum tradam. Si quæ meditata ſunt in eam rem doctiſsimo Pignorio, cùm videbitur, tranſmittat, opera: quamprimùm dabitur, vt voti fiat compos &c.

Lugduni Batauorum XIII. April. M. DC. XXII.

Antonius Quærengus in carm. ad Hieronymum Aleandrum de Laurentij Pignorij Commentario in Tabulam Ægyptiacam.

Docta inter monumenta, quæ perenni
Sunt digniſsima laude, iure cenſes,
Erudite Aleander, hunc libellum,
In omnes celebrem dies futurum.
Quo Laurentius, inclytum latini

Elo-

Eloqui decus, abditas vetuſtis
Sacras Niligenûm notas figuris
Pandit mirificâ explicatione :
Viuet, quis dubitet? ſuopte cunctas
Per terras genio aureus libellus.
Verùm clarior vſque & vſque viuet,
Tuâ quòd meritò poli ad ſupremam
Arcem tollitur approbatione.

Ingrediamur modò laudati Viri MVSEVM: in cujus primâ oſtij fronte occurrunt ſtatim hæc carmina.

SIDERA DOCTRINAE HIC FVLGENT DIGNISSIMA COELO,
QVAE PLACIDAM ILLVSTRANT NON LAEVO LVMINE VITAM.
SELIGE TV TIBI, QVAE INSTILLENT VIRTVTIS AMOREM,
VT NE OCVLOS TANTVM PICTVRA OBLECTET AMICOS.

IMAGINES VIRORVM CLARISSIMORVM.

Cæſaris Baronij S. R. E. Cardinalis, & Hiſtorici præclariſsimi.

Roberti Bellarmini S. R. E. Cardinalis, & Eccleſiæ propugnatoris acerrimi.

Scipionis Cobellucij S. R. E. Cardinalis.

Dominici Molini, Senatoris Veneti, & literatorum Mecænatis, ſub qua hæc leguntur.

GENIO POTENTI HVMANITATIS, ET TVTELAE.
Qui
PHOEBAEAS ARTES ALTO CVM PECTORE IVNXIT.

Aloyſii Lollini, Epiſcopi Bellunenſis, Philologi eximij.

Guerini Piſonis I.C. præclariſsimi.

Speronis Speronij, Philoſophi, ac Oratoris inſignis.

Fran-

Franciſci Petrarchæ, Vatis eminentiſsimi.

Joannis Vincentij Pinelli.

Guidi Panciroli I.C. excellentiſsimi.

Pauli Aicardi. ſummi Philoſophi.

Torquati Taſsi. Etruſcorum Poëtarum decoris.

M. Tullij Ciceronis.

Bernardini Scardeonij Canonici & Hiſtorici accuratiſsimi.

Aloyſii Corradini I.C. & cauſarum actoris ſtrenui.

Euerardi Vorſtij, Medici peritiſsimi.

Edmundi Brutzij.

Onufrij Panuinij.

Valerij Belli, Sculptoris gemmarum nobiliſsimi.

Honorij Belli, Medici.

Lauræ, Franciſci Petrarcæ amaſiæ.

Iſotæ Nogarolæ.
Angelæ Nogarolæ. } *Mulierum eruditiſsimarum.*
Caßandræ Fidelis.
Lucretiæ Borromeæ.

Antonij Quærengi, Poëtæ celebratiſsimi.

Quibus accedunt Phœnix propriis coloribus, & germanâ figurâ delineatus ex Pignorii obſeruationibus in veteres auctores: item Tabulæ Pictorum celebrium.

Capita Virorum aliquot inſignium è marmore operis antiqui.

STATVÆ.

Romæ Bellatrîcis Deæ, exerto brachio.

Harpocratis: quæ ſpectatur in lib. Imag. Deorum pag. 335. 553.

Mercurij.

Aeſcu-

Æſculapii: quæ cernitur in libro Symbol. Epiſt. XIII. p. 48.

Palladis.

Apollinis: inter Deorum Imagines conſpicitur p. 592.

Serapidis, ſiue Priapi.

Pocillatorum, e miniſterio antiquo: quæ expreſſa cernuntur in lib. de Seruis p. 75. 76. 77. 78.

Equitis armati.

Variorum Virorum, Mulierum, è donariis templi apud Hadriam: quos intuemur in lib. de Originibus Pat. cap. XI. p. 61. in quibus elucet habitus incolarum vetuſtiſsimorum, ſiue Phryges aduenæ illi fuerint, ſiue è Tuſciã coloni.

NVMI, ET NVMISMATA.

Hæc carmina inſcripta caſpulæ leguntur, in qua diſpoſita ſunt veterum Cæſarum Numiſmata.

CAESAREOS PROCERES, IN QVORVM PRAEMIA CESSIT
RES ROMANA OLIM, SPECTANDOS ARCVLA PROMET.
TV SAPIENS ANIMO ATQVE OCVLIS SPECTATOR ADESTO:
ET CVM DE TANTO HAEC FASTV VIX FRVSTVLA RESTENT,
ASSVESCE HVMANIS MINIMVM CONFIDERE REBVS,
INVIDA QVAS VOLVCRI RHAMNVSIA TVRBINE VERSAT.

Veteres argentei Numi, & ærei Gentium Romanarum, cum Regibus Romulo, Numa, Anco Martio, &c.

Ad hæc: totius Greciæ, quà Continentis, quà Inſularum Numiſmata, & Africana, & Hiſpanica, Hebræa, & Barbara nonnulla.

Græciæ totius hæc ſpectantur in Menſâ Iſiacâ p. 15. & epiſt. XII.

Barbara in Symbol. Epiſt. XII. *p.*43. & *epiſt.* XXIII. *p.* 84. & 86.

Caſa-

Cæſarum Imagines non deſiderantur ex ære, ex argento, & aliquot ex auro pulcherrimæ.

Sigilla ærea quam plurima: & eorum pariter eiuſdem ſeculi non minima congeries: in quibus nominum propriorum, familiarum, ſtemmatum, ciuilium munerum multa obliterata in lucem reuocantur.

Numiſmata Cæſarum poſteriorum: in quibus præclara aliquot ad res Chriſtianas pertinentia.

Numuli aurei Regum Gallicorum, iique rariſsimi.

Monetarum non antiquarum aceruus.

Numi plumbei, qui ſpectantur in lib. de Seruis p. 129.

Artificii recentioris ſpectantur Imagines à Jo: Cauino clariſsimo noſtrate cælatore expreſſæ; tum Auguſtorum, & Auguſtarum: tum Illuſtrium Virorum, qui patrum noſtrorum æuo floruerunt. Pontificum item aliquot, Cardinalium, & Ducum vultus ſpectantur.

SVPELLEX ANTIQVARIA.

Æris graues partes: in Symbol. ſpectantur Epiſt. 11. p. 13.

Modulus exactiſsimi pedis antiqui.

Pondera Vnciæ, & Semunciæ legitima Romana, & quædam Conſtantipolitana, & æui recentioris.

Stylus	quæ expreſſa cernuntur in lib. de Seruis.	*p. 118.*
Teſſera		*p. 162. 164.*
Talus		*p. 82.*
Armillæ		*p. 149.*

Murenulæ.

Acus Crinales.

Securis anceps: ſpectatur in Antenore cap. 6.

Plum-

Plumbata.

Jaculum, quod intuemur in Vitâ Antenoris cap. 6. p. 20.

Claues	*quæ videnda ſe offerunt in lib. de Seruis.*	*p. 133.*
Lenticulæ		*p. 46.*
Calculi		*p. 134.*
Fibulæ		*pag. 82. 83.*
Annuli.		

Lychni, qui expreſſi videntur in lib. Fortunij Liceti de Lucernis Antiquorum.

Amuletum, vt in Menſa Iſiaca p. 17.

Papyri vetuſtiſsimæ ſcriptæ notis Longobardicis duo grandiora fragmenta.

Segmenta veſtium cum oris purpureis antiquis.

Conchyliorum variæ ſpecies: in quibus multa lapidea naturæ luſu.

Gemmæ annulares inſignes non paucæ, ſiue ex promiſcuo ſignandi vſu, ſiue ex myſterijs Ægyptiorum, & veterum Hæreticorum.

Lapilli, & Gemmæ.

Alectorius.

Smaragdus è fodina.

Jaſpis ſanguinem ſiſtens.

Staurolithos.

Cryſtallorum naſcentium congeries.

Vaſcula pretioſa ex argillâ Melitenſi.

Tabellæ æneæ, quæ typos exhibent pugnarum bacchanalium.

Tabellarum, & hiſtoriarum magnus numerus. Inter quæ eminent Piſani pictoris & ſtatuarij maxima toreumata,

quæ vocamus Italicè Medaglioni.
Alberti Dureri typus plumbeus, exhibens Imaginem muliebrem artificij ſingularis.
Exotica non pauca, veluti Legumina ex Indiâ.
Chartæ, & Sericum è regione Sinarum.
Succinum rude, & ſimilia.

Et, vt vno verbo dicam, Amphitheatridium Artis & Naturæ vnico conclaui concluditur.

Reſtat BIBLIOTHECA inſpicienda: pro cujus foribus hæc leguntur.

QVISQVIS AMAS MISERAE DVXISSE OBLIVIA VITAE,
ACCEDE, ET LATEBRIS PROPERA TE TE ABDERE NOSTRIS.
HIC TIBI QVOTQVOT HABET NATVRA ARCANA RECLVDET,
IMBVET ATQVE AVIDVM MONITIS SAPIENTIA PECTVS.

Extant inibi hi calamo exarati Codices

LATINI.

Titi Liuij prima Decas.
Horatij Carmina ſcripta characteribus Longobardicis ex munere Cl. viri Nicolai Craſſi S. C.
Ouidij Metamorphoſis ex munere Cl. Viri Joannis Bonifacij, Hiſt: Taruiſinæ ſcriptoris.
Virgilij Bucolica cum notis: qui Codex fuit primum Bernardi Bembi, deinde Petri Bembi Cardinalis.
Eiuſdem libri Aeneidos. Item cum gloſſis: qui fuerunt Modesti Polentoni, Sicconis filij, & Petri Bembi Cardinalis.
Vita Virgilij, auctore Seruio Honorato Grammatico.
Ciceronis Topica cum Commentario Boëtij.
Boëtius de conſolatione Philoſophiæ.

Vitru-

Vitruuius de Re Ædiſicatoriâ.

Pomponius Mela.

Apicij Cælij Epimeles.

Fragmenta Aſconij Pediani, & C. Valerii Flacci ex editione Poggij.

Prudentii Diptychion.

Sortes Apoſtolorum, & Commodianus, auctor antiquiſſimus, à Iacobo Sirmundo eruditiſſimo Theologo manu propria deſcripta, & dono data.

Notitia Vrbium Variarum incerti auctoris ex Iſidoro, & aliis.

Joannis de Rauennâ opera.

Epiſtolæ Petri de Vineis, & aliorum: e quibus aliquot tranſtulit in ſua vetera monumēta Vir Cl. Sebaſtianus Tengnagel, edita Ingolſtadii anno M. DC. XII.

Summa artis vulgaris dictaminis auctore Antonio de Tempo Judice Patauino. exemplaria duo.

Clarorum virorum Epiſtolæ ex munere amiciſſimi viri Hieronymi Aleandri.

Ieſuida, & carmina Hieronymi de Vallibus Patauini.

Capitula de Amore & dilectione Dei & proximi Albertini Judicis Brixienſis.

Clariſſimi viri Guarini Veronenſis ad Ludouicum de Gonzaga illuſtrem Mantuæ Marchionem de Diphthongis compendiolum, cum Valerio Probo de notis Antiquorum, & Aldo Manutio ad Chriſtophorum Fulginatem de Diphthongis græcis.

Andreæ Nauageri Carmina.

Capitula Mineralium.

Vita Senecæ auctore Franciſco Petrarcha.

Hiſtoriæ Latinæ ſcriptores cum cenſurâ Caroli Sigonij.

Commentaria in Perſium, & Iuuenalem.

Baptiſtæ Fieræ Mantuani Cœna.

Albertini Mußati Eccerrinis.

Franciſci Barbari de Re Vxoriâ.

Joannis Iouiani Pontani de Fortunâ ex autographiâ P. Bembi.

Inſcriptiones antiquæ Vrbis, & agri Brixiæ.

Franciſci Pamphili Sancto-Seuerinatis Picœni fragmentum.

Pomponij Læti autographum in Quintilianum, Martialem, & alia eiuſdem.

De Machinis Hauſtoriis incerti auctoris fragmentum.

Ludouici Lalarelli de Apparatu Haſtiludii Patauini fragmentum.

Oratio Jo: Baptiſtæ de Adrianis ad Ducem Auguſtinum Barbadicum.

Statij Thebais.

Logica Pauli Pergulenſis: cujus apud Pignorium imago ectypa viſitur.

Dantis Tertii Aligeri Panegyricus ad Franciſcum Diedum Veronæ Prætorem.

Matthæi Palmerii Chronica.

Tranquilli Moloſsi Cremonenſis Carmina.

Bartholomæi Fuſci Leonici Veneti de Thomeis Carmina.

Publii Auguſti Gratiani Vtinenſis Odarum, ſeu Hymnorum

rum liber: cujus Imaginem in Iconothecâ Pignorius adſeruat.

Farrago Carminum, Orationum, Epiſtolarum non-antiquarum.

Capitulare Eccleſiæ S. Marci auctore Nicolao Morauio.

Vita Beatæ Euſtochij.

Prouinciale Romanum.

Series Epiſcoporum Patauinorum.

Ioannis Sancto-Martini Medici Vicentini de Vinorum commixtione.

Iacobi Cuiacii diſſertatio in Titulum de Pactis.

Præterea habet multos Codices impreſſos, notatos ad marginem manu doctiſſimorum virorum. Ad hæc *Volumen Epiſtolarum variarum autoraphum: Matthioli, Cluſii, Dodonæi, Bauhini, Torqnati Taſſi, &c.*

Item Opera Ciceronis duobus Tom. ex Bibliotheca Caroli Quinti Imp.

CODICES GRÆCI.

Gloſſarium.

Homeri Batrachomyomachia.

Orphæi Hymni.

Ariſtotelis Rhetorica.

LINGVIS VERNACVLIS.
Scripti.

L' Origine de' Longobardi.

Croniche della Città di Parma.

Cronica di Eſte.

Cronica di Frate Martino.

Le inuentioni antiche, & moderne di Guido Pancirolo.

Fragmento dell'Hiſtoria di Papa Aleſſandro, donato dall'Eccellentiſsimo Signor Gio: Bonifacio con figure antiche.

Compendio delle Nauigazioni del Rhamuſio, & altre coſe.

Di Leon Battiſta Alberti inuentioni diuerſe.

Viaggio di S Carlo alla Santa Sindone, & Inuentione del Corpo di S Stefano Protomartire.

Varie memorie della Religione Franciſcana.

Delle coſe auuenute nella Creatione del Sereniſsimo Principe Donato.

Teſoretto di Brunetto Latini.

Theſeide del Boccaccio.

Regola, & modo per fare li Horologi da Sole.

Marco Antonio Soranzo delle Cifre.

Arte del Nauigare in lingua Portugheſe.

Regole di Monache.

IOAN-



IOAN. PREVOTIVS RAVRACVS
MEDICINÆ PROFESSOR PATAVII

IOANNES PREVOTIVS.

MAjori naturæ, quàm fortunæ indulgentiâ Delemonti, quod municipium in diœceſi Baſilienſi, vulgo *Dilſperga* patre Theobaldo An. ſalutis M.D.LXXXV. die IV. Iulij D. Vdalrico Epiſcopo ſacrâ ortus, cùm à primis annis præclara dediſſet ſublimis ingenij documenta, poſt prima linguæ Latinæ rudimenta domi accepta Dolam, quæ Burgundiæ Metropolis eſt, puer miſſus, Societatis Ieſu Patribus porrò erudiendus traditur. Vbi cùm humaniores literas ac dicendi artes didiciſſet, in Germaniam reuerſus Molshemij ac deinde Dilingæ eorundem Patrũ ductu triennium Philoſophiam ſublimiorem eâ attentione hauſit, vt iuuenem Anno M. DC. III. Iul. die III. publico Baccalaurei & Magiſtri titulo dignum dimiſerint. Ingenium ei contigerat acre, atq; ad quaſuis diſciplinas capeſſendas promptum: cui acceſſit natiua linguæ facilitas, vt ſummam de ſe omnibus opinionem moueret. Hinc in dies ei creuit Magnatum fauor: adeoq; gratus fuit Comiti cuidam Imperij, vt ipſum Ratiſbonam Anno M. DC. I. in celebre colloquium inter vtriuſq; partis Theologos conſtitutum inſigni fauoris argumento aſſeclã ſibi ſeligeret, quem tantùm ex conſtitutione vnum habere licebat. Paulò poſt ſummæ apud omnes in eâ ætate exſpectationis, Sereniſſimi Leopoldi Archiducis Auſtriæ, tunc temporis Antiſtitis

Argen-

Argentinenſis &c. auctoritate & munificentiâ in Hiſpaniam mittitur, vt ſacris literis operam nauaret. Patriæ igitur Anno M. DC. IV. III. Kal. Maij valedicens, natalium ſuorum morumq; ac diſciplinarum liberalium teſtimonio ab Illuſtriſ. Epiſcopo Baſilienſi, & Societatis Patribus luculenter munitus, Idibus Maij in Italiam penetrauit. Patauium poſtquam applicuiſſet, vlteriùs progredi diſſuadebat æſtus ingens, qui nauigationem Genuâ in Hiſpaniam difficiliorem minabatur, imò iuueni ſatis calido iter, quàm conueniebat, laborioſius. Hìc itaq; cùm æſtatem agere conſtituiſſet, ne quid ei temporis inutiliter efflueret, ſcholas publicas quotidie obibat. Incidit fortè inter alios in Herculem Saxoniam, Medicum tunc temporis apprime doctum ac diſertum: cujus admiratione cùm aliquoties ad ipſius prælectiones rediret, cæpit tandem inſtantibus vacationibus publicis Viri clariſſimi indicio aliquem ſibi poſcere medicum ſcriptorem, cujus lectione non ſolùm oblectaretur, donec remiſſiori calore ſe in iter daret, verùm etiam aliquod ſibi conſeruandæ ſanitatis præſidium acquireret. Saxonia, qua erat in exteros humanitate, de ſuâ bibliothecâ ei Fernelium deprompſit. Librum auidè lectum cùm poſſeſſori redderet, de accurationi porrò ſtudij medici ratione ſciſcitatur: addens, ſi qua ipſi affulgeret ſtudiorum commoditas, quam iniuerat, vitæ rationem ſe facili negotio commutaturum.

Verùm animo ad magna contendenti fortuna hìc durior videbatur, cum qua omnino colluctandum eſſet. Vnum à literis expectandum erat præſidium. Adoleſcen-

tulis ingenuis erudiendis adhibetur optimus juuenis: quem tamen non deterruit laboris difficultas. Induſtriâ namq; ipſorum ſtudia dum promouet, quod ſibi tempus diſceſſit, lucubrationibus reparat. Otium hoc nactus, quantumuis laborioſum, cùm de Medicinâ jam omnis eſſet cogitatio, ad ſcholas redit: vbi diſſertationibus philoſophicis, eo tempore conſuetis Doctoribus, innotuit. Florebat inter cęteros eâ ętate Viros clariſſimos Alexander Vigontia: qui optimus ingeniorum cenſor Preuotium ſibi à ſtudijs domeſticū deſiderat. Conditionem libens arripit, ad quam inuitabat maximè cum ſingulari comitate iuncta Viri liberalitas. Medicis itaq; ſe totum addicit. Herculem Saxoniam eâ ſedulitate docentem audit; vt ſingula fermè ejus verba exciperet. Euſtachium Rudium præterea, & Io: Thomam Minadoum Præceptores coluit. In primis Hieronymo Fabritio ab Aquâ-pendente, cui Anno M. DC. XII. à Natione Germanicâ in Theatro Conſiliarius eligebatur, adeò placuit; vt teſtamento poſthuma ſua Anatomica ipſius curâ vulgari juſſerit: quod tamen inſtitutum arte hæredum fuit impeditum, ne decretum ab optimo ſene laboris præmium exſoluerent: etiamſi operam ipſe gratis offerret. Alpini etiam, Horti publici Præfecti, neceſſitudine tantum profecit, vt non exiguo diligentiæ argumento poſtea Doctori ſucceſſerit. Ariſtotelicæ diſciplinæ notitiam Cæſari Cremonino probauit, qui germanum Philoſophi ſectatorem cenſuit. Ingenio autem cùm eſſet verſatili ac prompto, Philoſophiam ſine Mathematū cognitione mutilam ratus, Galilei Galilei & Io: Antonij Magini operâ eò in

ijs di-

ijs diſciplinis progreſsus eſt, vt Aſtronomicis & Aſtrologicis aliquã ingenij laudem jure meruerit. Ne tamen eiuſmodi ſtudiorum amœnitatibus à ſerijs diuerteretur, omnes ingenij conatus ad eam potiſſimùm Artis rationem intendebat, quæ medendo perficitur. Conſilio fauit domeſticum Patroni exemplum, qui VIII. Idus Martij Anno M. DC. VII. præſentibus Cęſ. Cremonino, Euſtachio Rudio, Benedicto Siluatico, Andreghetto Andreghettio, Camillo Bellonio, ac Tarquinio Carpineto poſtquam ei medicam lauream contuliſset Annibal Bimbiolus Patauinus Theoricæ Medicinæ ordinariæ Profeſsor primæ ſedis, diſcipulum jam Doctoribus adſcriptum ægris familiaribus ſedulò commendauit. Is verò omnibus ita ſe vigilantem ac prouidum oſtendit, vt ſenſim ei credita fuerit Principum exterorum ac Magnatum valetudo: apud quos linguæ Germanicę Gallicæq; vſu plurimum pollebat. Illuſtri in primis Equiti Henrico Vottono, Regis Magnæ Britanniæ apud Venetos Oratori, rerum naturalium peritiſſimo, eiuſq; poſtea ſucceſsori Iſaaco VVeck percharus fuit, quòd felicem ipſius operam eſsent experti: quam plurimis etiam inter Germanos Principibus ac Magnatibus probauerat. Opinioni non parum momenti attulit vtriuſq; Nationis Germanę iudicium: quæ Adriano Spigelio in Morauiam excito, alterum ciuem Anno M. DC. XII. XIII. Auguſti vnanimi conſenſu ſibi Medicum delegit. Famam hanc augebat in dies medendi dexteritas, quam iugi meditatione ac indefeſſis lucubrationibus firmabat. Inde ſummorum medicorum, Caſp. Bauhini, Henningij

Arniſæi, Danielis Sennerti, Georgij Nöſſeri, crebræ ad ipſum de rebus ſeriis literæ. Venetorum ea quoq; fauorem peperit, atq; in primis Illuſtriſsimi Andreæ Mauroceni Senatoris prudentiſsimi: cujus adhuc Epiſtolæ publicè affectum teſtantur quem Donatus frater Preuotij Liberis, dum vixit, perennem ſeruauit. Parem etiam experiebatur animum Nicolai Contareni, quem felicibus Sereniſs. Reip. auſpicijs Principem vidimus. Nec inferiori fuit loco apud Octauianũ Bonũ m ſummæ prudentię Senatorem, & Nicolaum Contarenum rei herbarię fautorem maximum. Hi certatim in ipſum ſua conferebant ſtudia. Nec deerant alij, qui Medico juueni ſuadebant Conſtantinopolim, rei augendæ commodam. Qua verò erat animi æquitate, Scholæ magis aptus, fortunæ mediocritatem Patauij prætulit. Poſtquam igitur decennium integrum Vigontiæ contubernio exegiſset, Anno M. DC. XIII. XXVIII. Martij ab Illuſtriſſimis Gymnaſij Moderatorib: Viro clariſs. Andreghetto Andreghettio in Lectura III. Libri Auicennæ exiguo ex more LX. florenorum ſtipendio ſufficitur. Hanc prouinciam dum plenis ſubſellijs non publicis tantùm, ſed domeſticis etiam Prælectionibus egregiè tuetur; Anno M. DC. XVI. XIV. Ianuarij Cathedra hæc CC. florenorum ſalário aucta. Viro etiam cl. Proſpero Alpino jam fatis defuncto, Andreæ potiſſimùm Mauroceni conſilio, Horti iuxta publici cura, additis LX. florenis, ipſi cõmittitur: quam in tantâ negotiorum varietate quatuor & decem annos ſingulari diligentiâ ſuſtinuit. Eam ne rei domeſticæ curâ turbaret, de honeſta coniugij ratione cogitauit, è quo,

conjuge Magdalenâ Nicolai Vaſelini filiâ, Simonis Vaſelini opulenti in Hiſpaniâ negotiatoris nepte, præter quatuor filias binos ſuſcepit filios: quorum iunior alter Io. Baptiſta bonam de ſe ſpem præbet: alter annis major Theobaldus in paternæ eruditionis ſucceſſionem educatur: cui ad profectûs compendium non parum animi addere poterunt relicta cum optimis ſcriptoribus egregia ac eruditionis plena optimi Patris Aduerſaria, variaq; Conſilia & Prælectiones. Quamuis ex hypotypoſi plerumq; breuiſſima ad Auditores copioſè ac diſertè verba faceret. Porrò labente jam ætatis Anno xxxvi. Anno M. DC. XX. VI. Maij durante eodem ſtipendio ad ſexennii jam cœpti finem à ſecundo Practicæ extraordinariæ loco, in locum cl. Benedicti Siluatici ad primam extraordinariè Practicę ſedem promouetur. Eam pari, qua inuenerat, gloriâ vt exornaret, omnes ingenij neruos intendit. Muuere hoc itaq; cõtinuato, Sereniſs. Principis ſententiâ in Collegium Patauinum receptus Anno M. DC. XXIII. XII. Nouembris annuum totidem florenorum præmium obtinuit; quod Anno M. DC. XXVIII. XXX. Ianuarij C. XL. florenis creuit, vt quotannis DC. florenis doceret. Ampliori ſe autem dignum oſtendit. Veterum namq; doctrinam ſolidè propoſuit; ac neruosè, eâ breuitate, quam permiſit argumenti amplitudo. Ordinis quàm maximè ſtudioſus, de quo ſe profitebatur ſemper magis ſolicitum, quàm de inuentione rerum. Diſputationes modeſtè inſtituit, nec vnquam ſine neceſſitate, & veritatis ſtudio; quam ad vitæ vſum vbiq; ſine omni oſtentatione ſectabatur; ſermonis politiâ vltrò atten-

tionis

tionis beneuolentiam impetrauit, eamq; ſcholæ frequentiam, quam prœter eruditionem promptum omnibus animi ſtudium merebatur. Viri Eloquentiam oſtendunt, quæ in ſcrinijs hæredum ſuperſunt, quatuor ac decem orationes, tum in Horto, tum è ſuggeſtu Gymnaſij habitæ: quas vocis lenitate vultuq; ad grauitatem compoſito verè animâſſe credebatur. Morum verò ſuauitate atq; obſequijs ita Collegas in ſui amorem inuitauit, vt rarò grauior caſus occurreret, cui non in conſilium accerſeretur: vbi eruditâ diſſertatione, tum ægris, tum auſcultatoribus ſe ſe commodum præbuit. Sanctorio ſummi ingenij Viro in primis charus fuit, ejuſq; ſucceſsori Pompeio Caimo Polyhiſtori Medico, Roderico à Fonſecâ pariter, & Io: Colle Primarijs Medicinæ Practicæ Profeſsoribus, Benedicto Siluatico Equiti, qui relictam ſibi poſt hos Viros prouinciam non minori nominis famâ exornat. De rebus philoſophicis non rarò cum Cęſare Cremonino & Fortunio Liceto ſummis Profeſsoribus acutè diſſerebat. Laurentium quoq; Pignorium Antiquitatis famâ clarum eximiè coluit. Fabrum pariter & Matthiam Ferchium Theologos inſignes Minorum, vt dicunt, Conuentualium: cujus ordinis valetudini ſollicitè præfuit: Viros etiam clariſſimos Io: Dominicum Salam & Andreghettũ de Andreghettis Artis Medicæ Profeſsores Theoricos ſibi mirè propenſos habuit. Nec inferior ipſi cum Medicis Venetis amicitia intercedebat, maximèq; cum Michaële Angelo Rotâ, olim ſtudiorum conſectaneo: quorum omnium affectus prudenti comitate demerebatur. Eam deniq; apud primores vrbis

ciues ſingulari diligentiâ & prudentiâ de ſe opinionem concitauerat; vt pleriq; ſuæ valetudini admouerent. Nec rarò Venetias vocabatur: in primis ad Sereniſs. Principem Franc. Contarenum: cui dubiè admodum decumbenti cõtra multorum ſententiam, bono euentu, ſalutem prædixit, egregio poſtea munere decoratus. Hiſce tamen gloriæ initijs minimè contentus, quicquid in Arte recens inuentum curioſè inueſtigabat, Recentiorum ſcripta iungens Antiquis; minimè horrens Spagiricorum inuenta, quæ ad Dogmaticorum leges reuocabat. Veterum obſeruationes pro re actâ ſuis experimentis cenſebat. Ægrotantium viſitationibus cùm totum diem impenderet; ſtudijs horæ ſupererant veſpertinæ, quas ille ad lucernam ante cœnam perquam frugalem protrahebat: egregiâ corporis ſpecie ſatis validus, nec facilè morbis, niſi quandoq; deſtillationi, ſtudioſis frequenti, obnoxius. Hippocratem, Galenum, & Auicennam familiares habuit: quorum ſcita tradidit ſuis auditoribus. Inueſtigandis obſcuriorum cauſis primùm, quid ſuo poſſet ingenio, explorauit; alios deinde ſcriptores ad conſenſum adijt. De quibus ingenuo ſemper animo, ſine partium ſtudio, liberè iudicium tulit apud diſcipulos & familiares ſibi comites, quos in diuerſis Europæ partibus magno Reip. bono reliquit doctrinâ & medendi peritiâ claros: inter quos eminent hodiè in Belgio Adolphus Vorſtius, & Fortunatus Plempius: in Germania Vernerus Rolfinckius, Medicinæ Profeſſores celeberrimi. Domeſtica eius diſciplinæ apud nos exempla eminent Viri claríſs. Io. VVeſlingius Primarius Anatomiæ & Pharmaciæ

maciæ Profeſſor: Io. Baptiſta Soncinus non ita pridem Pataiuij Practicæ Extraordinariæ Profeſſor Primarius: cui id laudis acceſſit, quòd poſt felicem in patriâ apud Brixienſes Artis exercitationem Præceptoris munus dignè ſuſtineat, nunc ad ſupremam Practicæ ordinariæ cathedram à magno Etruriæ Duce Piſam accitus. Antonium quoq; Gambarum *P*atauinum doctorem adhuc ſuperſtes è ſuggeſtu docentem audiuit. Reliquos ſummæ ſpei Iuuenes fatalis vrbi peſtis ſuſtulit. Superſtitem ſors voluit D. Carolum Auantium medicum peritum, Rei in primis Herbariæ ſcientiâ etiam vltra Alpes notum. Inter familiares intimiori neceſſitudine junctos, vitæq; veluti teſtes charos habuit cl. Viros Benedictum *P*riolaum, Gallum, & Io. Rhodium, Danum, amicum noſtrum: à quo bonâ fide accepimus, mores Viri fuiſſe apertos, animum erga ſuos benignum, hilarem, in miniſteria & domeſticos, præterquam in liberos, etiam iuſto mitiorem, liberalem ſupra fortunam, maximèq; in muſarum alumnos, aut quos de meliori loco precipitauerat ſors iniquior. Illud peruagatâ famâ notum eſt, ad lucrum minùs fuiſse attentum, ægris cujuſcunq; conditionis ſine vllâ præmij ſpe libenter adfuiſſe. Suos tamen liberos, non paruo quęſtûs argumento, in re ſatis honeſtâ reliquit, fortunæ moderationē ſequutus: cujus plurima nec ficta in ipſo indicia elucebant. Defunctâ namq; coniuge ad ſecundas nuptias redijt cum Eliſabethâ Miani, parùm veritus numeroſioris familæ onus: quam vno tantùm filio Petro, qui, nobis hæc ſcribentibus, Anno M. DC. XLIII. ſublatus variolis, & vnicâ filiolâ Cæciliâ auctiorem

tiorem reliquit. Sed & Bononiam paucis ante obitum annis ad Claudini cathedram, vt vocant, ſupraeminentem publicis literis à clariſs. ejus Gymnaſij Profeſſoribus Melchiore Zoppo & Andrea Mariano allatis inuitatus, propoſito ducentorum ſupra mille Coronatorum ſtipendio annuo; ſummum honorem ingentemq; ſenatûs liberalitatem modeſtè poſthabuit beneficentię ac æquitati Venetorum: quos primos ſuæ fortunæ auctores porrò ſui rationem habituros credebat. Nec ſpes irrita cogitationes fefellit. Iam quippe Sapientiſs. Moderatores Gymnaſij ob fidem ac reuerentiam Sereniſs. Reip. neglectâ lautiori conditione, ſeruatam Preuotium, eruditionis famâ clariſſimum, ſublimiori loco dignum cenſuere. At ſummo rerum arbitro aliter viſum. Peſte quippe Anno M.DC. XXXI. vrbem vaſtante, dum veteris officij memoriâ creditas ſibi familias deſerere noluit, prouidè quidem in vicis auxilia ſuggerens, pediſſequus parum cautâ cum alijs conuerſatione in ædes, cæteroquin abſente hero clauſas, contagium introduxit. In Hortum igitur Preuotius XX. Iulij cum vxore & minori filio ſecedit, vt ſuæ ſaluti conſuleret. Vetito cum alijs commercio, cùm rebus diſponendis ſe paulò grauiùs exercuiſſet, jamq; animus in aduerſa ſatis alioquin obfirmatus quatuor è primo conjugio filiarum jacturâ nō parum moueretur; vehementi æſtu percita febris Viro ſagaci non vanam delirij ſuſpicionem mouit. Animo itaq; adhuc integro, perpetuis ſudoribus extrema minantibus, ſolenni ritu ſupremæ voluntatis codicillum condidit: non omiſſis interea præſidijs, à quibus ſalus ſperari poſſet. Iis

verò nihil proficientibus cùm in dies malum creſceret, ſo-lutis tandem viribus annos natus XLVII Anno reparatæ Sa-lutis M. DC. XXXI. III. Auguſti horâ XXIV. naturæ ſatisfecit, in D. Antonij Baſilica ad Polonorum Aram conditus. Cujus memoria quamuis Medici verè fortunati exemplo famæ æternitate perennet, dolendum tamen, quòd præ-claros animi conatus anteuerterit præmatura fati celeritas. Iam.n. *Stirpium in agro Patauino Indicem* auſpicatus erat: quem non licuit pertexere. *Iucundam* quoq; *Medici-nam* inchoârat: ſed extremam operi manum addere vetuit occupationum moles: quemadmodū & *Definitiones Af-fectuum Particularium Analyticas* concinnè digeſtas: quibus peculiari commentario *Determinata ſingulis Reme-dia ſecundùm Loca; Empiricæ Rationalis* titulo cōquirebat: ſed parū progreſsus, veluti in *Remedijs quoq; Selectioribus. Calendarium Oeconomicum* horis ſubciſiuis ingenioſè con-ſcriptum, atq; ab Amicis lectum, colophonem deſiderat. *Rariorum* ad hæc *Obſeruationum Practicarum cum Exe-geſi Theoricâ Centuriam* promiſerat. Meditabatur præte-rea *Commentarium de Humoribus: de Vrinis, & Pulſi-bus. de Victu Ægrorum: Simplicium Vſualium Hiſtoriam & vires: Errores Principum Medicinæ: de Inflammatio-nibus internis: Scopulos Medicinæ, ſiue de his, quæ à Medi-co perfectè ſciri non poſſunt.*

In ſcrinijs integrè ſeruantur, quæ potiùs Auditorum vſui, quàm ad pompam domi dictabat, per otium ſub in-cudem reuocanda: quamuis & poſtea Eruditorum judicio lucem videantur meruiſſe.

Inſti-

Inſtitutionũ Medicinæ Practicæ nomine Tract. IV. quorum.

I. De Signis.

II. De Methodo Medendi.

III. Elenchus Medicamentorũ, quæ cõmuniter vſurpantur. Hunc Anno M. DC. XL. Io. Stephanus Medicus Venetus vulgauit, ab eo longè diuerſum, quem hæredes poſſident.

IV. De ratione Præparandi & componendi medicamenta.

Acceſſit peculiaris *De ratione componendi medicamenta in communi* Libellus, qui veriùs tertium inter hos modò enumeratos locum obtinet. Omnium hic Auctoris ingenio digniſſimus nuper in Germaniâ editus eſt curâ V. Cl. Friderici Monauij Medici & Botanici eximij.

Methodus recitandorum Caſuum.

Medicina Pauperum.

Tractatus de Venenis, & Alexipharmacis. Hos junctim libellos in lucem produxit Ioannes Beierus Bibliopola Francofurtenſis, ſed variè interpolatos ac mutilos. Emendatiores à Theobaldo filio expectantur.

Ejus *de Plicâ Polonicâ Conſilium* Daniel Sennertus ſuæ Praxi Medicæ inſeruit.

Viri merita in ſcholis publicis Natio Germana ad ipſius Inſignia hac Inſcriptione proſecuta eſt.

IOANNI PREVOTIO RAVRACO
PHILOSOPHO AC MEDICO INSIGNI.
PRACTICAE EXTRAORDINARIAE
PROFESSORI PRIMARIO.
CIVI ET DOCTORI DESIDERATISSIMO.
NATIO GERMANA ARTISTARVM POSVIT
AN. M. DC. XXXIV.

Thomas quoq; Bartholinus, Caſpari filius, Danus hoc ejus meritis elogium ſacrauit.

Ad votum natus docti Preuotius orbis
Mox ſtrinxit votis Numina cuncta ſuis,
Et reditura gradu ſimili dum vota reſurgunt,
Vota Patauini non peritura vocant.

OCTAVIVS RVBEVS.

Clariſſimus rerum Brixienſium ſcriptor, Iacobo de Rubeis natalibus ſplendido, & Hippolytâ ex nobili Scarpi familiâ anno ſalutis humanæ M. D. LXX. Die XXVIII. Iulij horâ XI. min. XXX. natus, cùm puer mirâ eluceret indole, & ad maxima quęq; aptus videretur, à parentibus maturè ſtudijs admouetur. Literas in primis humaniores & græcam linguam à Proſpero Martinengo Monacho Caſſinenſi didicit: deinde in Gymnaſio Patauino reliqua animi ornamenta, quæ ex ſcientiarum poſſeſſione exoriuntur, conſecutus eſt: vbi tandem meliori fato totum ſe ad Poëſim & Hiſtoriam applicuit. Sed cùm naturæ propenſione ad Antiquitatis ſtudia raperetur, perluſtratis pleriſq; Italiæ Gymnaſijs, Romam contendit: vbi ex cl. Virorum, atq; in primis Bellarmini ac Baronij ſummi eâ tempeſtate nominis familiaritate, multiplici rerum cognitione & eruditione animi culturam auxit. Neapolitanum quoq; regnum inuiſit: deinde in Germaniam conceſſit, ac Hungariam: vbi architecturæ

turæ militari, ductu Tabarini centurionis admodum celebris, incubuit. Hinc in patriam reuerſus, vt aliquod ſuorum itinerum & laborum ſpecimen Ciuibus ederet, elegãtiſſima ſua carmina etruſco ſermone vulgauit: mox S. Iuliæ vitam Sereniſs. Chriſtiernæ Lotharingiæ, Magni Ducis Etruriæ coniugis auſpicijs publicauit. Tandem cùm annos xxx. attigiſset, vt parentibus morem gereret, Victoriam cl. V. Hieronymi Monceleſi I. V. D. & Paulæ Auogadræ filiam vxorem duxit: ex qua binos filios habuit adhuc ſuperſtites, Iacobum Mariam S. Nazarij Canonicum, ingenij & candoris famâ conſpicuum, Eccleſiæ Cathedralis Præpoſitum, & Carolum literis pariter atq; armis pollentem: quorum vterq; patris nomen perhonorificè ſuâ virtute tuentur. Defuncto parente, etiamſi curis domeſticis occuparetur, attamen cùm ad altiora animus aſpiraret, literarum ſtudia minimè intermiſit. Imò ſe totum ad patriæ Hiſtoriam conuertit, quam non ſine vtili labore, anno ætatis trigeſimo ſeptimo totidem libris abſoluit. Inter cætera de rebus patriæ commentaria primum occupant locum Monumenta Brixienſia, vulgo *Le Memorie Breſciane*, iconibus æneis eleganter exornatum opus, exteris ciuibuſq; ſatis ſummopere gratum. Quod dignè hoc elogio cl. V Io. Franciſcus Vlmus ornauit:

OCTAVI, amatæ dum patriæ decus
Inſigne monſtras, quàm fuerit potens,
Quàm clara ſemper, Dijſq; chara;
Ipſe tuos titulos perenni
Cum laude firmas: ipſaq; marmora

Exeſa

Exeſa ob æuum, mutaq; reddita,
Authore te, priſcos referre
Atq; tuos valeant honores.

Eâdem pietate in res ſacras accenſus, alterum opus *de Reliquijs & Martyribus patriæ Tutelaribus, Fauſtino, & Jouitâ* edidit: & paulò poſt *Illuſtrium Brixienſium Elogia* operâ itidem Hiſtoricâ & Symbolicâ etruſco idiomate ſcitè conſcripſit. *Epiſtolas* etiam varij generis, itemq; *Orationes ac Diſſertationes* omnium applauſu edidit. Staturâ mediocri, hilariq; vultu, mirâ ingenij dexteritate, morũq; dulcedine, acutâ quadam & accuratâ ſagacitate, exactâ eruditæ antiquitatis notitiâ amicis cęteriſq; gratiſſimus omne punctum tulit. Ætate nondum prouectâ magnos obtinuiſset honores, niſi Pontificis inſtitutum euertiſset fati celeritas, cùm vix Brixiâ Bononiam acceſſiſset. Nec parum ipſius famæ addidit ab Henrico Condæo Galliæ expetitum Brixiæ cum ipſo colloquium. Sed Henrico Matthiæ Turriano Comiti, militiæ Venetæ Legato, Brixiæ ea fuit de ejus virtute opinio, vt à ſecretioribus ſibi elegerit conſilijs, honorario ſatis lauto, & paulò ante diſceſsum pretioſis varij generis gemmis donauerit. Inde Ioan. Gerardus Voſſius Polyhiſtor inſignis eum nõ immerito *ſummæ doctrinæ & humanitatis virum* appellat lib. de Hiſtoricis Latinis pag. 812. & lib. III. vbi de Heliâ Capreolo: *fuere ij* (loquitur de poſterioribus libris Hiſtoriæ Capreoli ineditis, qui in Illuſtriſs. Dominici Molini manus deuenerunt) *ante Octauij Rubei patricij Brixienſis, ex Rubeorum Parmenſium familiâ, viri præcellentis eruditionis, vti monumen-*

numenta ejus comprobabunt, quæ de Brixienſium, & hujus temporis geſtis, ſummâ induſtriâ, fide, ac prudentiâ pergit conſignare. Cluuerij quoq; in Veteri Italiâ encomium promeruit. Laurentij Pignorij pariter in Elogijs, alijſq; monumentis. Itemq; Ioannis Bonifacij I. C. aliorumq; ingenio præſtantium. Artifices alicujus nominis, maximeq; pictores, charos habuit, quos ſuo conſilio & auxilio promptè iuuit, rebus ſymbolicis & emblematibus ſummoperè delectatus. Teſtantur id Aulæ Prætoriæ Veronenſis varijs generis Icones, à Franciſco Pona Philoſopho & Medico præſtantiſſimo in ſuo *Stolone* deſcriptæ: in quibus cōſpicitur Rubei eruditio & judicium. Principibus ob ſingularem etruſcę linguæ peritiā adeo placuit, vt Rudolphus II. Imperator alijq; Principes ipſum à libellis præficere voluerint. Sed priuatæ vitæ ſtudio delectatus renuit, vt ex ipſius literis apertum eſt: quæ etiam cum viris magnis neceſſitudinem oſtendunt. Eum quoq; ob eximiā fidem ſæpius in grauioribus negotijs probatam, Duce Ioāne Cornelio, Sereniſſima Reſp. Veneta, conſilio præcipuè ſapientiſſimi ſenatoris Dominici Ruzini eâ beneuolentiâ proſecuta eſt; vt ampliori titulo atq; honorario Collateralis, vt vocant, vicemgerentis munere honeſtauerit anno M. DC. XXIX. Inter Conſiliarios etiam Sereniſs. Reipublicæ fuiſſet cooptatus, niſi fatis prǽmaturè ceſsiſset. Is tamen fortunæ fauor ipſi parum durauit, quamuis ſortem ſuam gigantęam dicere ſoleret, ſi ſpectes nominis immortalitatem, ad quam firmo paſsu contendebat verè. Superatis namq; æmulis, qui veneno ipſius ſaluti inſidiabantur, infectus peſtilentię

cor-

contagio, quod ſeptem ante annos ſibi præſagierat, cum binis filiabus alijſq; domeſticis, vitam, qua longâ dignus erat, intempeſtiuâ morte commutauit Anno M. DC. XXX. Die XXVIII. Septembris inter XXIII. & XXIV. horam, in cæmeterio templi Cathedralis cõditus: vnde ipſius & coniugis oſſa in æde S. Mariæ Calcariæ ſita in eundem locũ ad S. Dominicum transferenda. Primi tumuli hæc inſcriptio.

VTINAM
MORTALIBVS IN HOC SECVLO
PERMITTERENT IMMORTALITATEM
FATA
HANC VTIQVE QVAM SVAVISS. QVAM LIBENTISS.
TIBI FVISSENT ELARGITA.
OCTAVI ROSSI
VIR CLARISS.
H. T.
OBIIT MVLTARVM VIRTVTVM LVMINE CONSPICVVS.
M. DC. XXX. V. CALEND. OCTOBR.

Edidit etruſco idiomate.

Le Memorie Breſciane.
Gli Elogij Hiſtorici de' Breſciani Illuſtri.
Vita di S. Giulia Vergine, e Martire.
Vita di SS. Fauſtino e Giouita.
Della Santiſsima Croce di Breſcia.
Vn volume di Rime Liriche.
Lettere diuerſe & Orationi.
Le Glorie de' Franceſi.

Edenda

Edenda.

Le Hiſtorie Breſciane diuiſe in XXXVII. libri.
Il Tempio de' Santi Breſciani.
Le Medaglie antiche.
La Seconda Parte delle Lettere e Rime.
I fatti Illuſtri antichi della Città di Breſcia.

CAMILLVS PANCETTA.

SErraualli Venetorum natus, Franciſco patre I.C. & matre Æmiliâ Plazzoniâ, cùm adoleſcens ingenij ſui vires varijs diſciplinis excoluiſſet, Patauio Philoſophiæ, Theologiæ, ac Iuriſprudentiæ lauream ſummâ cum laude reportauit. Politioribus literis, ferente genio, Muſiſq; addictus, etruſca & latina diuerſi generis carmina cecinit: varias etiam orationes ac diſſertationes in Academijs habuit, præſertim in cœtu Ricouratorum, qui tunc florebat. Ad patriam redux Deoq; dicatus eadem ſtudia ſummâ vitæ tranquillitate percoluit. Canonicus poſtea Cenetenſis electus, in eâ Eccleſiâ adeo morum probitate, atq; exactâ Iurium & rerum Eccleſiaſticarum peritiâ refulſit; vt Vicarius generalis Leonardi Mocenici Epiſcopi Cenetenſis electus, grauiſſima ibidem negotia ad optimum finem ſuâ prudentiâ & dexteritate perduxerit. Romam hinc profectus, cùm non inferiori ſuæ

experientiæ laude ibidem innotuiſſet, Canonicatum Patauinum beneficentiâ ſummi Pontificis Pauli V. obtinuit. Patauium igitur ei ſedes contigit, vbi iuuentutem lætè tranſegerat: magnoq; impetu ad prima ſui genij Poëſeos oblectamenta reuerſus, amicis ſuadentibus in Sereniſs. Reip. obſequium Poëma Heroicum, cui titulus VENETIA LIBERA etruſco idiomate euulgauit. Iuris Canonici profeſſionem, quam obtinuerat amplo honorario, magnâ docendi facilitate decorauit, omnibus inſigni affabilitate & comitate charus.

Vicarij generalis pariter titulo à Cardinale Valerio cohoneſtatus, vniuersâ tanti Epiſcopatûs molem ſuſtinuit, raraq; moderatione ac prudentiâ omnia peragens, felici euentu vitam ſuam clauſit anno M. DC. XXXI. in patriâ ætatis ſuæ LXIII. Conditus honorifico tumulo in Æde S. Andreæ Serraualli vnà cum Antonio ex fratre nepote, medico clariſsimo: qui iuuenis Venetijs adeo ſuâ arte inualuerat, vt, æqualibus ſuperatis, ipſe ſolus primam medicorum ſedem occupâſſe videretur. Epitaphio hoc clauditur vterque.

HOSPES SISTE, AC PERLEGE.
CAMILLVS PANCETTA E VENETIIS,
PATAVII IN CATHEDRALI ECCLESIA CANONICVS,
ET IN GYMNASIO IVRIS PONTIFICII
AD VESPERAS INTERPRES PRIMARIVS,
ANTONIVSQ. EX FRATRE NEPOS
MEDICVS CLARISSIMVS
HOCCE CONDVNTVR TVMVLO.

ILLE

ILLE IVRIS PERITIA ALIARVMQ. SCIENTIARVM
GLORIA CONSPICVVS,
ECCLESIAE OPTIMO EXEMPLO,
PRINCIPI EXIMIA VIRTVTE INSERVIVIT.
IN IVRE DICVNDO PRAESTANTIAM
ROMAE QVOQ. MAGNI VIRI MAGNIS IN NEGOTIIS
SAEPIVS SVNT EXPERTI.
DEVOTO ERGA VENETAM REMP. AFFECTV IMPVLSVS
VENETIARVM LIBERTATEM
HEROICO CECINIT CARMINE.
ALTER PRAECLARO PATRVI DVCTV,
PHILOSOPHIA AC MEDICINA FELICITER EXCVLTVS,
DVM VENETIIS NVLLI MEDICORVM SECVNDVS
MORTALIBVS EGREGIE OPITVLATVR,
PARCARVM INVIDIA ORBI ADEMPTVS EST.
FRANCISCVS CAN. CENET. THEOL. ET I.V. DOCTOR
FRATRIS, ATQ. NEPOTIS CELEBRI MEMORIAE
DOMVSQ. INCREMENTO ADDICTISSIMVS,
VT POSTEROS AD DOMESTICAE VIRTVTIS
AEMVLATIONEM INCITARET,
NON SINE LACRYMIS MON. PONI IVSSIT.

Familiæ dignitatem ſuis meritis auxere viri clariſſimi: inter quos Sertonus Pancetta I.C. cl. Camilli ex fratre nepos, hodie Patauij Aſſeſſoris munere magnâ ſui nominis famâ perſungitur.

Edidit.

Venetia Libera Poema Heroico.

Del Beuer freſco.

Multa quoq; apud Hæredes ſeruantur *in Artem mirabilem Raymundi Lullij*, nondum edita.

FELIX OSIVS.

VRbis Mediolanenſis familiam OSIAM ſunt qui non leuibus, vt putant, argumentis à Græcis ſacerdotibus Apollinis Delphici ortam affirmant. Templi .n. cuſtodes Oſij, & ſummus Sacerdos Oſius nuncupabatur. Cui ſententię fidem conciliare videtur cothurnus Apollini ſacer, quo gentis Oſiæ ſtemma inſignitur. Principijs vicinioribus contenti, quæ ex fide dignis monumentis accepimus, hic memorabimus. Diui Ambroſij ætate floruiſse, & aduerſus inſultantes in ſanctiſſimum Præſulem & Eccleſiam hæreticos dimicâſse hanc familiam, indicio eſt annuus cenſus, quem Monachi S. Ambroſij in hunc diem Seniori inter Oſios pendunt. Horum vetuſtatem ad hæc teſtatur locus, quem vocat *Arringheriæ* in vrbis Prætorio, vulgo *Lobbia degli Oſii*, floreſcente Rep. pro Roſtrorum loco habita. Nec obſcura eſt conjectura, quod hodie prætorium eſt, olim fuiſse Oſiorum: cùm ipſis in S. Michaëlis à Gallo Templum ei vicinum adhuc ſit jus,

quod


FELIX OSIVS MEDIOLANENSIS
PRIMVS ORATORIÆ PROFESSOR PAT

quod vocant, patronatûs. Merita verò hujus familiæ in patriam præcipuè declarat vetus lapis in Turre S. Franciſci: quo Robertus Oſius Patris patriæ titulo inſignitur.

Verùm graſſante per Vrbem diſcordiâ, cùm hæc familia Turrianorum partes aduerſus Vicecomites ſequeretur; fractis Turrianis, impar aduerſarijs in exilium agitur. Inde in varias orbis partes diſtracta de priſcâ virtute ſuâ nihil remiſit. Quoſdam nempe in Poloniam ſeceſſiſse certum eſt, cùm Regina Bona Sfortia per Italiam tranſiret: è quibus prodijt Staniſlaus Oſius S. Rom. Eccl. Cardinalis, qui Concilio Tridentino præfuit. Alios per Italiam ſparſos indicat Io: Baptiſta Oſius Romanus, qui Epiſcopus eidem Cõcilio interfuit. Franciſcus Oſius Rauennas carmine etruſco claruit. Inter delicias Germanorũ Poëtarum Hieronymus Oſius celebratur. Pauci, qui in Galliâ Ciſalpinâ remanſerant, cùm Franciſco ſecundo Sfortiæ ab Imperatore dominiũ eriperetur, in Venetam ditionem ſe receperunt. Hìc poſtquam nuptijs parum fauſtis res familiaris diriperetur, Io. Baptiſta ætate tenerâ aduerſæ fortunæ ſuccubuiſſet, niſi patrui Deodati Oſij Canonici Mediolanenſis cura pietaſq; ipſum ſubleuâſset. Literis itaq; cùm ingenium excoluiſset, cauſsarum patronum ſe quando q; præbuit. Honeſtis laboribus auctâ re familiari ex gemino conjugio numeroſam ſuſcepit prolem. Ex priori quidem Felicem, & alium filium, qui in ipſo vitæ limine obijt: itemq; binas filias. Ex altero Franciſcum noſtrâ ætate Philoſophum & I.C. cauſidicum Collegij Mediolanenſis, in quod de plebe nullus admittitur: Ioannem Dominicum ſublimi ingenij,

qui

qui ſine magiſtro picturæ & architecturæ ſcientiâ famam ac ætatem præuenit, ſed iuuenis deceſſit: quem pari fato ſecuti Io. Carolus Canonicus Regularis, Bernardinus, qui in Palatinatu miles occubuit, & Carolus Cæſar, infans humanis ereptus. Superſunt hodie Deodatus & Carolus Cęſar ambo literis moribuſq; politiſſimi, & vnica fœmina. Inter hos primus Felix Oſius optimo corporis temperamento & laboribus apto iuuenis literarum ſtudijs & Gręcæ eloquentiæ gnauiter incubuit, præceptore cl. V. D. Olgiato, & Antonio Salmaza; in Rhetoricis D. Cæſare Iſnardo Societatis Ieſu Doctore: quem defunctum annos natus XVI. publicatâ elegiâ defleuit. Hinc Cardinali Borromęo cùm innotuiſset, in peculiari Collegio Philoſophiæ & Theologiæ ſtudijs trienniumoperam dedit. Quo exacto, cùm anno ætatis XXI. S. Theologiæ Lauream obtinuiſset, ibidem docere cæpit, moxq; ſacris initiatus, literas humaniores & Rhetoricam in Collegio Heluetico. Pręfectus deinde Collegij Nobilium, & Heluetici, tandem in Collegio S. Simonis Rhetoricis docẽdis adhibitus, trienniũ ſuam induſtriam probauit. Inde Bergomum euocatus, in Collegio S. Mariæ Majoris tribus annis manſit. Ex quo Patauium Anno M. DC. XXI. accitus publicam vrbis ſcholam obtinuit. Ea hic ingenij documenta dedit, vt applaudentibus ciuibus exacto vix triennio ab Illuſtriſs. Gymnaſij Moderatoribus eloquentiæ cathedram ob ſua merita aſsequeretur: quam ſexennio publicis priuatiſq; laboribus ſummâ cum laude ſuſtinuit, Collegæ ſuo Io. Thuilio Poëtæ, Philoſopho & Medico par habitus: qui cum amiciſſimè & coniunctiſſi-

mè

mè vixit. Miranda in primis Viri erat in docendo familiaritas, magna etiam eruditionis fama. vnde prudentiſſimis Senatoribus Venetis atq; inter alios, Dominico Molino, Franciſco Mauroceno, alijſq; ejuſdem ordinis ſenatoribus gratiſſimus de inſtruendâ Bibliothecâ publicâ ſalubre monitum ſuggeſſit: quod tanto applauſu exceptum fuit; vt ipſum aucto honorario Libris publico vſui deſtinatis præfecerint. Illud ſine gratiæ precio & ſine affectu de Viro mihi familiari neceſſitudine noto ingenuè teſtari poſſum, omnibus fuiſse facilem, & æquo ſemper animo, non ſecundis elatum, neq; aduerſis depreſsum, ſemper ſui ſimilem: moribus apertis & candidis, tam propenſo pectore in amicos, amore, fide tam ſincera; vt vix vnum aut alterum vſquam inuenias, quem illi cenſeas omnibus amicitiæ numeris eſse conferendum. Rara illi modeſtia, nemini ille grauis, à faſtu alienus: nulli ſimplicitas fuit prudentior: parco ſermone tam lepidus, facetus, & fœcundus; vt amicos continuò vtiliſſimis detineret ſermonibus. Suauiſſima quippe ejus erant colloquia, multarum rerum cognitione & vſu referta. Nimirum prima ipſi oblectamenta erant totos dies inter libros hærere, quos ille non exiguo ære paratos ſummo ſtudio voluebat lectiſsimos: ſcriptioni ita deditus; vt eos quaſi in ſuum ſuccum verteret: qua de cauſâ jure magnus ille Pignorius ipſum epiſt: 32. librorum heluonē appellauit. Nec tamen alienis monumentis paſcebatur: quin cum ſummis ingenijs, adeoq; ſecū ipſe contendebat. Adeo ſemper aliquid in publicum commodum meditabatur. Sed vt ingenio erat vario, ita vaſtis cogitationibus

tionibus multa & magna molitus, fatis deprehenſus minimam eorum partem peregit. Rerum Patauinarum Scriptores, qui diu latuerant, ad Vrbis ſplendorem, Dominici Molini auſpicijs è tenebris erutos, collatis mẽbranis emendatiores in publicum dedit: ac inter hos præcipuè deſideratum multis ALBERTINVM MVSSATVM illuſtrauit. Notis autem eruditiſſimis extremam manum addere nõ licuit. Murenæ Hiſtoriã integrè dilucidatam vidimus: quę tamen deſiderãtur Notæ, quo caſu maximâ ex parte perierint, nobis incertũ eſt. Quæ de Vrbis Romanæ magnitudine commentabatur, imperfecta ſunt: aliaq; multa, quæ elencho exhibebimus. Quo cætera genio exierint, indicio erunt crebræ ſummorum ad ipſum Virorum literæ, quos non censores, ſed amicos promeruit. Io. Gerardus Voſsius, vir orbi notus, ſuum de eo judicium erudito de Latinis Hiſtoricis opere celare noluit: vbi eum diſertiſsimum profeſsorem appellat. Nec minor de eo Danielis Heinſij, Meurſij, Scriuerij, Barlei erat opinio. Henrici quoq; Puteani affectum ſibi deuinxerat. In Italiâ verò nemo paulò erat cultior, cui non & ipſe charus. Vnum ſufficiat de eo cl. Viri Io. Antonij Caſtillionei elogium parte primâ Antiq. Baſilicæ Vincentianæ: *Adeat is me conſultore V. cl. Felicis Oſii de Sepulcris, & Epitaphijs ſingulares libros, Romanâ paſsim & Græcâ eruditione refertos: is enim ſcitu dignisſima aperiet, qua eſt in antiquis Romanorum & Græcorum ritibus colligendis diligentiâ, infinita propemodum ejus formæ exempla congeſsit: quæ, vbi per occupationes licuerit, typis, rei literariæ commodo commendabit. Quot .n. ille occupationi-*

lus ſemper diſtrictus fuerit, neceſſe non habeo perſequi. Vix enim confectis Rhetoricæ, Philoſophiæ, Theologiæ curriculis, laureâq́ ſacræ ſcientiæ partâ, præcipuis in Vrbis noſtræ Collegijs deſudare cæpit, in ijſq́ grauiſsima munia quà docendo, quà regendo, ſummâ ſemper cum laude & dignitate obire. Quocirca famâ ejus prudentiæ, doctrinæ, ac ſuauitatis morum non ad vicinas tantùm, ſed ad remotas etiam vrbes delatâ Academias Italiæ principes adminiſtrandas ſuſcipere coactus eſt, quæ ejuſdem diuinam penè doctrinam ardentiſſimo ſtudio expetebant, ingentibus ad eas ſtipendijs & honorarijs propoſitis inuitatus. Libuit hîc pauliſper excurrere in Hominis laudem, mihi vt metipſi quodammodo gratificarer: qui vt illum vnicè amo; ſic glorior eundem mihi Rectorem in ſupremâ moderatione nobiliſsimi, noſtriſq́ temporibus florentiſsimi Collegij Taeggiorum ad D. Simonis jure ac merito ſucceſsiſſe: jureq́ ac merito gloriabor, cùm ob eximias Viri virtutes, tum ob arctiſsimam mihi cum eo initam conſuetudinem, vitâ mihi longè cariorem, aliaq́ multa, quæ nos arctiſsimo amicitiæ vinculo copularunt.

Venetorum fauorem non memorabo, quem expectatione majorem obtinuerat. Molino ſanè adeo intimus erat; vt effigiem ſuam hoc carmine inſcribere non dubitauerit.

Vt propiùs Domini nutus attendat amicos
OSIVS, haud vno deuinctus nomine MAGNI
MOLINI meritis, ſe ſe ſub imagine ſiſtit
Ante Viri vultus, quem Numinis inſtar adorat,
Orbis ab axe dati lapſis ſuccurrere rebus

Muſa-

Muſarum: ingenti quarum perculſus amore,
Fulget inocciduâ clarus ſuper æthera famâ.
Grande decus rerum, Patriæ iubar, Orbis ocellus.

Patauij etiam plurimos eosq; veros ſuâ eruditione, ſuâq; virtute ſibi lucratus erat amicos, genere & doctrinâ claros, Cęſarem Cremoninum, Ioan. Collem, Andreghettum Andreghetium, Ioannem Preuotium, Pompejum Caimum, Bartholomæum Vecchium, primarium Iuris Profeſſorem, Alexandrum Syncliticum, Iuris Anteceſſorem. Familiares autem in eâ frequentiâ habuit Abbatem Albertinum Bariſonum, Laurentium, Pignorium, Bartholomæum Souerum, publicum Mathematicum, Carolum Auantium, Ioannem Rhodium, Gulielmum Soierum. Nec ea ſolùm ipſi erat vis calami: voce etiam innumeros ſibi obſtrinxerat ſelectioris ingenij iuuenes; quorum animos partim ſuo contubernio, partim è publico ſuggeſtu ad virtutem & literarum ſtudia candidè formauerat. Hoc gloriæ curſu cùm iam ad majora in dies aſpiraret Felix noſter, fortunâ animoq; felix; peſte vniuerſam Italiam vaſtante, pluteis Bibliothecæ erigendis cùm ſedulus adeſset opificibus, febri correptus ſeptimo morbi die abſq; teſtamento, ſuccedentibus in hæreditatem fratribus, à ſummo rerum moderatore in cęleſtem Academiam auocatur, menſe Iulio Salutis M. DC. XXXI. cùm vixiſset Annos L. humatus in vicino Templo Ieſuitarum nondum confecto ſine pompâ, & ſine monumento.

Edidit.

Albertini Muſſati Hiſtoriam de Geſtis Henrici VII. Imp.

emendatiſsimam, additis notis, quas per fatum pertexere non licuit.

Item *Rerum Patauinarum Auctores varios, qui hactenus latuerunt.*

Notas in Murenæ Hiſtoriam, ſed imperfectas.

Reliquorum, quæ inceperat, paucis Orationibus exceptis, hunc ipſe viuens ætatis ſuæ anno XXXII. vulgauit Indicem: quem curioſis non ingratum fore ſperamus.

Romano-Græcia, ſeu de communibus vtriuſq. Populi moribus, & inſtitutis Commentarij II.

Iuuenilium Epigrammatum Libri VI.

Diuus Carolus Borromæus. Anagrammatum, & Epigrammatum Centuria ſingularis.

Sacer Helicon.

Funebria in Obitum Iulij Caſaris Iſnardi Præceptoris ſui.

Variorum Carminum, & Poëmatum Libri II.

Ritus vtriuſq. Reliquiæ, Sacri pariter & Prophani, ſubciſiuis horis collecta, & in Centurias XVI. diſtributa.

De Sepulcris, & Epitaphijs Ethnicorum Libri VI.

De Sepulcris, & Epitaphijs Chriſtianorum Libri VI.

Dramma Iambicum, Triumphus Humilitatis inſcriptum, in honorem D. Caroli Borromæi, quo primùm tempore in album Cælitum eſt relatus.

Triumphus alter Prætoriæ Maieſtatis publicè Bergomi exhibitus in Academia Marianæ Caſtris, honori, meritis, & immortalitati Nicolai Guſsoni eiuſdem Vrbis Prætoris Opt.

Oratio pro decernendo Triumpho eiuſdem meritis, & virtuti, habita in ijsdem Caſtris.

Syntagma de Hermis, Hermathenis, Hermerotis, & Hermeraclis.

Selectarum Epiſtolarum Libri II. Quorum alter ad Familiares: alter ad Eruditos miſſus.

Elogia Scriptorum illuſtrium vtriuſq; æui.

De Epigrammate Tractatus publicè traditus Mediolani in Academiæ Taeggianæ Scholis.

Bufalora Cl. V. Octauij Balſami: in qua mixtim Sententiæ præcipuæ veterum illuſtratæ, deq; Felicitate progymnaſmatibus aliquot diſputatum.

De vniuerſa Arte bene dicendi eruditiſsimæ, atque vtiliſsimæ Quæſtiones.

Oeconomia Artis, qua M. Tull. Ciceronis Orationes omnes ſunt habitæ, vel conſcriptæ.

Adagiographia noua-antiquis Prouerbijs referta Librorum totidem, quot Scriptorum.

Prælectiones Solennes in omnes M. Tullij Ciceronis Epiſtolas ad T. Pomponium Atticum, Brutum, & Q. fratrem, cum Analyſi Grammatica, Rhetorica, Ethico-politica, & Notis.

Poëtarum, & Hiſtoricorum vindiciæ: quibus errata potiſſimùm, quæ in eorum Libros Typographorum incuriâ, vel aliorum inſcitiâ hactenus irrepſerunt, ope MSS. Codicum amouentur.

Inſcriptionum antiquitatem inſimulantium liber primus.

Apologia pro Inſcriptione Sacelli Cl. V. Petri Antonij

Longoni Regij apud Mediolanenſes Conſilij à ſecretis: in qua Sacrarum huiuſcemodi Inſcriptionum leges oſtenſæ breuiter, & exemplorum appoſitione firmatæ.

Academiæ Marianæ, ab eo Bergomi reſtitutæ An. M.DC. XVIII, auſpicia, primordia, & progreſſus.

Epicedia cum lachrymis in obitum Reuerendiſs. Jo. Baptiſtæ Milani Epiſcopi Bergomatis.

Hercules in Biuio, cum Orationibus Virtutis, & Voluptatis ad Eundem: Elogijs etiam Michaëlis Dotti, perſonam Herculis egregiè ſuſtinentis.

Curæ primæ in T. Calphurnij, & Nemeſiani Eglogas.

Schediaſma de Veterum Statuis & Monumentis.

Commentariolus de variâ Latinarum inter ſe literarum cognatione.

Orationum diuerſis in Collegijs & Academijs publicè habitarum Volumen primum.

Præfationum & Chreiarum inibi perſcriptarum Volumen alterum.

IORDANVS MOSCATELLVS.

VIcentiæ natus Anno M. D. XCII. qui patriam & ſuos natales ingenij promptitudine & virtutum claritate illuſtrauit, neutiquam inter hos viros jacebit inglorius: cui, dum vixit, intima neceſſitudo mecum interceſſit; D. Hieronymi ſocietatem ingreſſus Philoſophiæ ac Theologiæ ſtudijs incubuit. Lectoris & concionatoris munere laudabilis, ſummo ardore & induſtriâ ſui ordinis reliquos antecelluit. Philippum Fabrum Fauentinum celebrem inter Scoti ſectatores publicum Theologum, præceptorem ſuum aduerſus Marialem S. Dominici Theologum duobus libellis defendit: quibus ita famam ſibi adauxit, vt Cardinalis Beuilaqua eum ſibi Theologum nominauerit. Virtutis non minùs quàm literarum ſtudioſiſſimus ingenio cùm eſset perſpicaciſſimo, inueteratos ſui ordinis errores felici ſucceſſu exſtirpauit, profligatis rudibus: in quorum locũ nobiliora ingenia reſtituit. Supremam Prouinciæ curam & Rectoris Generalis munus mirâ liberalitate ac ſplendore exercuit. Romæ, & Venetijs, ac Vniuerſæ Italię inter homines ſacris dicatos, Principibus acceptus, omnium calculis primas tenuit. Iam ingenij præſtantiâ ad altiora aditum ſibi parauerat, ecce habitior febre leui correptus in patriâ, peſte Lombardiam peruagante, catarrho accedente interijt anno M.DC. XXXI. ſuæ ætatis LV.

relictis hiſce ingenij ſui monumentis.

Controuerſiarum pro defenſione Philippi Fabri aduerſus P. Xantem Marialem Part. I.

De Potentiâ neutrâ aduerſum eundem.

ALOYSIVS CERCHIARIVS.

NOn inferiori laude inter celebres eiuſdem patriæ Viros enumerandus mihi Aloyſius Cerchiarius, clericus Regularis Congregationis Somaſchæ: vir ſanè hoc æuo humaniorum literarum callentiſſimus, ambitionis exſors, religioſę vitę dicatus, ſub optimis ſui Ordinis patribus bonas literas & ſacras diſciplinas ſedulus hauſit. Genio ad Eloquentiæ & Poëſos ſtudia propenſus, quantum ingenio valuerit, abundè teſtantur ejus monumenta doctis expetita. Bergomi poſtquam inferiores iuuentuti diſciplinas tradidiſſet; Venetijs in ſeminario Patriarchæ oratoriam palęſtram, ſimulq; Academiam GENEROSORVM titulo aperuit. Inde Senatorum primis & Eminentiſs. Federico Cornelio Cardinali innotuit. Romam accitus, vt ibidem ſuum ingenium Societati accommodaret, cùm oratione quadam Legati Hiſpani aures offendiſſet, illico patrum ſuorum conſilio in Lombardiam reuerſus, Venetiàs denuo ad intermiſsas exercitationes redijt. Quod otij reliquum erat ſui Ordinis Hiſtoriæ deſtinauerat.

nauerat. Cujus priuatum vbi dediſset ſpecimen, Cardinalis Federicus Cornelius aptum cenſuit, qui ſuæ familiæ Annales contexeret. Cæterùm patrum precibus, ſuorum Elogia jam continuabat: quorum aliquot icones editioni jam paratæ erant. Gratum ingenij munus teſtaturi ſocium in Rectorem Biellæ deſignant: quo in itinere per feruidæ æſtatis vehementiam febri acutâ correptus hoſpes in alienâ domo, ſuæ iuuentutis flore, & virtutis apice, ętatis anno XXXIII. viuere deſijt Alexandrię à Paleâ Anno M. DC. XXXVI.

Ejus publicè leguntur.

Orationum & Poëmatum Volumen vnum.

Epicedium in parentalibus Principis Michaëlis Peretti.

Triumphus Pietatis de S. Iuone pauperum aduocato, Panegyricus.

In obitu Henrici Antonij Burgi Religionis B. M. V. Seruorum Generalis Epitaphium.

EVSEBIVS, ET POMPEIVS CAIMI.

GEntem CAIMAM Mediolani nobilem, & vetuſtam fuiſse, non ſolùm ex Gaſpare Bigato & Corio, ſed ex priuatis & publicis monumentis accepimus: quam viris noſtrâ ętate pręclariſſimis florere cōſtat. Ex eâ Hieronymus Caimus in Fori-Iulij prouinciam concedens, eam inibi extendit. Hac progenie Vtini Iacobo Caimo patre I.C. EVSEBIVS & POMPEIVS orti, noſtrâ memoriâ celebres: quorum nomina poſteritati



EVSEBIVS CAIMVS I.C.VTINENSIS
EPISCOPVS ÆMONIENSIS.
Et Comes S. Laurentij in Dayla.

virtutis obſequio dicamus. Vterq; à patre bonis literis deſtinatus, mirum in modum in eiſdem profecit. In Gymnaſio namque Patauino poſt latinas græcaſq; literas, Rhetoricam, ac Philoſophiam cùm optimè didiciſſent, Euſebius ad Iuriſprudētiam, Pompeius ad Medicam facultatem animum applicuit. Ille Iacobi Menochij I.C. celeberrimi contubernio vſus, poſt ſuorum ſtudiorum curriculum, ab eodem publicâ acclamatione vtriuſq; Iuris lauream retulit. Patriæ redditus forenſes cauſas & pupillorum lites linguâ calamoq; defendere ac tractare cæpit, eâ facundiâ ac laude, vt varijs in patriâ honoribus cumulatus, Decurionis in Vrbe munere ſæpius collato, Prouinciæ pariter onera ſuſceperit: dum anno M.DC. V. ab Illuſtriſs. Ioſepho Mauroceno Senatûs Veneti decreto electus fuit, qui cum Mutio Fabricio Limitum in eâ curam haberet. Eccleſiaſticis mox rebus deditus, Metropolitanæ Eccleſiæ Aquilejenſis Canonicus eligitur. Oratoris titulo alijs duobus cl. Viris junctus à ciuibus ſuis Venetias anno M.DC. XVI. mittitur: vbi nouo Duci Io: BEMBO gratulatus elegantiſſimâ oratione, ſapientum calculis eximiam ingenij laudem promeruit, optimamq; de ſe reliquit apud Senatores prudentiſſimos opinionem. Sed paulò poſt defuncto Franciſco Manino Vtinenſi, Epiſcopo Æmoniæ, à ſummo Pontifice Paulo V. iſti Eccleſiæ præficitur: quam per annos XX. ſummâ prudentiâ ac moderatione rexit. Patriarchatu Aquilejenſi, etiam vacante iſtius oneris maximam partem Vtini & in Diœceſi magnâ conſtantiâ ſuſtinuit, & difficiliores cauſas diſſoluit. Quod vitæ reliquum Legum ſtudijs conſultationibuſq; impendit. Tantâ namq; ad eum

multitudine omnes conuolabant, eaq; vis ejus in conſulendo inclaruit; vt aliquando à Sereniſs. Republicâ Conſultoris munus ipſi eſset delatum. Senectutem verò libertati commiſsoq; diuinitus oneri impendere maluit optimâ corporis temperie florentem: quam corporis exercitio maximèq; aucupijs produxit ad annum vitæ quintum & ſeptuageſimum, quem XIX. Octobris Anno M. DC. XL. clauſit Vertenegij, quò propter grauem Æmoniæ aërem ſeceſserat. Defuncti corpus ſumptuoſâ funeris pompâ in Eccleſia B. Virginis Gratiarum Vtini prope Pompeii fratris cineres conditum hoc monumento, quod ſibimet viuens deſtinauerat.

D. O. M.
EVSEBIO CAIMO I. C. VTINENSI,
EPISCOPO ÆMONIENSI,
PRO TVA IN DEVM DIVAMQ; PIETATE
REQVIEM AETERNAM DICAS.
OBIIT ANNO M. DC. XL. AETATIS SVAE LXXV.

Extant apud cl. Nepotem Iacobum Caimum, in Gymnaſio Patauino Iuris Ciuilis Profeſsorem.

Reſponſorum Volumina II.

De Retractu Lib. III.

Juris Miſcellanea.

Nec inferiore liberalis ingenij ſucceſsu POMPEIVS à Piccolomineo Philoſophiam, Medicinam verò à ſummo ejus ſeculi Viro Hieronymo Mercuriali hauſit: laureâq; rite impetratâ, honorario ſtipendio in patriam vocatus, ibidem aliquot annos manſit. Iuuenis quidem annis, ſed

in



POMPEIVS CAIMVS VTINENSIS
COMES PAL. ET EQVES AVR.
Philos. et Med. Profeſſor Clariſſimus.

in medendo conſummatus, eam promeruerat de ſe egregij Medici Æmilij Campolongi & aliorum opinionem, vt annuo mille Coronatorum ſtipendio inuitaretur Anno M. D. IC. a Cardinali Radſiuilio Duce Olicenſe ac Epiſcopo Cracouienſe. Neglecto autem lucro, cùm excitato eſſet ingenio, & plurimùm gloriæ cupidus, non ſolùm græcas literas excoluit, vt ex veterum Medicorum libris vera & intima cognoſceret; ſed variâ etiam rerum cognitione & lectione delectatus etruſcas vnà Muſas non leuiter ſalutauit. Philoſophus non vnus è multis, ſed planè ſingularis reiq; medicæ peritiſſimus: ad cujus ſcientiam longum vſum & exercitationem adjunxerat. Hinc cum eſſet jam abſentibus notus eodem penè tempore à Rege Poloniæ, & à Cardinalibus Farneſio, & Montalto ob Vrbis deſiderium, quo tenebatur cæteris duobus prælato inuitatur. Cohoneſtatus tanti Principis contubernio munificentiſſimam ſacræ illius purpuræ lucem mutuo proprij ſplendoris, & fidei fœnore compẽſauit; Sublimem .n. Piſanæ Academiæ exedram à Magno Etruriæ Duce Ferdinando vltro ſimul cũ honorario mille, & ducentorum aureorũ oblatã recuſauit: nec Pauli V ſeruitiũ à ſummis Viris ambitioſa prenſatione captandum, nequaquam pinguioris conditionis dulcedine illectus, prætulit. Inualuit interim magis, magiſq; rumor apud omnes, et præcipuè Magnos Viros qua eſset promptitudine, diligentiâ, remediorum varietate, dicendiq; ſuauitate, qua ægroti etiam aliquando mirificè ſubleuantur; vt breui non ſolùm ingentem vim pecuniæ fecerit, ſed ejuſdem Summi Pontificis arbitrio in Gymnaſio Romano primam Philoſophiæ cathedram ob-

tinue-

tinuerit. Hinc ille non rarò Neapolim ad Viceregis Beneuenti Comitis, Florentiam ad Magni Ducis, aliorumq; Italiæ Principum valetudinem accitus. Pontifici etiam Gregorio XV. lethalem morbum prædixit. Pro Rege, Poloniæ conſuluit. Et dum à Sereniſſimo Senatu Veneto in Lyceum *P*atauinum ad Cathedram Theoricæ Medicinæ ſupremam, Sanctorij Sanctorij Viri clariſſimi loco, magno ſtipendio euocatus Vrbem eſset relicturus, in qua diù ſplendidè vixerat, à Summo Pontifice Vrbano VIII. in equitum auratorum cohortem delectus, Comes ſimul *P*alatinus declaratur, prout is honor ſummorum duntaxat Principum Oratoribus confertur. Summi etiam Antiſtitis benignitate Euſebio fratri Epiſcopatũ Æmonieſem, aliaq; agnatis & amicis munia impetrauit: quamquam & Pauli V. Pontificis triremibus, etiam ſub Philippo III. Hiſpaniarum Rege ciuitatis Croton is ac Tauernæ imperio præfectus frater Quinctilius virtute, fideq; eximiam ſibi immortalis famæ gloriam parauerat. Salutatâ igitur poſtliminio patriâ, quam diu non viderat, in Gymnaſium Patauinum non ſine pompâ conceſſit: Vbi theoremata Medica Principe loco maxima Auditorum frequentia, & nominis celebritate docuit: Reſponſiſq; dandis occupatus Magnorum Virorum Venetijs, & *P*rincipum in Italiâ gratiam promeruit. Collegio Veneto Patauij cùm triennium Præſes à Gymnaſij Moderatoribus datus eſſet, ampliſſimo Senatori & Equiti Hieronymo Lando, tunc Vrbis *P*rætori, auctor fuit, vt ejuſmodi ſolennitati Medicorum Aulam ſplendidiorem exſtrueret. Interea, dum varia meditatur circa perplexã de *Caloris naturâ* apud Philoſophos ac Medicos

doctri-

doctrinam, cum CAESARE CREMONINO, ſummo ibidem *P*hiloſopho, ingenij contentionem adiuit, ſicut Romæ olim cum Iulio Cæſare Lagalla exercuit. Staturæ quidem paruæ, ſed ignei ſpiritûs, nunquam à literis otioſus ſemper aliquid animo cogitabat, non ſolùm variâ, multiplicíq; lectione profundæ memoriæ beneficio inſtructus; ſed omnigenâ humanæ ſapientiæ parte, atq; in primis Aſtrologiâ. Defunctis jam *P*atauij lue peſtiferâ Anno M.DC. XXXI. profeſſoribus celeberrimis, cùm in Titianũ Fori-Iulij pagum ſeſe recepiſſet, vt varijs lucubrationibus in prædio ſuo colophonem imponeret; febri correpto cùm famulus *P*almâ pharmacum allaturus, clauſis maximâ de cauſâ *P*ropugnaculi portis, aliquanto diutius detineretur, intra paucos dies Vir immortalitate dignus, annos natus tres & ſexaginta, incrudeſcente malo ſuccubuit, die XXX. Nouembris Anno M. DC. XXXI. Sepultus Vtini in æde B. Virginis Gratiarum addito hoc marmore.

D. O. M.
POMPEIO CAIMO, VTINENSI, EQVITI AVRATO,
PHILOSOPHIAE AC MEDICINAE
IN NOBILISSIMIS ORBIS TERRARVM
ROMANO AC PATAVINO GYMNASIIS
DE PRIMA SEDE PROFESSORI,
SCIENTIARVM OMNIVM FONTI DVLCISSIMO
EVSEBIVS EPISC. AEMONIENSIS
FRATRI AMANTISSIMO P.
OBIIT M.DC. XXXI. AETATIS SVAE LXIII.

Funus laudauit egregiâ oratione V. cl. Io Franciſcus Decianus I.C.

Viri

Viri porrò meritis ad ſuggeſtum, è quo plurimum ſibi famæ parauerat, Philoſophorum & Medicorum conſeſſus *P*ataui j hoc ſtatuit monumentum.

POMPEIO CAIMO VTINENSI EQVITI,
PHILOSOPHO AC MEDICO EXIMIO,
IN HAC PRIMA SEDE
THEOR. MED. ORD.
LEGENDI MVNERE EGREGIE FVNCTO,
PROFESSORI BENEMERITO
VNIVERSITAS ARTIST. P.
ANNO M. DC. XXXIII.

Bibliothecam lectiſſimis voluminibus refertam Vir conſultiſſimus, ex fratre nepos, IACOBVS Caimus, *P*ataui j Iuris Ciuilis Ordinarius profeſsor, publici Gymnaſij uſibus dicauit, grati in Sereniſſimam Remp. obſequij argumento. *P*ompeij verò hæc doctorum manibus teruntur ſcripta.

De Calido Innato Lib III.
De Febrium Putridarum Indicationibus Lib. II.
De Nobilitate.
Dell' Ingegno Humano Lib. II.
Parallelo Politico delle Republiche Antiche & Moderne Lib. II.
Dialogo delle tre Vite reputate migliori.

Deſiderata in ſcrinijs Hęredum ſeruantur.

De Humana Anima ſecundùm Veterum ſententiam Theoria, IV. libris comprehenſa: quibus Hippocratis & Galeni inter Medicos, Platonis & Ariſtotelis inter Philo-

ſophos, doctrina explicatur.

De Miſti Generatione, ejuſq; naturali interitu.

Medicina Philoſophica libris duobus comprehenſa: quibus præcipua Theoremata Medica apud Platonem & Ariſtotelem pertractata explicantur.

De duplici Peripateticorum intellectu Comment.

Medici Inſtitutio, ex Hipp. libro, Legis *nomine inſcripto.*

De Iuuantibus & Lædentibus humanum corpus à totâ ſubſtantiâ Liber.

De Hippocraticâ victûs inſtituendi methodo Liber: in quo aduerſus Cardanum & Argenterium Galeni doctrina defenditur.

De quatuor in humano corpore Membris, Principij rationem habentibus libri IV. in quibus Ariſtotelica & Galenica de hoc argumento placita conferuntur.

De Melancholiæ cognitione, & curatione.

De Sui Cognitione.

De Scientia naturâ & acquiſitione Lib. I.

De Dolore, Diſputatio.

De Humanâ Lōgæuitate & Annis Climactericis tractatus.

Diſſertationes in Aphoriſmos Hipp. & illa Galeni & Auicennæ opera, quæ publicè Patauij explicantur.

De Medicinâ ſibi faciondâ.

De Ventorum naturâ, & differentijs Lib. I.

De cognoſcendâ, producendâq; Senectute Lib. II.

Varia opera Veterum Philoſophorum & Medicorum è græco ſermone in latinum cōuerſa, & cōmentarijs illuſtrata.

BENE-

BENEDICTVS ET DOMINICVS DE BENEDICTIS, IACOBVS PALERMVS, ET ANTONIVS CAPVCIVS, *Grammatici.*

EX munitiſſimo oppido ſupra Atheſim, Liniaco ortus eſt BENEDICTVS DE BENEDICTIS, eccleſiaſticæ vitæ adſcriptus, ac vtriuſq; linguæ peritiâ clarus: quas non mediocri famâ priuatim Patauij docuit, relictis quàmplurimis diſcipulis, qui paſſim literis floruerunt. Inter eos Herculi Bellirotto juueni ingenioſo cùm de more Logicas exercitationes cõmunicâſſet: iſq; poſtea paucis mutatis videretur illas vulgâſſe; neſcio qua irâ percitus, quem tenerè amauerat, calamo nõ ſine acerbitate laceſſiuit. Inclaruit potiſsimùm libello *de Rhetoricæ Rudimentis*. Scripſerat etiam magno ſermonis nitore *Commentaria in Ariſtotelis Rhetoricam*: quæ cum Auctore perierunt communi clade peſtiferâ Anni M DC. XXXI. Eorum tamen memoria animo adhuc hæret, quæ adoleſcens ipſius diſciplinæ traditus auidè volveram. Mente hilari & conſtanti fœmoris luxationem perpetuâ claudicatione pertulit, corpore valido, ingenio verſatili & prompto, Philoſophiæ, Theologiæ, tandemq; Iuriſprudentiæ lauream promeruit. Demum paulò ante obitum Eccleſiæ Sanctæ Luciæ Patauij Rector electus.

DOMINICVM BENEDICTVM fratrem initio, ſcholâ admodum florente, laborum habuit ſocium; qui poſtea Philoſophiæ & Medicinæ laureâ inſignitus, per otium felici mineruâ varia edidit carmina. Iuuentuti erudiendę deditus: cujus diligentiæ Iacobum & Aloyſium Tomaſinos nepotes ex fratre non ſine fructu credidi. Sed ingraueſcente peſte cum vxore & familiâ, relicto ſui deſiderio, perijt.

Simili fato per hæc tempora Patauij occubuit IACOBVS PALERMVS, Veronenſis, Polycarpi Palermi I.C. qui de *Verâ Plinij Patriâ* commentarium edidit, frater, græcæ ac latinæ linguæ peritus: juuenibus inſtituendis ingenij facilitate occupatus. Sed fortunâ parùm fauente cùm vxorem duxiſſet, auctâ liberis familiâ, conatibus optimi Viri euentus defuit. Nullo calami monumento notum inter claros Grammaticos hoc pietatis officio ornare libuit, ob ſedulam operam publico bono probatam.

Sorte longè diuerſâ ANTONIVS CAPVCIVS, Spoletinus, M. Antonij Mureti diſcipulus, eodem ſtudiorum genere celebris, confluente vndique magno diſcipulorum numero opes ſupra fidem cumulauit ingentes: quamuis ipſe aſperâ & duriori eſſet diſciplinâ, & in alumnos ſuos vel leui de cauſâ ſæuiſſimè animaduerteret: vt propterea inſurgentibus illis non ſemel vitæ periculum adierit, ac tandem Anno M.DC. XX. ipſi facies inhoneſto vulnere fuerit deturpata. Vir alioquin vehementis ingenij, & ad docendum paratiſſimi. E cujus ſcholâ plures prodierunt diuerſi ordinis Viri literis inſignes. Solutâ ac ligatâ oratione non pau-

cis

cis ipſius in lucem editis, ſenex obijt Patauij eodem anno peſtilentiæ vnà cum Franciſco & Hyacintho filijs ac Polyxenâ vxore.

BARTHOLOMÆVS SOVERVS.

NAtus in Caſtello Corberiâ, quod paret Reipublicæ Friburgenſi apud Heluetos, parentibus honeſtiſſimis, Patribus Ieſuitis operam dedit bonarum literarum ſtudio: quo cęteris omnibus condiſcipulis antecelluit. Inde Patribus iſtis gratus in ipſorum familiam recipiebatur: ſed parentibus renitentibus cùm eſſet dimiſſus, in Sabaudiam ſeceſſit: vbi duorum nobilium ſtudijs præfuit. Hinc Romam profectus animum altioribus diſciplinis ſeueriùs excoluit. Tandem Bibliothecæ Ducis Sabaudiæ præfectus, Principi Mauricio à ſtudijs fuit liberalibus, vt is S. R. E. Cardinalis non minima ediderit Romanæ eloquentiæ & ciuilis prudentiæ documenta. Taurini Hiſtorias publicè docuit. Sed cùm bellis continuis literæ cum Gymnaſij dignitate vileſcerent, denuo Romam reuerſus præclaræ eruditionis famâ innotuit. Vnde Io. Camillo Glorioſo in patriam redeũte, in ipſius locum ad Mathematicarum ſcientiarum cathedram ſtipendio quingentorum florenorum inuitatus, illico ſe Venetias tranſtulit. Hìc nodoſum ipſi problema ad ingenij experimentum cùm eſſet

propoſitum; præter ſuam aliorumq; expectationem feliciſſimè & maximo applauſu ſuorum fautorum, inter quos Nicolaus Contarenus Gymnaſij tunc moderator, ac paulò poſt Reip. Dux, exactam ejus rationem reddidit. Summæ de ipſo expectationi plurimum acceſſit ex oratione elegãtiſſimâ, qua ſermone Mileſiaco auditorum aures mirificè deliniuit, prius quam ſuas lectiones aggrederetur. Eas magnâ auditorum frequentiâ triennium continuauit florentiſſimâ eruditionis varietate. Demoſtrationibus enim Geometricis adjungebat Mechanica: quæ non modò rationibus confirmabat inuictis; ſed diuerſis præterea hiſtorijs ex monumentis Græcorum ac Latinorum illuſtrabat: non omiſsis recentiorum obſeruationibus, quas euoluerat omnes, è varijs itinerum commentarijs. Linguarum externarum, præter eruditas, non minùs loquendo quàm ſcribendo apprime peritus. Candidus & apertus omnium amorem ſibi conciliauit. Nec mirum ad illud eruditionis perueniſse faſtigium, qui ingenio, & judicio, & memoria tenaci labores acceſsebat diurnos ac nocturnos. Hinc frequenti diſtillatione continuè diuexatus, cætera firmus, nec à gratijs alienus, etiamſi variè cum fortunâ luctaretur; exulceratâ linguæ radice, quam initio præ nimio ſtudiorum ardore neglexerat, lentâ febre contabuit, relicto filiolo, quem peſtis abripuit. Pridie obitûs, præſente Io: Preuotio Medico, & Io. Rhodio, extremam manum tremulo prope circino impoſuit erudito operi de *Recti, & Curui proportione*: quod mox ei amiciſsimus Guilielmus Soierus bono publico commiſit. Piè obijt XXIII. Iulij Anni M.DC.XXIX.

ſepul-

ſepultus in D. Georgij æde ſine monumenti honore. Opera ejus inchoata in Bibliotheca publica Patauij aſſeruantur.

IOAN: HIERONYMVS BRONZERIVS.

IN amœniſsimo oppido & municipio Rhodigino, quod Abbatiam Vangadicenſem vocant, Anno M. D. LXXVII. die VII. Aprilis, horâ primâ honeſto loco naſcitur, patre Ioanne Antonio, publicis in patriâ muneribus claro, & matre Laurâ ex antiquiſsimâ Roſinorum Ferrariç familiâ: ex qua Chriſtophorus ſenior pro Hercule Ferrariæ Duce Policinij præfecturam geſsit. Iuuenis vario ingenio poſt humanas literas à Ventura Peſsone, celebri humaniorum literarum doctore, acceptas, ſtudijs Philoſophiæ cùm indefeſsam operam nauâſset ſub Franciſco Piccolomineo, & Cæſare Cremonino Viris celeberrimis; auſpicijs Alexandri Maſsariæ, Euſtachij Rudij, & Hieronymi Fabricij ab Aquapendente in Medicinæ orbitâ pedem fixit: Viriſq; ſupra laudatis in eam honoris ſolennitatem aſsumptis Anno M. D. XCVII. die XII. Februarii Laureâ Philoſophiç & Medicinæ ornatus fuit. Maſsariæ verò doctrinam religioſiſsimè tuebatur, adeoq; Galeni ſummi præceptoris aſsecla ſtudioſiſsimus erat. Hinc ſolidis artis ſuæ fundamentis ſubnixus Coloniç Venetorum ſtipendio me-

dicinam



IOAN. HIERONYMVS BRONZERIVS
PHILOSOPHVS ET MEDICVS.

dicinam fecit, deinde in patriâ. Genitoribus cum tribus fratribus Iacobo, Michaële, & Paulo defunctis, jamq́; familiæ ſuæ fortunis abundè affluentibus, virtutis ac otij literarij ſtudio Patauium redijt: vbi decennium ſuauiter traduxit. Hic ille compoſitis rebus ſuis, vt multæ erat lectionis, ac immenſi laboris, pro Medicis varia meditari cæpit aduerſus Peripateticos, atq́; in primis de *Calore*: in cujus libri laudem eleganter luſit amicus ejus Ioannes Rhodius.

Diuini pandens genium, Vir magne, Caloris,
Ingenij tradis digna calore tui.
Primos fæcundi jungis dum Seminis ortus,
Te natum æthereo ſemine monſtrat opus.
Liberi ab inuiſâ reliquos rubigine ſeruent:
Totum Te Muſis aſſerit iſte Liber.

Aſtrologiæ interea plurimum operæ impendit: cùmq́; prædictionibus non rarò euentus reſponderet; maximam ſui ingenij opinionem excitauit. Sed & natiuo ingenij acumine plura à Ptolomæo aliena de Aphetis & locis Hylegialibus excogitauit. In Medicinâ quoq́; aduerſus receptas diu ſententias non pauca meditabatur: in primis de *Sanguificatione*: cujus ſpecimen eleganti libello de *Principatu Iecoris* ex artificioſâ Lampetræ diſſectione Pompeio Caimo, primario apud Patauinos Theorico, inſcripſit, atq́; in Theatro Anatomico magno applauſu diuulgauit: quem antea multis locis interpolatum Mundino, Medico Veneto clariſſimo, familiari ſuo communicauerat, eâ formâ, qua apud me adhuc ſeruatur. Nec tamen inanium rerum meditatiodibus ſibi ſoli vacabat; ſed etiam publicæ vtilitatis

ſtudio nobiliſſimam artem magnâ fide & diligentiâ exercuit: & præſertim amicorum infirmitatibus libenter abſq; ſoſtro occurrebat: quorum animos gratis facetijs ſuauiter erigebat, in quas mirè propenſus erat. Viro mediocris ſtaturæ ceruice breui caput fulciebatur: ab omni faſtu ac pompâ remotiſsimus erat. Inſigni morum facilitate, apud Viros ampliſsimos Matthæum Priuli Cardinalem, & Auguſtinum Abbatem Vangadicenſem, Sereniſs. Ducis Veneti Antonij filios, Dominicum Molinum literarum patronum, Franciſcum Maurocenum D. Marci Procuratorem, alioſq; Senatores Venetos plurimùm valuit. Apud Germanos & Britannos pari cum laude de literarum ſtudiis vſq; ad contentionem amicitiâ floruit: ſed maximè Pataui, vbi ſedem aliquot annis habuit. Inter multos gratiſsimus erat viris clariſsimis Cæſari Cremonino, Ioanni Colle, Benedicto Siluatico, Io: Dominico Sala, & Ioanni Preuotio, Medicinæ publicis profeſsoribus. Laurentio Pignorio philologo & Antiquario magni nominis conjunctiſsimus, etruſci idiomatis libellis ſub titulo *Relatione di Hiſipeto*, ac *Morfeo* & *Fantaſo*, controuerſiam cum Angelo Portenario de Iulii Pauli patriâ enixè ſubſtinuit: quibus alterum eiuſdem argumẽti ruſtico Patauinorũ ſermone ſub nomine *Peagni* addidit. Monumenta quippe veterum eâ diligentiâ & curâ peruoluerat, vt non tantùm exterorũ hiſtorias pernoſceret; verùm de *Orgine Policinij* Commentarium aliquot annis contexuerat: quo non modò Rhodigii, Lendenariæ, & Abbatiæ Vangadicenſis geſta memorat; ſed quæ temporum vetuſtate interciderunt,

Adriæ

Adriæ & Spinæ monumenta è ruderibus in lucem reuocabat: cui fata extremum colorem negârunt. Opus cum alijs, Auctoris manu deſcriptis, â Iacobo Roſino militię Venetæ tribuno, armorum ac literarum gloriâ clariſſimo, ſeruatur. Mutuâ beneuolentiâ floruerunt amici ejus Albertinus Papafaua Epiſcopus Adrienſis, Albertinus Bariſonus Abbas, Pandectarum Lector, & Archipreſbyter Patauinus, Iacobus Zabarella Medicinæ profeſsor & Canonicus, Martinus Sandelius, Fortunius Licetus Bononiæ Philoſophus eminens, Ioannes Thuilius, Felix Oſius Humanitatis profeſſores, Carolus Auantius, Ioannes Rhodius, Ioannes Dominicus Mareſius Medicus Vicentinus: quibus non poſtremum affectu me jure ſubſcripſerim. Hos quidem omnes magnâ religione coluit: ſic tamen, vt ſemper ei prior eſſet veritas. Neq; enim Mundino ita charus fuit, vt ei ſubſcripſerit in omnibus. Quod *de Semine* libellus teſtatur, cum alijs, quæ nondum emiſsa in ſcrinijs ſunt. Sic ille Patauij inter literarum oblectamenta, & amicos, quos tenerè amabat, vitam feliciter duxit, quibus cum in librarijs officinis plerumq; de rebus naturalibus diſserebat. Bellunum Cremonini conſilio accitus, vt ſtipendio octogintorum coronatorum Protomedici munus ibidem obiret, ab aëre ſubtiliſſimo & vino auſteriori ſubitò valetudinis incommoda ſentit: vir cæteroquin ſingulari temperantiæ & caſtitatis moderatione notiſſimus, more Platonico ſemel in die veſci ſolitus: frigoris verò, præſertim nocturni, adeo impatiens; vt vel per ſummos canis æſtus duplici lodice tectus decumberet. Semeſtri itaq; vix exacto in febrem

acutam incidit: qua magno omnium mœrore ſublatus eſt Anno M.DC.XXX. ſolenni pompâ & oratione funebri in Æde Seruitarum depoſitus. Poſteri, tanti viri memores, ipſius meritis in æde D. Ioannis Baptiſtæ in patriâ ſub vultu marmoreo hoc monumentum ſtatuerunt.

IOANNES HIERONYMVS BRONZERIVS
PHIL. MEDICINAE ASTRONOMIAE SCIENTISS.
INGENIO, ELOQVENTIA, INTEGRITATE CLARISS.
NATVRÆ DESTERITATE,
MORVMQ. IVCVNDITATE SVAVISS.
AEGRIS SALVTEM, PATRIAE FAMAM,
SIBI GLORIAM COMPARAVIT.
PATAVII VENETIISQ. FLORVIT,
BELLONAE PROTOMEDICVS OBIIT.
ANNO AETATIS LIII. SAL. M.DC.XXX.
IACOBVS ROSINVS I.C. CANON. VERON. FRANC. F.
IACOBVS ROSINVS TRIBVN. MILIT. PAVLI F.
PATRVELES PARESQ. OBSERVANTIA.
ERGA OPTIMVM VIRVM
MOESTISS. POSVERE.

Libri ejus ſuperſunt typis vulgati.

De Innato Calido & Naturali Spiritu.
De Principatu Iecoris ex Anatome Lampetræ.
De Principio effectiuo Semini inſito Diſputatio.
Relatione di Hiſipeto.
Morfeo & Fantaſo figliuoli del Sonno.

Non

Non editi.

De Vi Sublunari cælitus impreſſa.

De Cometis.

Prognoſticorum Cæleſtium Tomi II.

De Variolis.

De Febre Maligna.

Hiſtoria Policinij, ſeu Peninſulæ Rhodiginæ, etruſco ſermone.

Dialogi quidam Oeconomici, etruſco idiomate.

SIMON CONTARENVS.

ITaliæ decora precipuè illuſtrat nobilitas Veneta: quæ, in vrbe naturæ ope munitâ, & à barbarorum infeſtatione liberâ, à diſcordijs etiam alienâ, nec malis contaminatâ, longa jam ſecula ſupra omnia perennis ac immortalis perdurat ſummâ prudentiæ famâ: cujus dictamine libertatem majorum virtute partam egregiè tuetur. CONTARENA hîc familia ab vrbis ferè incunabulis floret, præſtantiſsimis omni æuo Viris exornata. Quinq; nempe Ducibus, Dominico Anno M. XLIII; Iacobo M. CC. LXXV; Andrea M. CCC. LXV; Franciſco & Nicolao noſtro ſeculo eminuit: Patriarchis etiam plurimis, inter quos Maphæus, B. Laurentij Iuſtiniani diſcipulus & ſucceſſor, ſanctimoniæ famâ celebris; Principibuſq; purpuratis, è quorum numero

præ-

præclaris ingenij monumentis æternitatis laudem conſecutus eſt Georgius Contarenus: Procuratoribus præterea innumeris: quorũ ſinguli de patriâ benè meriti natalium ſplendorem poſteris æterno gloriæ exemplo tranſmiſere. Non degener ſanguis SIMON CONTARENVS, noſtro æuo verum antiqui patricij exemplar, numeriſq; omnibus Senatoris perfecti ſimulacrum, ingens patriæ decus: cujus merita hunc poſtulant juxta Purpuratos locum, quem Herois eximijs dotibus debeo, mihi ex diuturnâ vitæ conſuetudine perſpectiſsimis: vnde tenui noſtro labori lucem ac perennitatem fœnerare licuerit.

Natus eſt Anno M. D. LXIII. Aug. die XXVII. Ioanne Baptiſta parente & Maria Gritti ex familiâ Ducis, feruente cœli æſtu: qui poſtea tuendis Reipublicæ partibus ſe feruidum ſemper præſtitit. Iſtius æui conſuetudine non admodum molli educatione aſsuetus, patre fati violentiâ extincto, juuenis in Gymnaſium Patauinum tranſlatus, naturâ propenſus ad heroicas diſciplinas, optimorum virorum ductu ſingulariter in dies profecit. Nimirum Philoſophiam naturalem à Franciſco Piccolomineo didicit, Moralem & Ciuilem à Ioanne de Nores, Mathemata ab Ioſepho Moletio, celeberrimis profeſsoribus. Ætatis progreſsu mirificè non modò in bonis literis progreſsus, ſed exercitijs pariter gymnaſticis, maximèq; in regendis ac domãdis equis, quo erat animi ſpiritu, non ſolùm annis pares tunc antecelluit, ſed in extremam ætatem jiſdem inſigniter delectatus eſt. In patriam reuerſus Comitijſq; adſcriptus, paulò poſt in Sapientum ordinem accenſetur. Hìc ille, cùm

inter

inter iuuenes nobiles orando ſuam ſententiam de qualibet re ex more proferret; eâ dicendi vbertate rerumq; notitiâ inclaruit; vt plurimi Senatores de ipſo magna ſibi ominarentur. Acceſſit nempe majeſtas ſingularis, in dicendo promptitudo, ingenij perſpicacitas, nec vulgaris notæ memoria. Altiſſimæ itaq; indolis cùm maxima quæq; ſibi ſponderet, ſpretis lubricæ ætatis illecebris, cùm animaduerteret nihil æquè conferre ad vrbicum ſplendorem, & ad rerum ciuilium cognitionem, quàm varias terras, varios gentium mores, aulaſq; diuerſas Principum vidiſse, totum ſe peregrinationibus addixit. Primum igitur in Romanâ Curiâ tyrocinium exegit juuenis: vbi cum Marino Grimano, quem Ducem poſtea vidimus, domeſtico exemplo animum ad ſeria negotia dextrè peragenda informauit. Ad ſuos redux aliquãdiu poſt, Senatûs decreto morem gerens, ad Sereniſsimum Carolum Emanuelem Sabaudiæ Ducem Orator eligitur: apud quem triennium permanſit. Florebat tunc illius Ducis Aula cl. conſiliarijs, Gymnaſium celeberrimis omnium diſciplinarum profeſſoribus, Vrbs fortiſſimis ciuibus: Dux ipſe cum militaribus tum heroicis exercitijs ſummè deditus. Ex nobili Legatione vix redierat, cùm ſtatim ad Philippum II. Hiſpaniarum Regem ordinarius Orator deſtinatur. In hac adeo prudenter ac fortiter omnia pro patriâ egit; vt Rex tanti viri ingenium & auctoritatem admiratus, diſcedentem poſt triennium aureo torque ſuis Equitibus accenſuerit. Varij laboris ac impenſorum rationem habens prudentiſſimus Senatus, Prætorem Conſtantinopolim ablegauit, ambiētibus id munus quàm pluri-

plurimis. In qua legatione quàm prudenter grauiterq́; ardua valde negotia confecerit, locupletiſſimus teſtis Andreas Maurocenus, Senator integerrimus in patriæ ſuę Hiſtoriâ. Conſtantinopoli relictâ ad ſummum Pontificem Paulum V. miſſus, latentium Reipublicæ æmulorum inſidijs mirâ prudentiâ occurrit. Pontifici adeo gratus, vt ejus conuerſatione ſummopere oblectaretur, eiq́; publica & priuata negotia non rarò communicaret, ipſumq́; in conſilij partes admitteret. Nec minùs præclarâ ſermonis gratiâ reliquos Curiæ Proceres in ſui admirationem trahebat. Exacto hìc quadriennio, Veneti Senatûs mandato Italiæ Principibus belli, aduerſus facinoroſos piratas Vſchoccos ſuſcepti, rationes inſinuauit. Quod munus ſummâ dexteritate ſuiq́; nominis gloriâ peregit. *Vix* in patriâ quies à tot laboribus aliquandiu data; en repentè vniuerſus Senatus, poſtquam Octauianus Bonus cum Collega, vrgente anguſtiâ temporis, præter mentem & auctoritatem Reipublicæ pactis ſubſcripſiſset, ad Regem Galliæ Oratorem extraordinarium decernit. Nec illi ſanè quidquam charius aut optabilius, quàm arduis patrię rebus ſubuenire, ijſq́; ingenium, vitam, opes impendere. Difficillimo igitur itinere per arduos Heluetiorum mõtes in Galliam cùm perueniſset; perhumaniter acceptus à Rege, ampliſſimo donario honeſtatus redijt. Rebus feliciter peractis Ferdinando II. Imperatori nouiter coronato cũ Franciſco Ericcio, hodie Venetorum Duce, in Germaniam gratulatum mittitur. *Patriæ* redditus, cùm jam durioris vitæ genere varijſq́; laboribus ad ſenectutem tenderet;

claríſſi-

clariſſimi Patres defuncto Michaële Mauroceno eum in Procuratoris D. Marci locum ſubrogârunt, tantâ vrbis ac omnium ordinum lętitiâ; vt jam viderentur omnes in ejus laudem conſpirâſſe. Eo honore jure auctus, ſolito ſtudio grauioribus Reipublicæ muneribus perpetuò inuigilans, cùm inter Reges Galliæ & Hiſpaniæ de Valle Tellinâ quædam ſancita eſſent præter dignitatem Reipublicæ, illico Oratoris extraordinarij titulo amandatur: vixq; reuerſus ad Othomani Imperatoris congratulationem mittitur cũ Franciſco Ericcio D. Marci Procuratore, vnàq; militiæ Generalis Præfectus nominatur: quod recuſauit legationis apparatu præpeditus. Itinere feliciter confecto, tranquillioris vitæ rationem, quo ætatis ſeneſcentis curſum bene beatèq; perageret, iniuit. Grauioribus tamen patriæ negotijs nunquam ſe ſubduxit: ſingularem quoq; gerens Patauini Gymnaſij curam pro ſummo in literas affectu. Salutis publicæ deſiderium oſtendit pręcipuè annis M.DC.XXX. & M.DC.XXXI. ſæuiente per Vrbem Venetam peſte: vbi ſolus, nepotibus ruri abſentibus, vnico famulo contentus, quantum licuit, publicæ valetudini proſpexit. Ceſſante demum, inſigni Dei beneficio, graui malo, vitæ reliquum moribus planè Socraticis egit: publicum bonum priuato ſemper præferens: eruditis, artificibuſq; quibuſcunq; mirè facilis: magni quidem animi, ſed ab omni oſtentatione alienus: imò infra ſortem frugalis, præterquam in alendis equis generoſis.

Petro & Simoni ex fratre Aloyſio nepotibus dum mirè ſtudet, grauioribus artuum doloribus & ventriculi debili-

tate aliquandiu correptus, cùm ſupremum vitæ ſibi inſtare cognoſceret, ingraueſcente morbo parum à Medicis præſidij expectans per aliquot dies de rebus diuinis doctiſsimè diſseruit, carminiſq; etruſci elegantiâ vitæ fragilitatem delineauit ingenti mentis conſtantiâ, quam cœlebs infractam geſſerat. Sic ille ſacris expiatus, quod naturæ debuit, piè ſoluit anno M. DC. XXXIII. die X. Ianuarij illatus in maiorum ſepulcrum, quod eſt in æde fratrum Conuentualium S. Franciſci, relictis nepotibus ad ſumma natis. Cæterùm publicæ expectationi Petro prematurâ morte erepto, Simon amicitiæ noſtræ columen & decus, magni patrui veſtigia legens; familiæ ſuæ ornamenta morum comitate cultuq; equeſtri continuat. Decumana hic prudentiſſimi Senatoris aliquot volumina commentariorum diligenter ſeruat, aliæ ſapientiæ plena, tot Legationibus nata. Pari etiam religione in meis pluteis innumeræ ipſius literæ, varijs documentis illuſtres, æterni obſequij memoriâ hoſpitantur.

IOAN-



IO: FRANC. OTTHOBONVS MAG. VENET. CANCEL.

IOANNES FRANCISCVS OTTHOBONVS.

GEns Otthobona, nobilis & peruetuſta cis & vltra alpes, oppidorum ac vrbium dominio clara, domeſticis & publicis ornamentis pollens apud Italos floruit: in primis Patauij, Venetijs, & Florentiæ celebris. Turbulentiſſimis temporibus à contentionibus remota, Reipublicæ Florentinæ nullo loco operam & induſtriam negauit: nec illius procurandæ conſeruationis aut munus vnquam intermiſit, aut laborem ſubterfugit. Ita rebus publicis juuandis ea ſemper propenſa creuit, multoſq; egregios atq; inſignes viros patriæ commodis natos tulit. Hujus gloriam in primis Bonauius & Aldobrandinus Otthobonus ſuſtinent: quorum eximia virtus reſq; geſtæ in annalibus ſæpius deprædicantur. Aldobrandinus ob ſingularem in Remp. fidem Fabritij Togati cognomen meruit. Cui defuncto Reipublicæ decreto in æde S. Reparatę anno M. CC. LVIII. ſumptuoſis exequijs inſigne monumentum fuit erectum. Sed nec Vrbi Patauinæ innota hujus familiæ laus eſt: quę præcipuè Venetijs inter ciues primo loco reſplenduit. Vbi ea prodijt IOAN. FRANCISCVS filius Hectoris, quem opinio ſapientię mirum in modum extulit. Stephanus Io. Franciſci Auus illatam Turcis cladem ad Coryphaſium ſuâ morte nobilitauit: ſecutus Antonij parentis exemplum, qui ab Othomanicis ad Eubœam Inſulam fortiter victoriam reportauit. Rei tam pręclaræ monumentum eſt in D. Antonij

tonij templo Venetijs: vbi ara ſpectatur ex marmoribus, penicillo Carphatici pictoris clari anno M.D.XII. exornata, atq; ſanctiſſimis reliquijs aucta: quod indicat inſcriptio.

STEPHANO PATRI, ANTONIO AVO HECTOR OTTHOBONVS MONVMENTVM P. HIC EVBOICVM PORTVM AB HOSTE OCCVPATVM TREPIDANTE CLASSE NAVI SVA SOLVS INGRESSVS EST M.CCCC. LVII. ILLE PRAELIO NAVALI AD CORYPHASIVM EXPVGNATA TVRCARVM MAXIMA NAVI IGNE CONCEPTO COMBVRITVR.
M. CCCC. IC.
PATRIAE VTERQ. NATVS
NON SIBI.

MARTYRVMQ. X. MILLIBVS HECTOR OTTHOBONVS ARAM CVM FLAMINE. FRANCISC. OTTHOBONVS PATRVVS TEMPLI ANTISTES VOVIT IN PESTILENTIA. ANTONIVS CONTARENVS EX CANONICO LOCI PONTIFEX VENETVS LIGNO CRVCIS, ET IPSORVM MARTYRVM CREDITIS RELIQVIIS SACRAVIT.
M. D. XII.

Ioannes Franciſcus juuenis mitiorum literarum ſtudijs delectatus, linguarum cognitione, & eloquentiâ claruit. Hebraïcam enim, gręcam, & latinam eâ ſedulitate hauſerat; vt ijs ad arbitrium dicendo & ſcribendo vteretur. Alias etiam diſciplinas pari ingenij felicitate & impetu cùm didiciſset; tandem ſe totum Eloquentię dicauit: qua profundæ memoriæ & exacti judicij adminiculo plurimum valuit.

valuit. Relictis Gymnaſijs, poſt quam patriæ fuit reſtitutus, vt acceptam à majoribus gloriam propagaret, publicis negotijs admouetur, ſingulari ſtudio, quæ ſibi à Sereniſſimo Senatu credita fuere, ſummâq; fide ac promptitudine exſequebatur. Increbuerat jam vndiq; ejus eruditionis fama: vnde à multis Academijs expetitus, Venetâ ſolùm contentus, ex qua Bembus, Nauagerius, Lippomanus, Cardinalis Contarenus, Cardinalis Franc. Commendunus, alijq; cl. Viri prodiere, ita in eâ præcipuè illuxit, vt literatis omnibus conſpicuus eſset. Nec tamen ſine delectu ob ingentem occupationum molem quoſuis in amicitiam admittebat. Inter cæteros ei maxima neceſſitudo interceſſit cum V. cl. Guidiccione, Annibale Caro, Franciſco Turriano, Bernardo Taſſo, Fracaſtorio: quorum crebris literis de rebus præcipuè ad linguas attinentibus interpellabatur: quæ adhuc apud poſteros diligenter in ſcrinijs aſseruantur. Ita verò inter ſeuera & manſuetiora ſtudia ſingularis eminuit Viri prudentia, vt raro omnis æui exemplo Sereniſſima Venetorum Reſpublica defuncto Laurentio Rocca Anno M. D. LIX, cùm vix annum exceſſiſset tertium & quadrageſimum Magni Cancellarij dignitatem ei contulerit. Quod onus, licèt grauiſſimum, patriæ ſtudio libenter accepit. Is præclara ſemper cogitans omnes conatus ſuos in patriæ ſplendorem, in ciuium tutelam, in amicorum dignitatem ac vtilitatem tendebat. Neq; tamen à literarum ſtudijs ita diuertebatur maximi Viri animus, quin etiam inter grauiſſimorum negotiorum molem occupatus vſq; ad extremum ijs incubuerit. Perpetuo

nem.

nempe literarum commercio viros claros coluit ſemper ac fouit, ejuſq; domus, virtutis receptaculum, liberali manu & ſummo amore hos omnes excipiebat. Literis virum vſq; deditum accepimus, vt meditationibus noctes integras inſomnis traheret. Inter plures ſapientes ſcriptores familiariſſimum habuit Plutarchum: cujus vitas, virtutum heroicarum promptuarium, ſibi in vſum patriæ plurimum profuiſse fatebatur. Ex ijs aliquot ex Græco ſermone in latinum conuertit: nec à cæpto opere deſtitiſset, niſi priuatas Muſarum oblectationes impediuiſset maxima rerum publicarum cura: quam annos decem & octo ſummo honore integerrimè non ſine valetudinis detrimento ſuſtinuit. Corpore namq; ac temperamento ſatis firmo ſexageſimum ingreſsus annum, longiori procul dubio vitæ à natura deſtinatus, in meliorem auocatur anno M. D. LXXV. communi omnium luctu. Majorum monumento illatus in ædem D. Antonij: ſub cujus ſtatua hæc leguntur.

IO. FRANCISCO OTTHOBONO,
SPECTATAE SAPIENTIAE VIRO,
MAGNO VENETIARVM CANCELLARIO,
DE PATRIA, DE REPLVBICA
OPTIME MERITO, ADMIRANDAE
FIDEI, VIRTVTIS, ANIMI
NVNQVAM INTERMORITVRO
EXEMPLO.

LEO-



LEONARDVS OTTHOBONVS MAG. VENET. CANCELÆR

LEONARDVS OTTHOBONVS.

ALter hujus clariſſimæ domûs Vir maximus ſe nobis ſiſtit LEONARDVS OTTHOBONVS, qui acceptam à parentibus nominis claritatem ingenij ſui ſolertiâ longè lateq; extendit. Alta certè Viri majeſtas, digniſſimaq; imperio forma rectè antiquum familiæ decus ſuſtinet: ſuiq; memoria non modò in effigiem oculos, ſed animos calamumq; in ſui amorem & laudes conuertit. Iacobo magno parente progenitus Philoſophicis ſtudijs juuenis aliquandiu addictus, Theologiæ poſtea operam nauauit ſub optimis preceptoribus: ad quas ſcientias complectendas incredibilis ei quædam promptitudo inerat. Majora verò erant, quæ ipſum cæteris illuſtriorem effecerunt, facti ad omnem humanitatem mores: nil in vultu aſperum, nil in conuerſatione inſuaue: ſemper lætus & mitis pari paſſu grauiora vitæ negotia peragebat: ita ut adoleſcens etiam ob tantarum virtutum cumulum Gratiarum comes agnoſceretur. Multarum linguarum exquiſita ei cognitio fuit: quibus altiſſima indoles acceſsit. Ita dum alios ſuæ ætatis ciues excelleret, Oratoribus Ser. Reipublicæ Venetæ ad Concilium Tridentinum jungitur. Hic ille eâ diligentiâ omnes Concilij actiones, varias Patrum controuerſias, Doctorumq; quæſtiones ſuâ manu in Diarium redegit; ita vt ex ijs ſumma ejus intelligentia, ſumma pietas, & in rebus fidei ſpectantibus optima opinio, facilè perſpicatur. Nec mirum: ſiquidem ſacrarum

literarum apparatu toto vitæ ſuæ curſu vnicè delectabatur. In Germaniâ poſtea varijs in negotijs pro Republica obeundis ita ſe præclarè geſsit; vt Carolus V. ſummus Imperator ejus facundiâ & dexteritate allectus, ipſum vero cognomine ſuis dotibus, iſti genti proprijs, reſpondere aſfirmaret. In Luſitaniâ etiam fidelem patriæ præſtitit operam. Philippo præterea II. Regi Hiſpaniarum ita gratus fuit; vt nihil expeteret, quod non obtineret. Hìc cùm diutius moram traheret, non ſolùm ejus regionis prouincias, & vrbes perluſtrauit, ſed quidquid memoriâ dignum, è Monumentis & Inſcriptionibus in vnum volumen congeſsit: quod apud poſteros ſummâ religione aſſeruatur. In patriam reuerſus, dum aliquantulum amicis, agnatis, atq; literato otio impendere cupit; ecce vrgente Reipublicæ cauſâ ad Ducem Ferrarienſem ablegatur, vt natam de limitibus controuerſiam dirimeret. Interea fide ejus perſpectâ, abſens à ſecretis Decem Virûm eligitur: quod munus annos viginti tantâ fide ac laude peregregiè exercuit; vt defuncto Magno Reipublicæ Cancellario Bonifacio Anſelmio dignus cenſeretur, qui ei ſubrogaretur, acclamante vniuerſâ vrbe, quæ in optimum Ciuem inuſitato quodam amore effundebatur. Nec publico omnium deſiderio prudentiſsimus Senatus, ob juſtiſsima viri merita, exactoſq; pro patria labores, deeſſe voluit. Anno igitur M.DC.X. ſummus Reipublicæ Venetæ Cancellarius proclamatus eſt. Exquiſita Viri in hoc ampliſſimo munere diligentia omnibus certè admirationi fuit. In extremânamq; ſenectute octogenarius primus ſemper in Sena-

tu

tu comparuit, poſtremus diſceſſit: illud quotidianus ſermonibus iterans, bonos ciues laboribus pro patria ſuſceptis nunquam fatigari. Vna erat ipſi perpetua acerrimi ingenii dos, & ad res tractandas magna facundia & dexteritas: qua maximam & conſtantem adeo ſemper prudentiæ opinionem retulit; vt paucos ſuâ ætate ſibi pares, ſuperiorem propè neminem inuenerit. Annis ſatur & honoribus piè diſceſſit anno ſalutis M. DC. XXX. die XIII. Nouembris. Magnifico funere ad D. Antonij ædem delatus: ſub cujus ſtatuâ ex candido marmore hæc inſcriptio viſitur.

LEONARDO OTTHOBONO
PIETATE INSIGNI, FACILITATE AMABILI, IN PATRIAM
FIDE SPECTATO, LONGA MAIORIS CANCELLARII
PRAEFECTVRA CVNCTIS PARTIBVS BONI CIVIS
EGREGIE FVNCTO, SENIOQ. VERIVS
QVAM MORBO CONFECTO.



MARCVS OTTHOBONVS MAG.VENETIAR.CANCELLARIVS

MARCVS OTTHOBONVS.

PEſcenninus, ſi qua fides ſcriptoribus eſt, imperatoriâ dignitate auctus, diuerſorum præconia, quibus meritò cumulabatur feriò recuſauit. Adeò vir ſapiens placere maluit, quàm laudari viuus, vt gloriæ demum amplior poſt fata locus eſset. Prudenti quidem conſilio, nimiâ tamen modeſtiâ. Etenim ſi viuus rectè meritis bonam de ſe populi opinionem affectabat Vir maximus; quo animo ſaniora clarorum virorum judicia tam rigidè auerſabatur? Prudentiſſimum Annæi eſt: *Jactandi genus eſt, nimis latêre.* Moderationis longè ingenij MARCVM OTTHOBONVM deprehendi: cujus claritas etſi multa deſiderat ſuffragia; vnius tamen judicio contentus in eam facilè deſcendit ſententiam; vt mei ſtyli tenuitate ſuas virtutes majorum gloriç attexi paſſus fuerit: à qua ne tantillum quidem diſcedit, quin eam magnificè ampliat. Marco Antonio & Eleonorâ Baſalci natus. Vir equidem hac ætate in florentiſſimâ patriæ ſuæ Republicâ omnibus numeris clarus maximèq; felix, ſiue ſobolem ejus numeroſam ſpectes, ſiue honores ejus conſideres, ſiue etiam fortunæ corporiſq; dotes expendas. Vix enim majorem ſenſit patria operam, cùm ſexaginta annos, indefeſſo labore, ſummâq; integritate conſtantem fidem probauerit: à primis annis literarum ſtudijs cum prudentia ad ſenium

con-

conjunctis ter decies muneribus diuerſis domi foriſq; apud potentiſſimos totius Europæ Principes ſummâ cum laude perfunctus. Teſtis præclaræ vigilantiæ & dexteritatis eſt Germania, Gallia, Britannia, Polonia, & Hiſpania: atq; illa vrbium regina & caput Roma teſtis eſt: cui in primis Viri virtus diu ſæpeq; innotuit. Vtilem præcipuè operam patriæ præſtitit, cùm vniuerſa Italia anno M. D. LXXXX. ingenti annonæ caritate laboraret. Afflictâ nanq; Venetorum vniuerſâ ditione magnis itineribus publico decreto per Poloniam Dantiſcum Boruſſię metropolim, ampliſsimis rei frumentariæ commercijs celeberrimam, ad ſinum Codanum Balthici maris celerrimè perexit: & humaniſsimè ab Electore Brandeburgico acceptus ſupra omnem fidem denis nauibus frumento onuſtis vrbi Venetæ ſubuenit. Eloquentiam cum felici euentu oſtendit, cùm Senatûs decreto Cæſarem Eſtenſem Ferrariæ Ducem ab armis in Pontificem retraheret. Ipſius enim conſilio, & ſuaſu Pontifici Vrbem ceſſit. Anno M. DC. VI. & M. DC. VII. vertente inter Pontificem & Venetos controuerſiâ, Patrum auctoritate cum Cardinale Gioyeuſa, cæteriſq; Principum Oratoribus diligenter egit. Tot tantoſq; labores excepit dignus honor, quo Concilio Decem Virûm à ſecretis eligitur: quem eâ laude ſuſtinuit; vt rebus humanis exempto magno Republicæ Cancellario Ioanne Baptiſta Patauino die XXIV. Maij anno M. DC. XXXIX. in ſublimem hanc ſedem euectus fuerit: quam felicitatem communi populi deſiderio perennem ei exoptamus. His omnibus non minimum à progenie acceſsit gloriæ & proſperitatis,

tatis, quod auitæ virtutis dignos ſe æmulos præbeant. Eminet inter eos PETRVS OTTHOBONVS, qui Deo & bono publico ſe totum tradidit. Iuris namq; vtriuſq; peritiâ ſingulari pro ſui ingenij felicitate inſtructus, accedente morum integritate, Romæ eam ſibi peperit ſcientiæ ac probitatis famam; vt Eminentiſſimi Franciſci Barberini auctoritate diuerſis oppidis & vrbibus rerum ſumma ei credita fuerit. Quæ ſanè munera eâ fide eâq; innocentiâ hactenus ita geſſit; vt ſummi Pontificis Vrbani VIII. fauorem ſibi conciliauerit, Georgio Cornelio Epiſcopo Patauino Rotæ Auditor meritiſſimè ſubrogatus. Majorum exemplo cęteri in patriâ præclaris animi dotibus ad incrementa honorum, ſuæ familiæ domeſtica, bono euentu contendunt. Marcus vltimi finis memor ad familiæ decus ſepulcrum ex nigro marmore conſtruxit hac inſcriptione,

MARCVS OTTHOBONVS, MARCI ANTONII FILIVS,
MONVMENTVM ANTE ARAM, A MAIORIBVS SVIS
CONSTRVCTAM, SIBI, VXORI, ET POSTERIS,
P. C.
ANNO SALVTIS M.DC.XX.

LIVIVS

LIVIVS LEONIVS, ANGELVS ANDRONICVS, BENEDICTVS BOVIVS, & ALBERTVS CAMPANA, *Ordinis S. Dominici Doctores.*

NEq; à noſtrâ pietate alienum fuerit, prima S. Dominici familiæ hìc inſeruiſſe capita: quorum ingenijs noſtrâ memoriâ Lycei Patauini pulpita inclaruerunt. Deprædicandus iure LIVIVS LEONIVS, Patauinus, Metaphyſicæ profeſſor, nobili familia, quamuis extra thorum natus, ſed nobiliori ingenio, qui mirum in modum in ſubtilioribus diſciplinis, ac Theologiâ prouectus, ætate adhuc floridâ immaturo fato ceſſit An. M.DC. XVII. die III. Martij.

Felicior ANGELVS ANDRONICVS, Venetus: qui per annos quadraginta publicum Theologi munus tantâ cum facilitate vociſq; cõtentione, magno auditorum commodo, ſuſtinuit; vt nihil in eo ad publicum Gymnaſij ſplendorem deſideraretur. Senectute confectus ab omni oſtentatione alienus ſine vllis ingenij monumentis editis Vir priſci candoris die XXV. Nouembris An. M.DC. XXIX. deceſsit.

Huic meritò ſuffectus BENEDICTVS BOVIVS, Feltrenſis, profundæ ac vaſtæ memoriæ vſq; ad admirationem vir. Cui inter cæteros primum Philoſophiæ guſtum gratus debeo. Iuuenis concionibus ſacris, & priuatis lec-

tio-

tionibus deditus, eo ingenij feruore inclaruit; vt Regentis, quod vocant, munere Pātauij ornatus à Methaphyſicâ cathedrâ ad Theologicam progreſſus mira ediderit multiplicis doctrinæ ſpecimina. Orator inſignis maximorum Virorum funera honeſtauit. Vir gratijs muſiſq; ſacer, jocis ſeria miſcens, de quauis re promptè ac peritè diſſerens, magnâ Gymnaſii jacturâ, ſęuiente adhuc peſte, fato, quod euitabat, Venetijs occubuit die XII. Decēb. M.DC.XXXI. ętatis ſuę an. L.

Partem quoq; ſuam egregiè peregit ALBERTVS CAMPANA, nobilis Florentinus, politioribus literis non minùs, quàm vniuerſæ philoſophiæ ac ſacrarum literarum cognitione clarus. E Piſano Gymnaſio poſt aliquot annorum moram in Patauinum magno honorario ad ſacri Codicis Lecturam euocatus, valetudine quamuis dubiâ, doctorum omnium expectationi mirè ſatisfecit. Nihil enim fermè occurrebat, cujus non exactam redderet rationem ſummę experientię vir, magniq; vſus, quem longâ rerum ſerie parauerat. Eo tamen infelix, quòd artuum munere priuatus, ſolâ voce animoq; officium prętaret quibuſcunq; tantę virtutis admiratoribus. Cùm verò antiqua crurum vlcera ope cujuſdam mulierculę ſibi curari voluerit, derepente apoplecticus obijt anno M. DC. XXXIX. die XXIV. Septembris, horâ VII. noctis, tranſmiſſâ ad caput excrementorum illâ colluuie, quę per vlcera copiosè expurgari conſueuerat: documento inſigni, ne viri prudentes ſalutem ſuam imperitis mulierculis credant.

Ejus monumenta plura: ſed typis ſolummodo legitur. *Lucanus verſibus etruſcis redditus.*

PAVLVS SANSONIVS, PHILIPPVS FABER, OCTAVIANVS STRAMBIATVS, & IVLIANVS RICCIVS, *Ordinis S. Antonij Doctores.*

NOn inferiori laude clariſſimi Patres effulſerunt è ſacrâ D. Antonij Societate, veluti omnis doctrinæ liberalis officinâ, qui noſtrâ ætate fatis ceſſere. Inter eos primus PAVLVS SANSONIVS, Mediolanenſis, Philoſophus ac Theologus inſignis: qui pluribus annis docendo cùm commentaria præclariſſima in Ariſtotelem & Theologiam vniuerſam conſcripſiſset; ea ſui ordinis in patriâ cœnobio viuens tradidit. Tranſlatus ipſe ad ſacræ Inquiſitionis munus Patauij, illud arduis temporibus ſummâ prudentiâ exercuit, ob inſignem comitatem grauitati conjunctam Senatoribus Venetis & primoribus totiq; vrbi charisſimus. Acceſſit animi dotibus egregia formæ præſtantia, floriduſq; vultus. Sed cui occultus hoſtis inſidiabatur. Aliquot nempe annis arteriæ pulſum ipſi juſto cōtractiorem obſeruârunt Medici familiares. Nec ſine graui noxâ. Hydrope namq; aſcite correptus cùm tandem interijſset, folliculus è dextra cordis auricula extractus cum venulis ad nutritionem ipſi annexis, in quo & pinguedo ſine omni pure, quod morbi tātùm initio exſpuerat, à ſolo cordis defectu hoc quoq; malum nonnumquam oriri docuit medicos. Quandoquidem & illud viſcus ſanguinis generationi aliquâ ratione conferat: cùm jecur in ipſo ferè inculpatum eſset. Exceſſit anno M.DC. XXI.

Oc-

Octavianvs Strambiatvs, Rauennas, obeſioris quidem corporis, ſed acerrimi ingenij & cathedræ maximè accommodatus, Scoti doctrinam aſſiduè defendit. Canonicis noſtris S. Mariæ in Vantio cùm Theologiam traderet, eos ad mentem D. Thomæ ſummâ cum omnium admiratione ſic ad vnguem inſtruxit; vt Doctoris vtriuſq; aſſecla cenſeretur. Publicam Metaphyſicæ Cathedram per plures annos, videlicet ad An. M. DC. VI. vſq; M. DC. XXIX. magnâ laude exornauit, quo ob apoplexiæ binas acceſſiones ſe abſtinuit: cùm muneri ampliùs per vires non ſufficeret. Nullo tamen relicto ingenij monumento ſuæ ætatis propè LXX. in patriâ obijt anno M. DC. XXX. die XVI. Aprilis.

Philippvs Faber, Fauentinus, Theologus noſtri ſeculi celeberrimus: cujus opera, doctis probata, ejus ingenium ac labores indefeſſos teſtantur. Viginti ſupra octo annos Theologiam in Patauino Lyceo clarè ac dilucidè explicauit. Doctrinam Scoti ferè à neotericis conculcatam defendit, ac priſtino ſubtilitatis ſplendori reſtituit. Philoſophiam ad mentem Scoti euulgauit, mox Theologiam, tandemq; Metaphyſicam: quam poſtea doctiſſimus Matthias Ferchius Veglienſis, ſucceſſor ipſius, edidit, adjectâ Viri vitâ: quò lectorem remittimus. Obijt anno M. DC. XXX. die XXVIII. Auguſti æt. LXVI. Patres in Templo D. Antonij ipſius memoriæ Epitaphium ad effigiem dicârunt.

PHILIPPO FABRO, FAVENTINO,
CONVENTVALIVM ORDINEM SACRA VITA,
REGIMINE STVDIOR. PROVINCIALATV BONONIENSI:
PERIPATETICAM ET SCOTICAM PALAESTRAM LIBRIS

LOGICAE, PHYSICAE, METAPHYSICAE SCHOLASTICAE:
CHRISTIANAM FIDEM SCRIPTIS IN ATHEOS
ET HAERETICOS ACERRIMIS:
PATAVINAM VNIVERSITATEM STVDIIS
PHILOSOPHIAE ET THEOLOGIAE, ANNIS XXVIII.
VITAM MORTALEM LXVIII.
IMMORTALEM A M.DC.XXX. VIRTVTIBVS ILLVSTRANTI
PATAVINI PATRES AMANTES
AMANTI IVSTA SOLVVNT.

Ejus proſtant.

In IV. Libros Sententiar. Comment.

Diſputationes Theologicæ Complutenſes in materiam de Peccato, de Purgatorio, de Suffragijs; de Indulgentijs, & alia omnia, quæ Theologi tractant in Quarto Sententiar.

De Oratione, de Angelis, de Incarnatione in genere & ſpecie.

In Philoſophiam Scoti.

Aduerſus Atheos.

In XII. Lib. Metaphyſicorum.

De Cenſuris.

De Prædeſtinatione.

De Reſtitutione.

Non edita.

De Primatu Petri & Summ: Pontificis aduerſus M. Antonium de Dominis.

Scripſit etiam *In Logicam, Phyſicam, De Cælo, De Anima* plura: quæ omnia Patauij in publicâ Bibliothecâ aſſeruantur.

I v-

IVLIANVS RICCIVS, nobilis Florentinus, Græcam linguam priuatim & publicè aliquot annos in Taurinenſi, deinde in Patauino Gymnaſio docuit. Vir lepidus, in concinnandis carminibus etruſcis mirè facilis: corporis tamen cultu adeo ſordido, ſiue propter fortunæ tenuitatem, ſiue ita ferente ejus genio; vt omnem ferè ingenij famam ſuimet neglectu obſcuraret. Senectute aduerſâq; valetudine ingraueſcens, Scholæ non nunquam ludibrio, multa præter rationem in medium protulit: nullius laboris pertæſus, donec annis viriumq; debilitate confectus Patauij expiraret anno M.DC. XXXVIII. die primâ Septembris.

PROSPER ALPINVS.

AD Montium Vicentinorum radices, quà Germanicis alpibus cõmittuntur, jacet Maroſtica, oppidum peramœnum, ſoliq; vbertate non minùs, quàm aëris ſalubritate conſpicuum: quippe quod peſtilentiâ, quantumuis finitimis locis graſſante, nunquam tactum fuiſſe, conſtans eſt incolarum fama. Hìc auram vitalem hauſit PROSPER ALPINVS ann. M.D. LIII. die XXIII. Nouembris Franciſco patre, Medico ſui temporis inſigni. Is licèt ab ineunte ætate armis addictior videretur ſimili cum Paulo fratre propenſione, qui in ditione Mediolanenſi Tribuni militum & Commiſarii munere functus, Stazani

& Ca-

& Carezani Prætor obijt; ſaniori tamen conſilio, optimiq; parentis imitatione bonis literis operam dare decreuit. Imbutus itaq; ijs diſciplinis quæ ingenuum adoleſcentem decent, Patauium cùm veniſset, ab Vniuerſitate Philoſophorum & Medicorum primò Rectoris Vicarius, mox Syndicus electus eſt. Quibus muneribus tantâ prudentiâ ac moderatione ſe geſſit; vt non modò Studioſis omnibus, ſed vniuerſo Profeſſorum ordini ſe charum & amabilem præbuerit. Quo ſanè tempore cùm maxima diei pars publicis negotijs ipſi efflueret, nocturnis ſtudijs & meditationibus deperditas horas cõpenſare ſolebat. idq; tantâ animi contentione; vt quadriennio nondum exacto fauſtâ omnium acclamatione vtriuſq; facultatis lauream reportauerit die XXVIII. Aug. an. M.D. LXXVIII, Promotoribus Viris cl. Hieronymo Mercuriali, Franciſco Piccolomineo, Iacobo Zabarella, Hieronymo Capiuacceo, Bernardino Triuiſano, Albertino Bottono, Ioanne Carpineto, & Annibale Pimbiolo. Hiſce honoribus vix auctus in Oppidum Campi Sancti Petri publico ſtipendio inuitatur. Sed cùm ad altiora aſpiraret viuidus ejus animus, non diu ibi hæſit. Quo .n. flagrabat deſiderio indagandi veram exoticorum quorundam ſimplicium, & præcipuè Balſami, hiſtoriam, Galeni exemplo externas & longinquas regiones peragrare cõſtituit. Fauit doctiſſimi Viri conatibus fortuna, electo per ea tempora Ægypti Conſule Georgio Hemo: qui inter plurimos id muneris ambientes Proſperum noſtrum ſibi medicum delegit: cum quo die XII. Septemb. anni M.D. LXXX. Venetijs ſoluens, difficili & periculoſâ nauigatione initio

Iulij

Iulij ſubſequentis Cayrum ingreſsus eſt. Triennium integrum cum humaniſſimo patrono ibi tranſegit Alpinus: quo & peritos ac fide dignos homines curiosè ſciſcitando,& varia ipſe loca obeundo quid in publicum bonum contulerit,teſtantur opera,quæ edidit, & quæ in hæredum ſcrinijs ſeruantur. Ex Ægypto reuerſus, & Venetijs aliquandiu moratus,Genuam ab Andrea Doria Melphorum principe ad proprię valetudinis cuſtodiam ingenti honorario accerſitur: in cujus aula non ſolùm, ſed in vniuerſa vrbe medicinam tantâ felicitate exercuit; vt Medicorum ejus ſeculi coryphæus meritò audiret. Increbreſcente itaq; in dies ejus famâ, prudentiſſimus Senatus Venetus non tulit diutius ſibi tantum eripi ornamentum. Vacante .n. jam aliquot annos Simplicium Medicamentorũ cathedrâ, ſolum Alpinum aptum judicauit, qui illam pro loci dignitate exornaret. Ægrè igitur à Doria dimiſsus Patauium venit: vbi publicè in Scholis & Horto, priuatimq; in ædibus ſuis docendo tantam ſibi exacti judicij famam cõparauit,vt doctiſſimus quiſq; Botanicorum in dubijs & controuerſis ſimplicibus ejus tanquam ex tripode ſententiam peteret. Sic ille publico ſemper bono intentus ad extremum vixit: quamuis infirmâ & inconſtanti valetudine vteretur, ex longinquis & diuturnis peregrinationibus procul dubio contractâ, & præſertim ſæuiſſimâ arthritide: cujus cauſa artuum munere interdum priuabatur. Acceſſit poſtremò ſurditas adeo grauis, vt ne maximos quidem ſonos perciperet. Meditari tunc cæpit tractatum *De Surditate*: quo profitebatur Vir acutiſsimus, Medicorum neminem ve-

ram affectionis illius naturam hactenus aſsecutum fuiſse. Sed fata extremam Operi manum negârunt. Superueniente .n. lentâ febre ann. M DC.XVI. menſe Nouembri viuere deſijt eâdem, qua natus erat, die, relictis è lectiſsimâ conjuge Bartholomæâ Tharſiâ ciue Patauinâ quatuor liberis. Ex quibus M. Antonius I.C. & magnæ ſpei adoleſcens peſtilentiâ anni M. DC. XXXI. ſublatus eſt: Alpinus, qui jam annos aliquot Venetijs medendi peritiâ clarus poſtquam Patri in Simplicium profeſsione poſt Ioannem Præuotium ſucceſsiſset, diſruptâ pulmonis vomicâ die XII. Decembris M. DC. XXXVII. obijt: Mauritius Monachus Caſsinenſis, Sacræ Theologiæ doctor, qui nobis iſta ſcribentibus anno M. DC. XLIV. maraſmo contabuit. Supereſt *Paulus*, Marti potiùs quàm Mineruæ natus: apud quem hæc Parentis manuſcripta ſeruantur.

Prælectiones in Gymnaſio Patauino publicè habitæ.

De Surditate Tractatus imperfectus.

De Medicinâ Ægyptiorum Liber V. addendus quatuor alijs jam editis: qui etiam innumeris locis aucti & locupletati ſunt.

De Naturali rerum in Ægypto obſeruatarum Hiſtoria Libri V. varijs Plantarum, Lapidum, & Animalium iconibus exornati.

Quæ omnia ab inertis cujuſdam fuci inſidijs, qui ex alienis laboribus famam captare ſtudet, non ſine labore præſeruata ſunt.

Typis edita.

De præſagienda Ægrotantium Vita & Morte Lib. V.

De

De Medicina Methodica Lib. XIII.
De Medicina Ægyptiorum Lib. IV.
De Plantis Ægypti Lib. I.
De Balſamo Dialogus.
De Rha-Pontico Thracico Libellus.
De Plantis Exoticis Lib. II. ab Alpino filio completi & vulgati.

PAVLVS ARGOLVS.

ARGOLORVM familia inter Marſos nobiliſſima. Properante enim in Italiam Carolo Andegauenſium Duce, atq; hortatu Clementis IIII. Rom. Pontificis contra Sueuos Principes, Eccleſiæ hoſtes, Regnum vtriuſq; Siciliæ inuadente; quoſdam Argolorum familiæ è Galliâ Narbonenſi Arelatenſes patricios Regem cum triginta triremibus è Maſſilia ſoluentem anno reparatæ ſalutis M. CC. LVI. ſecutos conſtat. Eorum vni Ludouicus, Gaſpar alteri nomen erat: qui poſtea Argolis in Italiâ originem aſſeruerunt. Am iſo ſiquidem Toloſiorum (ita olim cognominabantur Arelate) cognomine *de Gallis* à Galliarum Regis fratris obſequio, interdum *Arlij* à patria dicti ſunt: (Arles enim Arelate Gallicâ voce, ſiue *Arguli* indigetatur) donec immutato vocabulo pro *Arlijs* dicti ſunt *Argoli*. Aſſeruatur in domeſticis familiæ ſcrinijs


FR. PAVLVS ARGOLVS.

renouata per poſteros inuiolabili fide ſcripturā, vetuſti tamen characteris, quæ Caroli ejuſdem inſigne priuilegium continet, atq; ibi Ludouicum Toloſium, Argolorum familiæ anteſignanum, Virum bonum bello & egregium nominat. Ex quo licet colligere ſelectæ nobilitatis Arelatenſis eũ, & ſpectatę dignitatis fuiſſe. E Gallis dicti ſtemmate etiam Gallum prætulere circini globulo inſidentem, quòd fortaſse ſolus Circinus, vti credibile eſt, Toloſiorum inſigne antea fuerit. Sub Aragoniæ Regibus varij hujus domûs ſtrenui viri, & priuilegia multa: & duo caſtra deinde, quæ *le Saſſe* vocant, jam in Columnenſium ditionem ſubacta, in Aquilano ſuburbio meruere, & quorum etiam memoria monumentis Aquilanorum publicis aſseruatur. Vrſinorum mox ſub patrocinium ſunt acciti: à quibus primùm Marani feudum accepere. Plurimi deinde à Columnenſibus ſemper habiti, egregia, & precipuè bello Campanienſi non inter vltimos patrârunt. Paulo III. præterea Argoli per ea tempora gratiſſimi tres Præſules continuis vicibus habuere, Alexandrum Argolum, domûs Pontificię Magiſtrum, Lauretanæ ſacræ ædis adminiſtratorem, atq; Epiſcopum Terracinæ: Gaſparem Anconæ Gubernatorem: & ejuſdem nominis alterum Aduocatum Conſiſtorialem.

Ex hac ſtirpe PAVLVS Argolus ANDREAE Mathematici ſcriptoris per orbem laudatiſſimi frater vterinus, mirandi ingenij Vir, & qui primos ſcholaſticæ diſciplinæ corypheos æquâſset, ſi ingenio vita reſpondiſset, natus M.D.LXX. Talleacotij: qui primis annis cùm valetudine

parùm ſecundâ eſset, mater Catharina, Mathorum illuſtri & Hieroſolymitanę militiæ equitibus clarâ domo oriunda, ſi ſoſpitaretur infans, voto ſe ſanctorum alicui cœnobio dicaturam filium adſtrinxit, niſi ipſe repugnâſset. Pueri voluntas matris votum ſecuta eſt. Paulus enim D. Franciſci, quod Talleacotij eſt, ſodalitio, inſignibus religionis acceptis, adſcribitur, eâ animi ſenſuumq; firmitate; vt ſe ſtrenuum militem futurum, qualiter breuì apparuit, in ipſo limine oſtenderet. Hìc Logicam audiuit: mox Peruſij, & Neapoli altioribus incumbens diſciplinis tantum profecit, vt æquales ſuæ religionis ſtudio facilè anteuerteret. Diffuſâ itaq; illius ingenij celebritate Romam accerſitur: vbi mira penè doctrinæ prodigia edidit. Diſceptationibus ſcholaſticis in primis ingenij acumen prodidit. Referunt quandoq; ad diſputationem quandam acceſſiſse, quæ Cardinali Montelparo dicata erat: qui cum Paulum extra orbitam diſputantium inter cęteros auditores obſeruâſset, inaurato, quem manibus tenebat, libello ei miſſo, in ſui gratiam ad diſputationem inuitabat. Paulus libellum quidem accepit, aperire tamen noluit, antequam inuitaretur. Tunc enim libello aperto, quod fortuitò obuenit argumentum improuiſo inſultu tam multifariè, tam ſolidè impugnauit; vt aduerſarios planè confuſos magnâ ſui gloriâ manus dare coëgerit. Quod ſæpius Neapoli quoq; factum memorant: vbi annos natus decem & octo diſputationes moderabatur. Hinc Siſto V. Pont. Max. D. Bonauenturæ collegium aperiente, in quo totius religionis viginti egregij in virtute fratres ad ſtudia alerentur, cùm reliqui ſententiâ Pa-

trum

trum proponerentur; Paulus à Pontifice anteſignanus nominatur. Quod illi non ſine opimâ honorum ſpe contigiſſet, ſi Pontifex longiori imperio vixiſſet. Lauream mox petijt, cùm vigeſimum annum nondum expleuiſſet, reclamantibus religionis Antiſtibus, ac aperiri aditum affirmantibus juuenum ambitioni, ſi eâ ætate tam facilè illis laurea tribueretur. Verùm Paulo examinis judicium expoſcenti, Pontificis juſſu doctoralis honor confertur. Creuit honore ſtudij amor, ac breui Scotum, & D. Thomam, quos in propoſitiones totos digeſſerat, expolire, ac in lucem emittere moliebatur. At dum Roſiliani prope Barium, Aquauiuorum Principum precibus gratificatus, concionibus ſacris quadrageſimæ operam nauat, ſtudij labore, eloquentiæ exercitio, ſacri jejunij macie, vigiliarum nimiâ tolerantiâ è viuis, heu, eripitur. Narrant oculum illi primùm acrimoniâ nocturni ſtudij malâ diſtillatione labefactatum: deinde cryſtalloide tunicâ læſâ crepuiſſe, donec ſuccedente febre, vt debilis erat, eriperetur anno vitæ ſuo vigeſimo primo nondum emenſo: quos annos proſperâ & congruâ valetudine egerat, niſi aſſiduo labore corporis bonum habitum infregiſſet. Gracilis erat, juſtæ ſtaturæ, coloris ſubfuſci, nigro capillo, cauis temporibus, gratioſo & amabili vultu, moribus correctiſſimis: quales ſtudiorum ſacrorum bonis & pijs ſolet dictare pagina. Ejus mortem multi doluerunt, Cardinalis præcipuè Montelparus, qui Paulum ita dilexit, vt cùm Romam Catharina ejus mater veniſſet, ipſam inuiſeret, ac de egregio filio gratularetur. Aſcanium quoq; Columnam, Bellarminum nondum Cardina-

lem,

lem, qui ad Paulum quandoq; amicè accedebat. Ingenio ipſius Baronius & Sarnanus mirè delectabantur. Cardinali Alexandrino familiaris erat, itemq; Altemps, Montalto: quorum fauorem, quantum virtute promerebatur, modeſtiâ augebat. Aliquibus tamen viſus eſt paulò ſuperciliofior, cùm in diſputationibus ſibi temperare non poſſet, quin aduerſarium non modò erroris admoneret, ſed penè opprimeret. Quod ipſi cum magnis ingenijs indulgendum fuit: qui, dum errores non ſinunt obrepere, pro veritate vel Platonem repudiant.

Majorum virtutem exornant hodie Viri egregij: inter quos ALEXANDER Argolus moribus, doctrinâq; inſignis, in luce jam diu Romanæ aulæ verſatus, poſt multa ſingularis prudentiæ munera nunç Generalis Bononienſis Legationis capitalium rerum pro Pontificio Imperio Præfectus, Principibus ſuiş chariſſimus ad majora meritis magis, quàm ambitione feſtinat. ANDREAS ejus Patruus famâ mathematicæ ſcientiæ clariſſimus, ac munificentiâ ſereniſſimi Senatûs Veneti, qui eum equitem heroico ſplendore deſignauit, non familiæ modò, ſed ſeculo lucem dignitatemq; impertitur. Patris veſtigia feliciter premit IOANNES ſummi vir ingenij, qui juuenis multa Phœbo digna cecinit: jamq; non pauca in amœniorum literarum lucem parat, quas Bononiæ in publici Gymnaſij ſuggeſtu non ita pridem illuſtrabat; nunc verò ab Eminentiſs. Antonio Barberino, poſt peractâ Ceruię gubernationē, Lugo pręfectus, loci illius habenas prudentiſſimè moderatur. Is Patruo dilectiſſimo Epitaphium ſtatuit, vbi eū ſic loquentem inducit.

PAV-

PAVLVS eram, cui progenies dedit Argola nomen:
A quo ſed nomen non minùs ipſa tulit.
Ingenij jaceo flos ipſo in flore juuentæ:
Da cineri flores qui legis iſta meo.

Nec minùs eleganter Proſper alter nepos.

Attigeras obitâ nondum trieteride quintâ
Prima juuentutis limina, PAVLE, pede,
Cùm cadis, & Sophiæ tecum cecidere, ruitq́;
Cura boni, recti gloria, laudis apex.
Jntereaq́; tuæ narratur mortis origo,
Te vigilem ſtudijs incubuiſſe nimis.
Argi nomen habes, nec defuit exitus: Argo
Mercurius nocuit, Mercuriuſq́; Tibi.

IOANNES CAMILLVS GLORIOSVS.

NEapoli ortus anno M. D. LXXII. ſubfuſci coloris ac paruæ ſtaturæ vir, ſed altiſſimi ingenij ac mathematicis diſciplinis aptus: poſtquàm diu in Philoſophicis ac Theologicis non mediocriter deſudâſſet; ad eas denuo animum applicuit. In ijs quantùm profecerit, quàm ipſe ſolus in arduis Geometriæ demonſtrationibus, in Algebraicis numeris alios noſtri æui antecelluerit; id ejus opera publici juris facta ſatis comprobant. Sed Cæſar Cremoninus etiam, magnus ille noſtri temporis in Gym-

naſio Patauino Philoſophus, ipſum ſolum perfectè Platonici numeri ſupputationem ac encyclopædiam nouiſſe affirmabat. Harum artium alumnos miro diſcendi ſtudio exquirens, totam Italiam cùm peragrâſſet; Venetijs tandem ſummâ animi tranquillitate ſubſiſtens, dies ferè in Librariorum tabernis, ac aduenarum conuerſatione tranſigebat. Galileo itaq; Mathematum Patauij Profeſsore celeberrimo Florentiam juſsu Sereniſsimi Ducis Etruriæ euocato, cùm de Mathematico doctore Gymnaſij Moderatores inquirerent; Apotelesmatibus binis ipſi propoſitis, Glorioſus, poſtquam ſcientiæ documentum dediſset exactâ problematum ſolutione, publicum legendi munus in Patauineo Lyceo meritò obtinuit. Perſpicacis hìc ille ſui ingenij artiſq; ſpecimine, magno diſcipulorum commodo & Academiæ ſplendore, plurimum laudis promeruit. Anno M. DC. XVIII. Cometa apparuit: qui num in ſublimi cœlo, an verò in ſublunari ſubſiſteret, cùm inter publicos profeſsores variè diſputaretur; Glorioſus eruditis aliquot lectionibus recentiorum Mathematum opinioni acceſſit. Fortunius Licetus, hodie *P*hiloſophorum *P*rinceps, illico in diuerſum abijt, editis aliquot diſputationibus: quibus mox alter reſpondit: ac demum Viri cl. adeo incaluere; vt ſe mutuo acriùs impeterent. Annis ſex tranſactis auctum ei ſtipendium: hujus verò ſoluendi tempore cùm ſibi non vſq; ſatisfactum putaret, ſuoſue labores non tanti, vt par, æſtimari; à legendi munere abſtinuit, magno Gymnaſij damno: & poſt aliquot menſes in patriam redijt. Quo in loco eadem ſtudia, ſibi familiaria, nunc ſcribendo, nunc pri-

uatis

uatis in ædibus docendo exercuit: Scholioq; Liceti reſponſionem vulgauit, aliaq; præclariſſima opera ſub titulo Exercitationum Mathematicarum, partim reſpõdendo ad *Vindicias Bartholomæi Soueri*, qui in ejus locum *Patauij* ſucceſſerat, pariterq; ad Scipionem Claramontium, & ad Benedictum Maghettum, partim Algebram dilucidando. Quæ omnia mihi amiciſsimus Vir tranſmittebat, ſuis amicis diſtribuenda. Ad ſenectutem vſq;, quamuis dubiâ valetudine, acie oculorum clarâ, promptoq; ingenio, ac hilari fronte, Alexandro Gallo, Epiſcopo Maſsæ, aliſq; cl. Viris vixit conjunctiſsimus: donec catarrho ingraueſcente abſq; teſtamento die VIII. Ianuarij M. DC. XLIII. diſcederet. Nepos, à literarum ſtudio alienus, Bibliothecam relictam quingentorum aureorum pretio vendidit Proregi Neapolitano, qui in Hiſpaniam tranſtulit.

Lucubrationes, quæ hucuſq; in lucem prodierunt.

Reſponſum ad Geometricum Theorema à nobiliſsimo Viro propoſitum.

De Cometis diſſertatio Aſtronomico-Phyſica.

Reſponſio ad Controuerſias de Cometis Peripateticas.

Decas Prima Exercitationum Mathematicarum.

Reſponſio ad Vindicias Soueri.

Reſponſio ad Scholium Fortunij Liceti.

Decas Secunda Exercitationum Mathematicarum.

Caſtigatio Examinis Scipionis Claramontij.

Decas Tertia Exercitationum Mathematicarum.

Reſponſio ad Apologiam Benedicti Maghetti. Item *Reſponſio ad Scipionem Claramontium.*

ALEXANDER GALLVS.

MAgni illius Iacobi Galli I.C. celeberrimi filius, qui vrbem noſtram ac Gymnaſium diu illuſtrauit, Neapoli natus An. M. D. LXXIX. die III. Aprilis circa horam VI. noctis, ſtudijs Iuriſprudentię operam nauauit: ingenio, dexteritate pollens, patris gloriam ſolicitè æmulatus eſt: ſed vario vitæ diſcrimine reiq; domeſticæ præpeditus, non ita liberè curſum ſtudiorum perficere potuit. Peragratâ hinc inde Italiâ ac Galliâ, defuncto patre, aulam Romanam inuiſit. Eccleſiaſticæ vitæ addictus, cùm aliquot annos in Vrbe permanſiſſet, Neapolim redijt. Vulgata hìc aliquot Patris monumenta Vrbano VIII. Summo Pontifici obtulit, aliosq; Codices MS. in Barbarinam Bibliothecam tranſtulit. Vacante interea Anno M. DC. XXXII. Epiſcopatu Maſsæ, cùm moribus candidiſſimis ac inculpatæ vitæ eſſet, iſto munere, qui fungeretur, dignus judicabatur: conſecratus ab Eminentiſs. Cardinale Pamphilio die VIII. Decembris. Quantum verò oneris pro hac Eccleſiâ ſanctè ac piè inſtaurandâ ac exornandâ ſuſceperit, longum nimis hìc eſset commemorare. Notum eſt, omni conatu pro ejus incolumitate inſudâſse. Anno ætatis quarto & ſexageſimo, cùm obeſior euaſiſset, occubuit anno M. DC. XLIII. Cujus meritis ob diuturnum amicitiæ cultum hoc monumentum ſacro.

MAR-


M. ANTONIVS OTHELIVS I.C. VTINEN
SIS, ET IN PATAVINO GYMNASIO ORDI
NARIVS IN PRIMA SEDE MATVTINA
IVRIS CIVILIS INTERPRES.

MARCVS ANTONIVS OTHELIVS.

NObilis Vtinenſis à Tiberio Deciano ciue ſuo anno M. D. LXXIV. Iuriſprudentiæ Laureâ inſignitus, cùm altiſſimi eſſet ingenij & ad docendum ſummopere accommodati, in patriam reuerſus Imperatorias Inſtitutiones publico honorario expoſuit. Quod munus magnâ cum laude poſtquam nouennium ſuſtinuiſſet, ſparſâ ex illâ vrbe famâ Gymnaſij Patauini moderatores illuſtriſſimi, nullâ tunc quidem vacante cathedrâ Iuris, nouam de Regulis Iuris ipſi conſtituendam decreuere: quæ ad ſtudioſorum vtilitatem varijs Doctorum ſententijs perneceſſaria cenſebatur. Hanc igitur aggreſſus clarâ & ſonorâ voce, quæ in extremam ſenectutem durauit, facili methodo obſcuriores leges ac gloſſas magno auditorum commodo nec minore ſui ingenij laude per annos quatuor euoluens, eum ſibi applauſum retulit; vt anno M. D. XC. Angelo Matthæacio, ab explicatione Pandectarum ad Ius Ciuile horæ matutinæ traducto, ſucceſſerit. Campus hìc gloriæ fuit inſignis: quam priuatis publiciſq; laboribus ſic extendit, vt poſt aliquot annos in primarium Iuris locum votis omnibus fuerit cooptatus. Quam dignitatem ſummâ nominis ſui laude & Lycei ornamento, accurrentibus vndiq; diſcipulis, quos eximiâ comitate ſibi demeruerat, vſq; ad extremos annos egregiè tuebatur. Ea certè iuuen-

tutis, nec vana, de ipſo fuit opinio, vt PATRIS nomine eum paſſim vocarent. Exactis hoc modo in Gymnaſio annis quinquaginta, cùm jam octogeſimum exceſſiſſet, Sereniſſimi Principis indulgentiâ honorario ſtipendio ſatiſq; amplo, liberali otio relictus, Venetias ad nepotem medicum ſeceſſit: quo prematurâ morte ſublato, Bartoluccium Bartoluccium defuncti fratrem I.C. eruditum è patriâ accerſiuit. In cujus ſinu vltimum vitæ ſpiritum piè Creatori reddidit anno M. DC. XXVIII. menſe Iulio, ſepultus in Eccleſiâ S. Angeli. Vir ſuauis, placiduſq; maieſtate vultûs & morum candore inſignis: quas animi dotes nec ſenilis effigies tacet. Doctorem publico bono natum teſtantur innumeri, qui, ejus veſtigia ſequuti, Viri Iuris peritiâ clariſſimi euaſcerunt.

Conſilia ejus circumferuntur plura.
Comm: & Lectiones in Jus Ciuile.
Item *Lectiones in Jus Canonicum.*

Aſſeruantur penes Bartoluccium Tractatus duo.
I. De Jure Dotium. II. de Pactis.

IOAN.



IOANNES BONIFACIVS RHODIGINVS
I.C. ASSESSOR, ET HISTORICVS.

IOANNES BONIFACIVS.

RHodigij anno M. D. XLVII. ortus, patre Sebaſtiano patricio Rhodigino & matre, Imperatrice Miranâ Patauina: cui annos quinguaginta ſine vlla querelâ matrimonio junctus integris ſenſibus annum ſextum ſupra nonageſimum attigit. Filius altiſſimæ indolis, ingenijq; amœni puer, Muſis in patria feliciter ſalutatis, ab Antonio Riccobono humaniores literas didicit. Patauium deinde miſſus ſtudijs operam impendit eâ facilitate, vt poſt quinquennium vtriuſq; Iuris Lauream publico applauſu reportauerit. Eo florentis ætatis tempore quidquid ſeueriori legum ſtudio, & academicis diſceptationibus eripere poterat, id totum poëticis oblectamentis impendebat, Italiciſq; carminibus delectatus varia drammatica Poëmata contexuit: quæ amicis ſuadentibus publici juris facta ſummam ei laudem attulerunt. Forenſibus juxta cauſis poſtquam animum applicuiſſet mirâ promptitudine ac facundiâ; ad ſuæ familiæ propagationem Iſabellam, Marci Antonij Martinagi nobilis Taruiſini vnicam filiam & hæredem, ſibi conjugem delegit, Taruiſiumq; in domum ſoceri accitus laudabilem cauſidici operam ibidem aliquot annis præſtitit.

Virum quidem aduenam, ſed moribus ſuauiſſimis excultum, facilem, doctum, magnanimum tanto amore Taruiſini ciues proſecuti ſunt, vt ad vrbis ſplendorem æſti-

uo otio *Hiſtoriam Taruiſinam* in XII. libros digeſtam magno eruditorum, atq; in primis Abrahami Ortelij Geographi Regij applauſu, egregiâq; ſui nominis famâ vulgauerit: ob quam etiam Alphonſi Eſtenſis poſtremi Ferrariæ Ducis eum ſimul fauorem commeruit ob memorata ſuæ familię decora; vt pręter humaniſſimas literas pretioſi adamantis honorario auctorem dignatus fuerit. A varijs Academijs exceptus, meruit eodem tempore inter vrbis Patauinæ ciues enumerari, Benedicti Doctorij Philoſophi & ciuis primarij hoc epigrammate celebratus.

Jnclita Taurigenum legi monumenta virorum,
Quæ ſimul ingenij ſunt monumenta tui.
Taruiſij Hiſtoriâ viuet Bonifacius, vt nunc
Viuit Romanâ Liuius Hiſtoriâ.
Præſtanti eloquio ſimiles, præſtantibus auſis,
Laudibus eximijs, tanto & honore pares.
Fortunati ambo, & fortunatiſsima tellus
Itala, quæ egregios edidit alma viros.
Hi bellis, acieq; valent: illi arte loquendi:
Hi fera bella gerunt: hi fera bella canunt.
Sic celebre Auſonium tollit ſe ad ſidera nomen:
Sic magnæ Heſperiæ fama perennis erit.

Cum aliquot jam annos Taruiſij forenſibus cauſis tranſegiſſet, Venetorum ſuaſu ſe ad Aſseſsoris munus applicuit: quo fidam Senatoribus ampliſſimis Bergomi, Belluni, Feltrij, Vicentiæ, Veronæ, Brixiæ, & Pataui j operam probauit, tantâ ſedulitate, animiq; dexteritate; vt certatim eum ad curiæ decus acciuerint. Hac occaſione horis ſubciſiuis

com-

commentaria quædam ſummæ prudentiæ plena Iuriſconſultis edidit, & præſertim opus *de Furtis*, in quo vniuerſa materia contrectationum, ac rei alienæ occupationum examinatur, Venetis roboratum legibus varijſq; hiſtoricis & poëticis figmentis ornatum: quod poſtea diuerſis in locis auctius vulgatum hujus argumenti palmam tulit. *De Feudis* quoq; legem Venetam ampliſſimè dilucidauit, qui labor Sereniſs. Venetiarum Duci dicatus, non minori comitate exceptus fuit, quàm *Legum Venetarum Methodus*. Hinc Iuriſconſulti cl. nõ minùs quàm Hiſtorici nomen retulit judicio Marci Antonij Peregrini Lib. 3. Conſ. 11. Octauius Liuellus etiam primarius in Gymnaſio Patauino Inſtitut. Ciuil. Interpres in Epitome Legalium Inſtitutionum pręclarum Iuriſconſultum & Inſignem ac primarium Aſseſsorem hujus ſtatûs deprædicat. Franciſcus Scotus poſtquam eum conſpexiſset, in ſuo Itinerario *I.C. in vniuerſo ſcientiarum orbe verſatiſsimum, & antiquæ probitatis virum* vocat: *in cujus modeſto vultu animi candor, & neſcio quid ſanctitatis apparet*. Excitati verò ingenij nouęq; rei præcipuum dedit argumentum Liber etruſco idiomate conſcriptus *dell'Arte de' Cenni*, ſeu de Eloquentia viſibili, aliaq; opera plurima tanto Viro digna. Rhodigij ei controuerſia inſignis cum Baptiſta Guarino Equite de tranſlatione corporis S. Bellini interceſſit: quę ſcriptis hinc inde libellis diu acriterq; agitata, Epiſcopi, & Guarini morte ceſsauit. Principibus diuerſis gratus, ſolis Venetis pro ingenui animi libertate ſe addixit: donec laborum tandem pertæſus patrij ſoli amore, Rhodigij otium literis ſuauiter

exigens, diuerſis opuſculis extremam imponeret manum. Secundis autem nuptijs Anno M. DC. X. Patauij contractis cum nobili matrona Daula Grompa, cujus filia Sebaſtiano Bonifacio Nepoti in matrimonium data, prope Carmelitarum ſedem fixit: neq; octogenarius literarum ſtudia omiſit. Virum ad extremam metam properantem ſenſibus adhuc integris & promptâ de rebus omnibus maximeq; hiſtoricis ſermocinatione diſſerentem attentus non ſine ſtupore audiui: qui hilari vultu omnes, præcipueq; aduenas excipiebat, comiterq; diem in ſerum extrahebat. Viribus tandem ſolutus anno ætatis LXXXVIII mortalitatem expleuit, ære Chriſtianæ M. DC. XXXV. die XXIII. Iunij; delatus in proximam ædem S. Iacobi, vbi è lydio lapide erectum hoc ipſi elogium.

AMICE LECTOR SALVE.

CVPIS FORTASSE SCIRE

CVIVS SIT HOC MONVMENTVM?

IOANNIS BONIFACII, SEBASTIANI F.

HONESTISSIMIS PARENTIBVS NATI,

IN LIBERALIBVS DISCIPLINIS EDVCATI,

IVRISCONSVLTI, HISTORICI, ASSESSORIS,

CIVIS RHODIGINI, TARVISINI, PATAVINI,

PROPINQVIS BENEFICI,

AMICIS GRATI,

PRINCIPIBVS VIRIS CHARI.

QVI SI MAGNA NON FECIT SCRIBENDA,

PLVRA TAMEN SCRIPSIT LEGENDA.

QVAE SI TV BENE INSPEXERIS,
QVALIS IPSE FVERIT, MELIVS INTELLIGES.
ET ILLIVS MEMORIAM SERVABIS.
ET BENE VALE.
M. DC. XXX.

Familiæ ſplendorem hodie tuentur Balthaſsar, & Gaſpar Bonifacij fratres: ille Taruiſinæ Eccleſiæ Archidiaconus: hic patrij ſenatûs archigrammateus: vterq; verò Apollinis & Muſarum myſtes celeberrimus.

Ejus Commentaria leguntur.

Latina.

De Furtis:
De Componendis Epitaphijs.

Etruſco idiomate.

La Hiſtoria Triuigiana in Lib. XII.
L'Arte de' Cenni.
Commentario ſopra la Feudal legge Veneta, fatta l'anno M. D. LXXXVI.
Methodo delle Leggi della Sereniſsima Rep. Veneta.
Diſcorſo Academico del modo di ben formare vna Tragedia.
Diſcorſo ſopra la ſua Impreſa: nel qual ſi tratta dell'Opportunità.
L'Hercole Dialogo: nel qual ſi diſcorre de' nomi, che a' figliuoli ſi deuono porre.
Il Frachetta Dialogo, ouero della Dedicatione dell'Opere.

Oratione fatta in Rouigo, per drizzar' vna ſtatua à Celio Rhodigino.

Vn'altra, per traſportar' in Rouigo il Corpo di S. Bellino Veſcouo e Martire.

Lettioni due. Vna ſopra il Sonetto del Petrarca, che comincia;

Paſſa la naue mia colma d'oblio.

L'altra ſopra quell'altro.

Cercato hò ſempre ſolitaria vita.

Volume primo delle Lettere familiari.

L'Aſſeſſore, Diſcorſo.

La Republica delle Api.

L'Arti Liberali, e Mechaniche come ſiano ſtate dagli animali irragioneuoli à gli huomini dimoſtrate.

Montano, Fauola Paſtorale.

Raimondo, Fauola Tragicomica.

Nicaſio, Fauola Tragica.

FRANCISCVS CALYDONIVS.

COmes Vicentinus I.C. cùm T. LIVII noſtri VITAM perlegiſſet, lactei ſcriptoris æmulus illico amicitiam meam ambijt, non modò literis humaniſsimè ad me ſcriptis, verùm & Patauij eandem verbis quàm prolixè ſibi gratam teſtari voluit. Senem ferè ad vltimum ſenium properantem agnoui, robuſto tamen ac firmo ſatis corpore, viribuſq; ſupra ęta-

ætatem validis. Integram Liuij hiſtoriam & documenta à teneris annis in ſuccum & ſanguinem conuerterat. Cujus ſententias, in gratiam Nepotum peculiari libello digeſtas, publici juris fecerat: eas amicis ſingulari comitate impertiebatur. Vir nō tam literis quàm armis vigente ætate deditus, varios militiæ honores à Sereniſs. Rep. Venetâ domi foriſq; geſſit. Mathematicas diſciplinas & Mechanicas præcipuè coluit, non tam ad animi oblectamentum, quàm publica patriæ commoda. Reipublicæ decreto Septem Pagis, ſeu Cōmunitatibus in vicinis patriæ montibus ſummâ fide præfuit. Vbi incolas antiquo priuilegio immunes, & diſciplinam militarem, jam diu à Principe in illis alpibus deſideratam, renuentes, ad eam ſponte ſuſcipiendam adegit: ob id equeſtri dignitate & publico ſtipendio, vna cum duobus ex fratre nepotibus, auctus & decoratus. Familiæ ſuæ decora palatio, & picturis excitauit, editis Auorum ſuorum Elogijs. Annorum plenus ſanctè in patriâ vltimum diem clauſit anno M. DC. XXXVIII. die XX. Maij: conditusq; in monumento, quod ſibi parauerat in æde D. Laurentij hac inſcriptione.

FRANCISCVS CALYDONIVS
EQVES
ANTONII FILIVS
ANNO DOMINI M. DC. IX.

In palatij ſui atrio Vicentiæ ejus effigies marmorea conſpicitur, hoc alloquio: quod prudentiæ plenum, quanti Vir fuerit, omni æuo erit indicium.

AD-

ADVORTITE NEPOTES, POSTERI.

Ego Franciſcus Calydonius I. C. Sereniſsimi Senatûs Veneti decreto Eques, Vicentinis ad alpes finibus, limitaneiſq; militibus præpoſitus, meam hanc imaginem vobis, veluti allocuturam, poſui. Juriſprudentiâ, eloquentiâ, hiſtoriâ, militari diſciplinâ, mathematicis cæteriſq; ſcientijs, externarumq; linguarum peritiâ vos imbutos voło, jubeo. Superiori præterea in porticu glorioſos Majorum noſtrorum vultus, nobilitatis Venetæ ſtemmata venerantes, ſuſpiciendos expoſui, ad honeſta facinora vobis lumina, incitamentum. Qua fide, qua induſtriâ, qua vigilantiâ Principibus inſerviendum, ex nobis diſcite. Hinc commodum, hinc ædes non indecoræ in vrbe, in pago noſtro Calydonio, ſummâ impenſâ, labore, ſtudio, comparatæ, auctæ, exculptæ. Hoc agite. Huc intendite. Domeſticis auſpicijs antiquum Gentis noſtræ decus præclaris geſtis fouete, propagate. Nil impenſiùs exopto, Nil enixiùs exquiro, mando.

M. DC. XXIX.

IOSE-

IOSEPHVS GVALDVS.

SAlue præclariſſime IOSEPH GVALDE, dulciſſimum ciuilis vitæ oblectamentum,
..... *cui pudor, & juſtitiæ ſoror*
Incorrupta fides, nudaq; veritas
Quando vllum inuenerit parem?

Iam inter cœlites euectus, has noſtræ amicitiæ lacrymas ſuſcipe, quas tuo tumulo, dolore abreptus, manibus placandis offero. Sit ad poſteritatem diuturnæ noſtræ conuerſationis nunquam interituræ pignus: & quæ breuiſſimè recenſebo, ſit minima pars eorum, quæ tua virtus, tua in omnes affabilitas, tuæ vitæ innocentia, morumq; candor merentur, ac expoſtulant. Auram vitalem Vicentiæ anno M. D. XCIV. die XXV. Ianuarij conceſsit, patre Æmilio Andrea I.C. & patriæ perpetuis muneribus vſq; ad octuageſimum annum clariſsimo, matre Margaritâ Dominorum de Broghiano: quæ pulchritudine & mirâ animi prudentiâ inter ſui ſeculi illuſtres fœminas jure merito primam ſibi vindicat ſedem. Primogenitus hic noſter fuit è maſculis poſt tres fœmellas, ſpecie & temperamento delicatiori matri ſimillimus, quę filium ipſum præ alijs Io. Baptiſtâ Equite S. Michaelis, & Hieronymo ſummopere adamauit. Puer ſedulam primis grammaticæ rudimentis operam dedit Vicentiæ ſub præceptore Alexandro Lucido: poſtea ad ſcholas P. Ieſuitarum miſſus, Rhetoricam & Logicam à magnis illius ſocietatis viris hauſit. Admirati adoleſcen-

leſcentis ingenium, & ſupra ætatem in ſtudijs profectum, in primis notârunt ad ſacros Eccleſiæ ritus, ad pietatem, & eccleſiaſticam vitam eſſe propenſum. Pater & patruus Paulus I.C. & Eccleſiæ Patauinę Archipreſbyter ſibi de pueri genio gratulabatur: cui reſpondebat ingenium ſupra vulgus elatum, cæteraq́; ac inſignes animi dotes. Facies quippe ejus cœli inſtar nitentis, ſerena ſemper & ſuauis, animi tranquillitatem, ac morum probitatem oculis ingerebat. In humaniores literas, in poëſim ferebatur: cætera omnia modeſtâ & mirâ facilitate condiebat. Romam profectus ſub patrui tutelâ, qui cum Marco Cornelio Epiſcopo Patauino tunc in Curiâ morabatur, adoleſcens clerici habitum ſuſcepit anno M. DC. X. ibiq́; à Patribus Ieſuitis Philoſophiam, quæ ad naturam ſpectat, tum quæ ad mores, auſcultauit, emenſus harum ſcientiarum ſpatium mirâ celeritate & promptitudine.

Adultior parentum deſiderio ſatisfacturus in patriam redibat, vt matri graui & diuturno morbo laboranti pro ſua pietate adeſſet. Iamq́; in Lauretano ſacello humiliter ſacra Infantis Saluatoris noſtri & B. Virginis incunabula adorauerat: cùm vix è templo egreſſus, res mira! repentino tactus dolore collacrymans, ſuis domeſticis & quibuſdam è noſtris Canonicis itineris ſocijs dixit: jam mea genitrix ad cœleſtem patriam tranſijt: quam poſtmodum acceptis literis eâdem horâ expirâſſe certiſsimè intellexit. Ea vtriq́; erat, tum animi, tum ſanguinis dulcis armonia & nexus. Atq́; ſic mutato viæ inſtituto ad vrbem vetuſtiſſimam Peruſiam deflexit, vt Iuriſprupentiæ ſtudijs operam

ram impenderet. Hic igitur inter amœniora ſtudia, ſummâ vigilântiâ peritiſſimos illius Gymnaſij legum doctores ſectatus eſt. Quorum ex ſcholis, ex colloquijs, ex amicorum congreſsu quicquid ad Iuris cognitionem pertinebat, celerrimè in commentaria redigens, breui tempore legum notitiâ imbutus anno M. DC. XV. Lauream vtriuſq; Iuris magno applauſu reportauit. Patrios lares hiſce auctus honoribus reuiſens parentibus, fratribus, ac dulciſſimis ſororibus, amiciſq; aliquamdiu perfruebatur nunc Vicentiæ, nunc Pataui j in ædibus Patrui. Ne florentis ætatis vigor vrbis licentiâ corrumperetur, Patrui conſilio citò Romam reuiſit: vbi aliquandiu degens præcipuè Viris omnium virtutum genere clariſſimis innotuit.

Cùmq; animis conciliandis vis maxima ſit virtutis, hac Ioſephus, cui acceſsere amœni mores, loquendi ſuauitas, etiam amicitiæ fœdus cum Viris magnis ſuauiſſimum ſibi peperit. Hinc ſingulari amore Cardinalis Ludouiſius illum proſecutus eſt: pari propenſione in eundem fuere illuſtriſſimi Viri è Senatu Veneto, Curiâ Romanâ, cæteriſq; Italiæ ciuitatibus. Cùmq; conſilijs & rerum gerendarum dexteritate plurimùm polleret; Patronorum fauor ſummam ei rerum fortunam promittebat. Patrui deſiderio Patauium reuocatus, Archipreſbyteratum Cathedralis Patauinæ cum Prioratu S. Danielis Montiſilicis ab ipſo jam annis confecto obtinuit. Eam dignitatem ita ſplendidè & prudenter ſuſtinuit; vt communi omnium Canonicorum votis verè hujus Eccleſiæ delicium & decus cenſeretur. Atq; in primis mutuo affectu ipſum colebant Franciſcus

Abbas & Comes de Sanguineto, Albertinus Bariſonius Abbas, Quęrengus, Sanguinacius, Soncinus, quorum ſuaui conſortio per tot annos Cathedralem Eccleſiam omnium ordinum tranquillitate & pace conſeruabat. Vigilantiſſimus præcipuè occurrebat, vbi aliorum mens turbida venenum aliquando ſpargere conabatur: magnâ dexteritate leniebàt vulnera, animoſq; ad pacis vincula cœleſti potiùs quàm humanâ vi reducebat. Suaui quadam comitate & affabilitate omnes excipiebat, inuitabat timidos, ægros conſolabatur, nobiles obſequio ſplendido fouebat: ita ferè omnes ab eo læti diſceſsere, dum vel ſolo ejus vultu reficiebantur. Defunćto patruo in Marci Cornelij Epiſcopi Patauini palatium & tutelam tranſijt: tanto Antiſtiti ingeniorum acerrimo æſtimatori tam firmâ neceſſitudine conjunctus; vt apud eum diu, non quaſi cum Domino, ſed cum patre, imò ferè cum amantiſſimo fratre vixerit. Quantâ valebat apud ipſum fide, teſtatus eſt ampliſſimè Epiſcopus ipſe, qui præcipua ſuæ dignitatis onera in ejus humeros repoſuit. Admirabatur prudentiſsimus ſenex virum ferè adoleſcentem tam ſerio, tam doctè, tàm prudenter omnia peragere. Erat enim exactiſsimi judicij, & tractandis negotijs aptiſsimus. Nec vacuum ei reliquiſset affectum, niſi fata benignas optimi Præſulis cogitationes euertiſsent. Ad ſuperos abrepto Marco Cornelio ob ſingulares dotes pari amore eum proſecuti ſunt Epiſcopi Patauini, Petrus Valerius Cardinalis, Marcus Antonius Cornelius, & Lucas Stella Archiepiſcopus Cretenſis. Accedebat ad fauoris cumulum, quòd à Senatoribus Venetis

pluri-

plurimi æſtimaretur. Nec defuit nobilium Patauinorum perpetua familiaritas. Domum Archipreſbyteratûs eximiâ ſupellectili ornauit, Iconibus præſertim rarioribus, quorum ſtudio plurimum ſemper delectabatur: Marmoribus item antiquis, & viridario, architectonicæ, artiſq; pictoriæ non imperitus.

Continuata fratris vtriuſq; patris etiam, & ſuorum funera intra paucos annos ſummâ patientiâ tulit. Erat enim ejus mens firma in aduerſis & ſtabilis, probata animi conſtantia, ſumma vitæ adhuc innocentia: quam ſingulari Numinis cultu teſtabatur, quo ille præ cæteris refulſit. Poëticis quidem figmentis aliquantulum abripiebatur, ſacris tamen literis maximè incumbebat. Illis virtutibus ornatus, quæ Virum pium & ſacris myſterijs initiatum decent, ſic inter cæteros elucebat; vt abſolutiſſimum ſe virtutum exemplar omnibus imitandum præberet. Pietatis argumenta non obſcura ſunt *Hymni Sacri & Morales*: quibus vitam procul à mundi illecebris ſecretam & feliciorem appetendam docuit. Sacros Codices quotidie voluebat: eorum lectioni deditus, mathematicis etiam prædictionibus nonnihil tribuit. Ad hiſtoricum tandem ſtylum conuerſus, ſui temporis res geſtas etruſco ſermone ſummo ſtudio conſcripſit. Quam Hiſtoriam Deo auſpice ejus frater eruditiſſimus & nobiliſſimus Hieronymus Gualdus meis tandem precibus euulgabit.

Triennio ante obitum, ſpretis conuerſationis amœnitatibus, peculiari quodam impetu ad ruris ſolitudinem ferebatur, & ad ſui domûs penetralia: vbi ſolus extremũ diem

meditabatur. Iam paulatim conſortia amicorum declinabat, verborum parcus, ſacros libros, vel ſui ſeculi hiſtorias voluens, ſpreto veſtium & ſupellectilis apparatu ſolitudine plurimùm delectabatur. Me tamen veteri neceſsitudine conjunctum perlibenter & alacri vultu admittebat. In viridatio varijs arboribus conſito lætus deambulans, prehenſâ manu meâ ſæpius ingeminabat, Tomaſine, dies tranſeùnt, jam ſeneſcimus: nihil mihi cum hujus ſeculi & blandientis fortunæ dubijs caſibus: Tu verò adhuc viuidâ ætate & ingenio curſum tuum proſequere, & Eminentiſſimi Herois FRANCISCI BARBERINI patrocinio gaude. Ad ætatis terminum properanti in hoc ſolitudinis otio mihi Deo & amicis libet viuere. Multa de ſuis operibus, & laboribus miſcebat: omnia verò ad animi tranquillitatem ſpectabant. Nec longè aberat fati terminus. Nam ruri dum altâ pace perfruitur, anno M. DC. XL. lentâ febre correptus Patauium defertur: ingraueſcente morbo, ſeptimâ die à deſtillatione vehementiori interceptâ voce, fixo in Seruatoris Chriſti ſimulacrum intuitu, fuſis veræ pœnitentiæ lacrymis, ſeq; diuinæ miſericordiæ commendans, die XXIII. Octob. placidè expirauit. Ejus corpus Vicentiam tranſlatũ, in æde S. Bartholomei in Majorum monumento conditum. Pataui in ædibus Archipreſbyteri, quas varijs ędificijs exornauerat, gentilitijs Viri inſignibus ſubſcriptũ.

PAVLVS ET IOSEPHVS GVALDI, NOBILES, COMITES,
ET EQVITES VICENTINI, PRIORES S. DANIELIS,
MONTISILICIS, ARCHIPRESBITERI PATAVINI
PER ANNOS XLII.

Hie-

Hieronymus Gualdus antiquitatis ſtudioſiſſimus, qui ſuę gentis ſeriem ſtudioſè pertexuit, hæc fratris in ſuo Muſeo poſteris conſeruat.

Hiſtoriam, ab anno 1613. vſq; ad annum 1630. etruſco idiomate.

Volumen Carminum Macaronicorum.

Item *Aliud Etruſcorum.*

Item *Aliud Carminum Agreſtium ſub nomine Ceccone Scapuzzò*: quo Franciſcum Capoccium amicum ſuum familiarem deſignat.

Dialogo delle Delitie della Villa.

IOSEPHVS BALLVS.

Nobilis Panormita, Canonicus Templi Regalis Barienſis, Theologiæ doctor, & ſacerdos mirâ religione & ingenij præſtantiâ clarus, cùm iuuenis Philoſophiæ ſcholaſticæ & bonis literis impensè operam nauâſſet, in Hiſpaniam emigrans, ſacris literis animum adjecit: atq; ſubtiliſſimo ingenio vtriq; ſtudiorum generi aptiſſimus, in patriam reuerſus, poſtquam ſacris ſe addixiſſet, plura in rebus Theologicis ſecum meditabatur: quæ diutius cum Viris claris exagitata, tandem ſuadentibus amicis chartis vulganda mandauit. Ideoq; ætate etiam ingraueſcente, ſed vegetiori ſpiritu anno Salutis M. DC. XXXV. Pa-

tauium ſeceſsit, ingenti librorum ſcholaſticorum ſupellectile onuſtus, cum famula præterea, & vtenſilibus domeſticis in Collegio, quod Ieſuitarum erat, domicilium obtinuit. Hoc tempore ſtatim Libellum ſubtilem *de Fœcunditate Dei* Diuo Nicolao Patriæ ſuæ tutelari inſcriptum mirâ alacritate typis tradidit. Cui addidit alterum *de Motu corporum naturali*, quem D. Dionyſio Areopagitæ vouit. Vulgatis lucubrationibus ſuis aliquandiu Patauij moratus mihi ſummâ neceſsitudine ob ſuas egregias animi dotes cõjunctus, ingenioſâ literarum ſui nominis traductione PHOEBVS ALLISVS in teſſeram obſeruantiæ & amoris ſe alijs ex intimioribus amicis candidè adſcripſit. Mirabar Senis candidam fidem, & lætos mores, cum perſpicacitate eximiâ ſcholaſticos omnes fœcundâ memoriâ citantem. Lætus in patriam reuerſus, poſtquam aliquandiu altâ quiete vixiſset, cogitare cepit de alia Lucubratione circa Sanctiſsimæ Euchariſtiæ Sacramentum, quam triginta jam annos ſecum meditatus fuerat. Ejus ſententiam Bellarmino Cardinali ſæpe cõmunicauerat: cujus editionem ſuis adhuc votis ſupereſſe credidit. Arduum quidem videbatur hoc opus in publicum producere, attamen cùm difficultates omnes cum Romanis Theologis, cum Siculis pariter primi nominis euentilâſset, majori poſteritatis ſtudio, quàm valetudinis aut ætatis, anno M. DC. XL. denuo Patauium acceſsit, vt Commentaria ſua in lucem proferret. Hìc illę dum inſigni curâ ſummâq; curioſitate quotidie calchographos vrgeret, ecce vix Libellum cui titulus, *Reſolutio de modo euidenter poſsibili tranſubſtantiationis Panis & Vini*

in

in Sacroſanctum Domini Jeſu corpus & ſanguinem, bono euentu cum *Apologiâ* euulgauerat, accedente autumno, & domicilij incômoditate, quod in diuerſorio ad pontem Macelli ſibi abſq; famulo conduxerat, deſtillatione, plurimis tunc ferali, correptus, vnà cum febre vexatur: à qua cùm quotidie magis magiſq; aggrauaretur, ſalutis parùm ſecurus ſe Deo, & B. Virgini, nec non D. Nicolao commendans, teſtamentum condidit: quo Patres Theatinos librorum ſuorum heredes inſtituit. Ipſi verò ſummâ pietate illico ſenem morbo grauiter laborantem in meliorem domum transferre curant, eiq; die noctuq; omnibus modis optimi patres aſsiſtunt. Verùm deficientibus quibuſcunq; præſidijs die ſecundâ Nouembris ſuæ ætatis LXXII. reddidit Deo animam, quam per tot annos ei ſanctiſsimè dicauerat. Sepultus eſt in Templo Theatinorum, vbi viuens quotidie ferè ſacra peragere conſueuerat.

IACOBVS BVCCARDVS.

INter cl. Viros, quos rara generoſi Principis Cardinalis Franciſci Barberini munificentia in ipſius aula ad animi ſui oblectamentum & Romanæ curiæ ſplendorem alebat, Anno M. DC. XXXIX. quo Romam perluſtraui, non poſtremæ ſortis erat IACOBVS BVCCARDVS Pariſinus, vir paruæ ſtaturæ, ſed ingenij magni, literiſq; latinis & græcis

excul-

excultus. Acceſsit venuſta morum comitas, & in adjuuandis amicis promptitudo, quam Gabriele Naudæo parario cognoui. Vitium foret, qui me ſummis fauoribus cumulauit, eum hìc præterire: cui quidem ſi vitam longiorem fata dediſsent, inter præcipuos ille totius orbis Viros locum meruiſset. Vir facilis, non lubricâ adulatione nec pompâ detinebatur. Quod ſtudijs ſurripuit ſibi tempus, Herois obſequio in veſtibulis exigebat, introducendis familiaribus mirè ſolicitus. Aperto animo laborum ſuorum rationes omnibus patefecit. Maximam verò liberalis otij partem impendit varijs codicibus græcis è membranis in latinam linguam traducendis in gratiam Eminentiſs. Principis. Fortunam ejus cùm varijs prouentibus ſubleuâſset Cardinalis, eumq; non tantùm domeſtici titulo cohoneſtâſset, ſed plurimùm ejus conuerſatione delectatus; ipſum in defuncti Clerici Sacri Conſiſtorij locum ſuffecit. Cæterùm ab Oratore Gallo neſcio qua de cauſâ malè habitus, paucis poſt menſibus nimiæ ſolitudini deditus, nec bonâ ex more valetudine vſus, febre abripitur.

Panegyricum vulgauit in laudem Nicolai Fabritij de Peireſc, & *Orationes* publicè habitas gallico ſermone. Alia verò apud amicos latent.

SECVN-

SECVNDVS LANCELLOTTVS.

PEruſinus Oliuetanæ familiæ cœnobita, ſummi ingenij ac profundæ memoriæ, quem indefeſſi laboris ac immenſæ & variæ lectionis oſtendunt ejus lucubrationes in Italiâ editæ: atq; in primis fidem faciet ingens variumq; opus *de Re Nauticâ*, quod nunc ſub prælo feruet. Hoc vt feliciùs in publicum produceret Auctor, Lutetiam ſe contulit, vbi nationi Italicæ ſacris concionibus operam præſtitit: argutijs & ſale mirabiliter excultus: quod in opere vulgato nomine *L'Hoggidi*, ſicuti & in altero, quod inſcripſit *Li Farfalloni*, hiſtoriarum in primis cognitione oſtendit. Laboris autem infelix præmium tulit. *Nautici* enim Operis editioni dum feruentiùs incumbit, neſcio quo fato, immortalitatem quærens, mortalitatem adijt repentino ſanguinis fluxu die XIII. Ianuarij M.DC.XLIII. Viri de literis bene meriti caſum cecinit Gabriel Naudæus, ob eximias animi dotes proceribus purpuratis, maximeq; Eminentiſs. Maſſarino commendatiſſimus.

Hetruſco ſolitus, Gallis mirantibus, ore
Eloquij ſacras pandere diuitias,
Et lepidos doctus Libros componere, Noſtris
Deteriora quibus tempora Priſca facis.
Denique Romanus quæ doctior orbis habebat,
In loculos ſatagens verba referre nouos.

Obſcurâ, LANSLOTTE, jaces quærendus in vrnâ;
Te ſubitò poſtquam mors fera ſic rapuit.
Sed Latiæ mixtæque ſimul pia carmina Muſæ
Gallorum recitant, munera ad inferias.
Et tua venturis tranſmittet nomina ſeclis
Cultior ingenio facta Minerua tuo.

Manuſcripta ejus circumferuntur.

Acus Nautica, XXII. ingentibus voluminibus.
Liber item etruſcè, cui titulus Le Pittime.
Che Trajano Imperatore non foſſe Spagnuolo, ma da Todi.
Farfallone da eſſer' aggiunto à gli altri.
Del Griffone, arme della Città di Perugia, Diſcorſo.
Della ragione di Stato, ouero Politica de' Religioſi Libri II.
I. Sfogo di mente, in terza rima, intitolato Pianto ſopra i ſuoi Oliuetani.
II. Intitolato La Fortuna.
III. Intitolato La Crudeltà Fraterna.
La propria Vita da lui ſteſſo deſcritta.

ANGE-


ISOTA ANGELA
DE NOGAROLIS

ANGELA, ISOTA, GENEVRA, ET LAVRA NOGAROLAE.

ANgelæ & Iſotæ imagines non mediocri ſtudio à nobilibus de Nogarolis conquiſitas in lucem producimus, vt in conſpectu ſit mulierum in gente Italicâ dignitas, & familię hujus ſplendor, vrbiſq; Veronæ decus. GENTEM NOGAROLAM nobiliſſimam inter alias à Caroli Magni temporibus floruiſse plures arbitrati ſunt, longâq; ſerie Virorum armis & literis clariſſimorum exornatam: cui non minimum laudis accedit, quòd fœminas doctiſſimas ac præſtantiſſimas habuerit, ingenioq; admirandas.

ANGELA Antonio patre orta, ferente ejus genio non muliebribus exercitijs, ſed humaniorum literarum ſtudijs addicta, ingenium hiſce diſciplinis adeo excoluit; vt non ſolùm Grammaticam, Rhetoricam, ſed ſacras literas accuratè perceperit. Formâ ac vultûs majeſtate non minùs quàm animi ornatu cùm plurimorum thoro expeteretur; parentum conſilio Antonio Comiti ab Arco deſponſata, cum ipſo ſuauiter diuq; vixit. Domeſticis interea curis occupata, quamquam plurima chartis conſignaret; nihil tamen præter quaſdam *Eclogas & Centones poëticos* concinnâſse accepimus: etiamſi Capacius *Diuina* quoq; *Myſteria* diuerſo carminis genere explicuiſse affirmat.

ISO-

ISOTA patre Leonardo & matre Bianca Borromæa Patauinâ, Angelæ neptis, cum GENEVRA ſorore; ad æmulationem amitæ & Leonardi fratris, pari impetu ad bonas artes ac diſciplinas ferebatur: quibus vtraq; ſic orbi vniuerſo inclaruit; vt meritò Panuinius in Antiquitatibus Veronenſibus nuper editis hæc protulerit: *Nec mulieres Veronæ defuerunt doctrinæ eruditionisq́ nomine excellentes: quales fuere Iſota, Genebria, Angelaq́ Nogarolæ, Veronenſes, literarum latinarum bene peritæ: quod portento ſimile videri poteſt. Quarum Iſota virgo admirabili eruditione pollebat. Cujus tam in humanioribus literis, quàm in Philoſophiâ tanta peritia erat: vt & doctiſsimè & elegantiſsimè Epiſtolas multas ſcripſerit. Res dictu mira! vt tantus in virgine ſpiritus & tanta dicendi copia cum doctrina conjuncta eſset. Doctiſsima hæc Virgo præter elegantiſsimas latino ſermone Epiſtolas Pio II. Pontifici Maximo ſcriptas, cui Pontifex reſponſionem dignatus, ejus ingenium maximopere admiratus eſt; compoſuit Dialogum etiam in quo diſputat, qui prius, aut magis Adam, an Eua peccârit.* Iſota cælebs virgineos cultus exornauit latini ſermonis elegantiâ: quam luculentè produnt variæ ipſius *Epiſtolæ ac Orationes* ad Hermolaum Barbarum, Nicolaum V. & Pium II. Pontifices: quibus in Turcas piorum animos excitabat. Nec minori ea ſtudio Philoſophiam ſacraſq; literas hauſit: de quibus exactiſſimè diſſerebat. Inclinantis literaturæ græcę conſeruator ſuo æuo maximus Beſſarion jure patribus purpuratis aſcriptus, ejus famâ excitatus cùm Veronæ Virginem conſpexiſset, non humanam, ſed diuinam

prędi-

prędicâſſe fertur. Franciſcus Pola I.C. noſtrâ ætate celebris in Elogijs nondum editis prodit, *domum ejus aduentantibus quotidiè compleri ſolitam fuiſſe : qui innocentia & doctrina opinione percelebres, & omnis literariæ liberalioriſq; elegantiæ amantes ad diuinam hanc Heroinam audiendam domi, peregreq; veniebant, non inde vnquam niſi & peritiores & ſanctiores digreſsi. Diſſerebat illa me hercule admirabili quadam copiâ & facilitate de omnibus diſciplinis. Biblia omnia ad manus ita ei erant; vt nihil ex ijs repentè peteres, quod illa ſtatim memoriâ non redderet. Quæ ipſa carmina confecerat, eadem ſuauiſsimè recitabat, Præter Carmen Elegiacum de laudibus ruris ſui Cyanei; Quæſtionem reliquit editam, Vtrum grauiùs peccauerit Adam, an Eua.*

In Muſeo meo ſunt inedita.

Epiſtola ad Cardinalem Julianum ſcripta Veronæ IX. Cal. Aprilis M.CCCC.XXXIX.

Binæ ad Damianum Vigo.

Ternæ ad eundem, ſub cognomine Burgi.

Quibus accedit *Vna ad Euſebium Burgo adoleſcentem.*

Defuncta apud ſuos anno M.CCCC.LXVI. quieſcit in æde S. Mariæ Antiquæ, vbi vetus ſepulcrum ſpectatur hac inſcriptione.

COMITVM
DE NOGAROLIS SEPVLCRVM M.CC.X.

GENEVRA ſoror, ijſdem diſciplinis exculta, Brunoro Gambaræ Comiti Brixienſi in conjugium data, *Epiſtolas* ſummo ſtyli candore, ſententiarumq; pondere laudatiſsimas conſcripſit.

Soro-

Sororibus hiſce meritò acceſetur LAVRA, Nicolai Troni patricij Veneti vxor, ad æmulationem domeſticam religione, & pietate in egenos clariſſima. De ijs venuſtè Carolus Pintus.

GENEVRA Aglaja eſt LAVRA eſt bene cōpta Talia:
Virgineâ Euphroſyne eſt altera ISOTA comâ.

Nec minùs eleganter Thomas Bartholinus, Danus, amicus noſter.

Junxerat has patriæ ſplendor, generiſq; propago,
Et genij ſummas maſcula ſcripta Deas.
Dumq; tacent, illinc tacitum deuoluitur æuum,
Et noſtro ſurgunt, quæ rediere, ſolo.
HOLCKIA Danorũ ſydus, SCHVRMANNA Batauũ,
Sole peregrino compoſuere decus.

CASSANDRA FIDELIS.

FIDELIVM Familia, à fide nomen adepta, primùm Mediolani ortum agnouit: vbi inter cæteras illuſtres Vicecomitum partes ſecuta opibus viribuſq; præcipuè floruit. Sed depreſsâ Vicecomitum fortunâ, auctâque Turrianorum factione, Fideles Vrbe ſubmoti. Quorum alij Vicecomites cum ſuis familiaribus ſectati, in vicis Modoëtia, Sancto Columbano, & Vicomercato ſubſederunt: alij in vallibus Bergomenſibus ſe-

ceſ-


Ætatis An. XVI
CASSANDRA FIDELIS VENETA
LITERIS CLARISSIMA.

ceſſum quęſiuere: alij Mantuam perrexerunt: vbi, ijs veluti in portum receptis, FIDELIVM Domus aliquandiu ſubſtitit. Ceſſantibus tandem factionibus, alij Mediolanum redierunt: alij Venetias conceſſerunt. Vtrobiq; hæc familia creuit, viriſq; egregijs inclaruit. Ex hac etenim Venetijs, fœcundæ ingeniorum matri atque nutrici benignæ, Caſſandra Fidelis lucem debet, Angelo patre, optimo Viro, linguarum peritiâ claro, magnæ apud Viros Principes auctoritatis, Auo & Proauo eruditiſſimis. De cujus nomine illud minimè prætereundum, variare hìc ſcriptores. Etſi enim cum Sanſouino, Caſſandræ Fidelis ferè ęquali, Laurentius Herrichius Bononienſis, & Petrus Paulus Ribera, Angelum nominant; non defuerunt tamen, qui in gratiam Vicecomitum, quibus adhærebant Fideles, ipſum Ioannis nomen aſſumpſiſſe tradunt: quemadmodum ex Manuſcripto quodam *de Caſſandræ Fidelis origine, ingegenio, moribuſq;* pro ſuâ humanitate ſubmonuit cl. & erudítiſs. vir Franc. Bernardinus Ferrarius. Mater porrò ei fuiſſe perhibetur Barbara ex Leonia Venetorum familia: in cujus ſinu opificia puellaria didicit & exercuit. His acceſſit, ipſius Caſſandræ indicio, egregium par Virorum, Nicolaus Francus Antiſtes Taruiſinus, & Ioannes Fidelis Piloſophus ac Medicus, Caſſandræ auunculus. Fratrem habuit Matthæum: præterea ſorores etiam Chriſtinam, & Polyxenam: ex qua nata eſt Antonia, vxor Benedicti Leonij, quæ marito filium edidit Paulum: qui haſce Proauiæ Epiſtolas in vnum redactas V. Cl. Andreæ Frigerio, Magno Reipublicæ Venetæ Cancellario, deſtinauerat. Ludo-

nicum Nichetam Epiſt. 63. affinem nominat: de quo nihil hactenus nobis occurrit. Nepotes memorat Sanſouinus Vincentium Fidelem, Senatui Veneto à ſecretis, & Matthæum I.C. cauſſarumque Patronũ eâ ętate celebrem.

Quis verò dies ei fuerit natalis, nondum certò liquet. Conjectutis tamen non infirmis circa Annũ Milleſimum Quadringenteſimum Sexageſimum quintum natam credimus. Mariti enim obitum querelis proſequitur Epiſtol. ad Sum. Pont. Leonem X. Anno M. D. xxi. quam ſiquidẽ omnium poſtremam inuenimus. Ea procul dubio graui jam ætate & ipſâ auxilij indigâ ſcripta fuit: cùm haud veriſimile, fœminam Cl. ſi per annos licuiſset, cæptum, vt fatetur ipſa, naturę ductu ſolenne ſcribendi commercium penitus intermiſiſse. Nec ab hac opinione facilè receſsérim, niſi aliter edoctus. Quandoquidem hiſtoriæ & antiquitatis notitiâ Cl. D. Franc. Bernardinus Ferrarius à nobis haud multum ſe diſtare, è monumentis vetuſtis nuper perſcripſit. Ingenium mox à felici ſiderum poſitu portentoſum nacta, & nutrita Muſarum lacte, inter Charites noua veluti Minerua enituit. Enimuerò animo tam eximio ſedes data fuit ſpecies corporis, eo hoſpite digna. Apta ei erat & concinna ſingulorum membrorum diſpoſitio ac figura, quam maximè coloris venuſtas decorabat. Ianitores animi emicabant ocelli, igneâ viſûs acie ſplendentes, quibus veluti Apollinis filia in Cœlum diuinarum cõtemplationũ, mirâque diſcendi cupiditate ad ſublimia ferebatur. Animi candorem indicabat veſtis niuea: modeſtiam tænia ex ſindone collum molliter ambiens. Adeò

ijs

ijs temporibus nõdum Virginibus in vſum venerant monilia auro & gemmis diſtincta. Effigies ſingula non obſcurè inſinuat, quæ ipſâ decimumſextum annum agente Iani Bellini manu prodijt.

Hanc Caſsandræ indolem ſupra ætatem ac ſexum admiratus Pater, eam diligenti ſtudio erudiendam curauit. Ipſa verò poſt prima literarum rudimẽta Latinam & Græcam linguam ſic excoluit; vt in ijs capeſsendis præcipuè parentum deſiderijs obtemperandum putaret, qui inſignem in ipſa ingenij præſtantiam mirabantur. Atque inter domeſticos labores prima his cura fuit, vt perpetuis magiſtri colloquijs in bonas literas animus ipſi erigeretur: quibus tantûm profecit; vt vix duodecimum egreſsa annum Latinè ſciret. Inde factum, vt diſserendi, ac dicendi facultatem breui fuerit aſsecuta. quibus ſtudijs faciliori negotio in naturæ arcana penetrauit, adeoq; vaſtum Philoſophiæ pelagus enauigauit: etiamſi ea nonnumquam ingenium præ modeſtia incuſat aliàs feliciſſimum. Præceptorem in hoc literarum genere habuit D. Gaſparinum S. Theologiæ Magiſtrum, virum eâ ætate eximium. Ad Eloquentiam itaque redijt, quam non ſine aliqua ſermonis affectatione vnicè excoluit, eâ diuerſitate; vt nunc plenis velis ſe diffundat, nunc tenui ſinu arctet, maximè tamen in laxum dicendi genus propenſa, præcipuè vbi in aliorum laudes effertur: ſermonis etiam floſculos non ſine affectatione, vocumque licentiâ ſubtiliter & argutè conſectans, quos in illud æuum feliciter inuexit Angelus Politianus, Charitum & Suadæ corculum, Caſsandræ amiciſſimus, & alij Cl. Viri.

Hanc Hiſtoriæ & Antiquitatum notitiâ exornâſse, oſtendunt ſcripta ejus variâ eruditione referta. Succeſſit huic ſtudio is ingenij & eloquij profectus, vt poſt domeſticas coram agnatis & amicis declamationes, inſigni gratiâ, vultûs moderatione, dicendi lepôre, verborum delectu, ſcitiſſimè omnes oratoris partes in publico expleuerit, eâ ingenij laude, vt aſtantium voces & applauſum vnanimem reportârit.

Philoſophiam igitur haud leuiter aut perfunctoriè cum eloquentiâ coniunxit, ſed ſummâ diligentiâ magnorumque Virorum ejus ætatis magiſterio. Hiſce autem ita profecit, vt miram earum dulcedinem ſeſe in omni vita percepiſse paſſim ad Amicos teſtetur. Animum etiam ſerijs intentum muſicâ non raro demulcebat, quoties id otium literarium patiebatur. Nec alijs tantùm canentibus ad animi ſolatia libenter aurem præbebat, vt feruentiori affectu in ſtudia raperetur; ſed, quod de ipſa inter exempla Illuſtrium Virorum memorat Io: Baptiſta Egnatius, citharam ſummâ omnium delectatione tangere frequenter audita eſt, eâ ingenij præcellentiâ; vt blandâ voce verſus etiam extemplo numeroſos adderet. Haſce ingenij dotes mirè exornabant mores niuei, aperti, & cum modeſtia ſuaues, ac interdum feſtiui. Inde celebri Virginis famâ moti aduenæ, ſummique Viri ad parentis Angeli domum properabant. Quorum omnium expectationi ita ſatisfactum fuit, vt ea ſui ſeculi monſtrum, ingenij miraculum audiuerit. Illa tamen hiſce laudibus, quarum ſatis videtur fuiſse auida, nihil inflata, cæptum ſtudiorum curſum.

ſum continuans, inter ſuos libellos Muſeolo, vel (vt ejûs vtar verbis) Gymnaſiolo contenta, ſemper aliquid meditando ac ſcribendo cœleſtem propemodum vitam inter mortales agebat. Non igitur mirandum, ſi doctiſſimus Politianus Caſſandræ potiſsimùm videndæ cauſâ Venetias profectus fuerit: quem illa eleganti habitu & politiſſimis verbis humaniter excepit. Maximam verò temporis partem amicis, ſummiſque Viris impendiſſe oſtendunt frequentes ipſius Epiſtolæ: etiamſi minima pars earum ad nos peruenerit. Nonnunquam etiam Muſis non inuitis in Pindum Virginem noſtram ſeceſſiſse, ſatis patet ex Epiſtola 42. qua amico Carmina promittit. Illuſtrium quoque Virorum Encomia meditatam fuiſse, ex Epiſtola Ioannis Bentiuoli Anno M. CCCC. LXXXVII. ad Caſſandram miſſa, notum eſt.

Nec ſolùm Eruditis Viris, ſed Principibus ac Regibus ita fuit grata; vt frequenter ad eos ſcriberet, ijſque de rebus feliciter geſtis gratularetur, atq; ad majorum exempla ipſos incitaret, eorumque virtutes extolleret. In his præcipui occurunt Leo X. Pontifex Maximus, eo ſeculo aureo literatorum Mecœnas munificentiſsimus, Ludouicus Galliæ Rex; & præter hos Ferdinandus Hiſpaniarum Rex. Nec minùs ea innotuit Reginæ Vngariæ, Eleonoræ de Aragonia Duciſsę Ferrariæ, Beatrici Ludouici Sfortiæ conjugi. Reginæ verò Aragonum Iſabellæ, vxori Regis Ferdinandi adeo placuit; vt ipſam variæ fortunæ blandimentis Anno M. CCCC. LXXXVIII. Neapolim ad ſe euocauerit.

Nec multum aberat quin obtemperâſset, niſi parentum amor impediuiſset, licèt Nicolaus Francus, Antiſtes Taruiſinus, ejus auunculus & Sum. Pontificis in Hiſpania Legatus, eam hortatus fuiſset. Attamen Anno M. CCCC. XCII. ſententiam mutâſse ex Epiſt. ejus xl. videtur. Acceſſit Auguſtini Barbadici Venetorum Ducis auctoritas, qui publico Decreto tam ſingulare Patriæ ornamentum aliò traduci vetuit.

Proſequebatur ſummo amore eandem inter alios magnates, Ludouicus Sfortia Dux Mediolani, quam Sereniſs. Senatui Veneto per Oratorem Thadæum commendauit. Itemque Gaſpar & Petrus de Aragonia Principes, Io. Bentiuoleus Vicecomes de Aragonia, Accurtius Maynerius I.C. & Orator Regis Chriſtianiſſimi, Paulus Fiſcar Comes de Agello. Nec in poſtremis habendi, Maurus Dux Barri & Abbas de Ceruato ex Hiſpania, qui hoc titulo ad eam ſcribens vſus eſt: *Tui nominis & Amator & Preco Abbas &c.* Ferebatur etiam in oculis inter alios à Magnis Viris Sigiſmundo & Franciſco Gonzaga, à Magiſtro Militiæ S. Io: Hieroſolymitani Petro Buſonio.

Alijs quàm fuerit grata, manifeſtius eſt, quàm vt hìc repetam. Equidem ad noſtram memoriam peruenit, ipſam amicitiæ jus coluiſse cum Leonico Thomæo in Gymnaſio Patauino Græcę linguæ Profeſſore, cui de dono Philoſophico gratias egit Epiſtola 111. Cum Calphurnio pariter, quem *Eloquentiæ lumen* appellat, cum Hieronymo, & Andrea Câmpagnola, Arnulpho Aſculano, Philomuſo Piſaurenſi claro Poëta, cujus eruditionem deprædicat, cum Hie-

Hieronymo Bentacordo Veronenſi , & Hieronymo Brojanico, cum Bernardo Pino , & Michaële Angelo Florentino . Fuit & Caſsandra noſtra neceſſitudine conjuncta Cl. Viris Georgio Vallæ, Benedicto Miſsolo, Pagano I.C. & Equiti , Sum. Pont. domeſtico , Galeoto Martio Narnienſi Militi & Philoſopho, itemque Gaſpari Sanſeuerino Concionatori celeberrimo , Bartholomæo Scalæ Florentino , bonarum literarum Profeſsori , & Alexandræ Scalæ ejus filiæ: quæ literis humanioribus inſtructa Marullo doctiſſimo Viro vxor contigit . Bonifacio item Bembo Brixienſi, quem *virtutum decus* appellat . Eam cùm Ambroſio Miches Dalmatino ſummopere quoque coluerũt Poetæ Cl. Io: Aurelius Augurellus, Pamphilus Saxus , Lepidus Pierius de Antiquis, Io: Antonius Zabarinus, & Io: Baptiſta Schyta , Ludouicus Scledæus Vicentinus Philoſophorum & Medicorum Patauini Gymnaſij eo ipſo anno Rector, quo Caſsandra publicè diſputauerat & orauerat: itemq; Angelus Tancredus, Franciſcus Niger Venetus, Franciſcus Marinus Eſtenſis Collegij Artiſtarum & Medicorũ Prior, literis & prolixis carminibus ipſam , non ſecus ac Aurelius Bienatus Epiſcopus Martorai, concelebrãrunt. Mirùm enim quàm ex Oratione celebri habita Patauij Caſsandra toti literato Orbi inclaruerit. Quod mihi in Gymnaſij noſtri initia & progreſsus ſedulò inquirenti poſteris minimè occultandum erat .

Sereniſs. Venetiarum Duces , Senatores , Oratores , ei ſummopere fauentes, aliosq; ferè innumeros prætermitto, quibus cum amicitiæ fœdere, dum valuit , ſcribendi commer-

mer-

mercium diligenter continuauit. Verùm neque inter priuatos limites coarctari voluit animus magna ſpirans, vt nō etiam in lucem publicam ſuum proferret ingenium. Seruatoris nempe Natiuitatem fidelibus ſalutarem coram Principe Veneto Populoque vniuerſo diſerta Oratione celebrauit. Alteram Orationem habuit de *Literarum laudibus* coram Sereniſſimo Auguſtino Barbadico Duce, cui tunc aderant Legati Bergomenſes: qui poſtea eam non modò Venetijs inuiſebant, verùm literis officioſiſſimis etiam Bergomo vlteriùs affectum declarârunt. Sed & Anno reparatæ Salutis M. CCCC. LXXXVII. in Gymnaſio Patauino pro Bertuccio Lamberto ſuo conſanguineo Canonico Concordienſi liberalium Artium inſignia ſuſcipiente, ex more tunc recepto, magno cōſeſſu orauit. Quam Orationem *Diuæ Caſſandræ Fidelis Virginis Venetæ* inſcriptione typis tunc editam, hodie legimus. Quantum verò philoſophicis diſſertationibus valuerit, ipſa prodidit Epiſt. 99. Atq; hinc natā credimus famā, quòd ea è publico ſuggeſtu Patauij docuerit. Cujus rei nulla eſt certa, quæ id ſuadeat, memoria. Neq; volo id ei tribuere, quod ſexus negauit: quidquid magnæ auctoritatis Viri Sanſouinus & alij de hac re prodiderint. Vt meritò admirari liceat in eam opinionem veniſse nonnullos, *quòd Veneti Patres Cathedram ei in Patauino Gymnaſio demandârint; eamque per plures annos obtinuiſſe, auditamque fuiſſe cum ſilentio interdum; interdum cum fauſtis acclamantibus, magno ſemper ſtudioſæ juuentutis & Collegarum Academicorum concurſu.* Quamquam non ignorem ex Italis Mulieribus publicè

blicè auditam in Germaniâ Fuluiam Olympiam; Bononiæ Gozzadinam: cujus effigiem in ſuo Muſeo ſeruat nobiliſſimus Eques à Puteo, omnis elegantiæ & eruditionis cultor eximius. Sed nec Caſsandræ maturior ætas eloquentiæ vigorem minuit, qua Matronis nobilibus in Bucentauro juncta Bonam Sfortiam Sarmatorum Reginam, Venetias appellentem, eleganter excepit. Reginæ autem tantopere placuit; vt torquem aureum cuidam ex ſuis Virginibus ademptum, eximio beneuolentiæ argumento Caſsandræ injecerit. Ipſa verò, vt in Commentarios retulerat Balthaſsar Leonius, poſtero die Duci Franciſco Venerio & Senatui munus illud obtulit, Imperij ſublimitati conuenientius, quàm ſibi, cui in omni vita aurum vile fuerat.

Hac ingenij famâ cùm inclaruiſset Virgo lectiſſima, varij non infimi nominis Viri ejus matrimonium affectabant. In quorum numero præ cæteris patri ejus placuit Io: Maria Mapellius Vicentinus, eruditione & medendi ſcientiâ clarus, cui filiam vnicè ſibi charam dignè locaret. Ipſa verò literarum amore quamuis vitæ ſolitariæ addictior videretur, pro ſua tamen pietate à parentis conſilio diſcedere noluit, vt grauiori ipſius ætati, ſimulque rei familiari conſuleret. Huic igitur conjugio ſociata variam quidem experta fuit fortunam, ſed eam magnâ animi conſtantiâ ſuperauit. Venetijs maritum ſecuta in Cretam Inſulam ad Rhetymna (hodie Rhetimum) nauigauit: quò ille publico honorario medendi cauſâ accerſebatur. Vidit ibi Caſsandra quicquid ob raritatem memoriâ dignum erat. Veterum monumenta diligenter luſtrauit, nec quicquam

intermiſit, quod ingenium oblectare poſset: reliquum vitæ cum conjuge magna ex parte eruditis colloquijs tranſigebat. Hic vbi aliquandiu moram tranſegiſsent, Venetias dum reditum parant, eo in itinere aduerſam maris fortunam experti, & cũ inſigni rei familiaris detrimento variè iactati, multa paſſi ſunt. Dei tamen benignitate patriæ tandem reſtitutus cum vxore Mapellius in Vrbe Veneta artem Medicam ſummã cum laude exercuit. Interea Caſſandra in eruditionis ſtadio, & amicis colendis ſuo more pergebat. Verùm, quæ ſortis humanæ inconſtantia, Mapellius poſtquam paucos annos cum vxore feliciter, integrè, & ſine querela, quamuis ſine prolis felicitate, exegiſſet florentibus annis febre correptus magno omnium, inprimis verò Caſsandræ, dolore humanis rebus exceſſit. Cujus fatum infelix con jux non modò lacrymis lõgo tempore proſequebatur, ſed cineribus deſiderati conjugis etiã perpetuo cælibatu affectum teſtari voluit. Calendis Maij Anni reparatæ Salutis M. D. XXI. id cõtigiſſe ſignificat Epiſtolâ ad Leonem X. Sum. Pontif. conſcriptâ: qua in illa fortunæ acerbitate ſubſidium implorat à ſummo literarum Mecœnate. Atque hanc conjugis orbitatem contra aduerſæ ſortis inſultus magnâ conſtantiâ ſupra ſexum ſuſtinuit.

Qua verò animi moderatione porrò vitam duxerit, integræ narrationi vix longa hiſtoria ſufficeret. Satis ſit ea perſtringere, quæ fidis teſtibus ac monumentis in ea temporis diſtantia ad nos peruenerunt. Conſtat enim magnâ animi integritate, præclaro virtutum & diſciplinarum

ſplen-

ſplendore eam ita feliciter vixiſse; vt omne viuendi inſtitutum non modò eſset ſanctimoniæ plenum, ſed nominis quoque ſui celebritatem augeret. Annos jam ferè LVI. attigiſſe videtur, quando maritum amiſit. Reliquos præcipuè priuatâ veterum Philoſophorum, ac in primis Hiſtoriarum lectione conſumpſit: cùm ea ætas non abundaret librorum copiâ, qua nunc ſæpe bona ingenia onerantur, ne dicam ferè obruuntur. Recentiores tamen non neglexit, eos potiſſimùm, qui animum ciuili prudentiâ, & morum exemplis ad virtutem excitabant. Græcarum etiam literarum non planè nullum in ipſius Epiſtolis indicium occurrit. Poſt hæc, vigente adhuc animo in corpore ſenili, mutuis officijs continuò occupatam aliquid poſteritati reliquiſse, dubium eſt, præter libellum de *Scientiarum Ordine*, cujus crebra in Epiſtolis mentio. Dolendum verò, extremum illud judicij jam conſummati monumentum fortunam poſteritati inuidiſse. Iam enim octoginta annis penè ſuperatis illum typographo commiſerat: cujus procraſtinatione Caſsandræ, ad vrgendas operas præ ætate, minùs aptæ, conſilium fuit impeditum. Orationes alias habuiſse non negauerim quidem, cùm tot annos vixerit; nolo tamen ei temerè quicquam tribuere, quod è bonæ fidei ſcriptoribus, aut ex ipſiuſmet Epiſtolis non percepi. Credibile potiùs eſt, extremos annos partim pietatis ſtudio, partim amicis & aduenis ad eam conuolantibus ferè tribuiſse. Certum eſt enim, non minùs ad eam inuiſendam, quàm ad Liuium noſtrum Patauinum olim, ab vltimis Orbis partibus confluiſse plurimos, qui ſui ſeculi

ornamentum, ſexûs miraculum, & ingenij monſtrum deprędicabant. Imò quidam, vt Epiſt. 102. liquet, ſe felices exiſtimabāt, quòd Caſſandrę ſeculo orti eſsent. Ipſa verò omnes ac ſingulos humanitate, & alacritate ingenio ſuo dignâ, excipiebat. Anno ſuæ ætatis nonageſimo Sacrarum Virginum Xenodochio S. Dominici Venetijs à Majoribus pręficitur, vt ſuâ prudentiâ loco tam pio præeſset. quod quidem per Annos XII. rectè peregiſse, ex monumentis publicis accepimus, & ex Franciſco Sanſouino illius ætati proximo, Lib. 1. de Rebus Venetis.

Debitæ tandem pietatis memoriâ ſecum perpendens, jam inſtare fatalem omnibus emigrandi neceſſitatem, cùm ſe fortiter longis meditationibus ad eam muniuiſset, centeſimum annum ſuperans, deficientibus ſenſim corpuſculi viribus, mente integrâ, quod debuit naturæ exſoluit. Funus ad S. Dominici celebri pompâ elatum: feretrum, conſuetudine Doctoribus receptâ, vndequaque aſſidui vitę comites Libri adornabant: ſacrum caput cingebat Laurus, æternum Virtutis ſymbolum. Quam mirata non ſine lacrymis vniuerſa ciuitas ad exequias confluxit. Monumētum hìc ipſi erectum fuiſse nouimus, ſed cujus poſt refectam Aedis ſtructuram nullum hodie veſtigium exſtat. Ejus tamen celebritati nihil detraxit hæc jactura, quam ſuppleuit diligens poſteritatis pietas: cui viuam effigiem, cùm annum ageret decimumſextum, artificioſâ celeberrimi pictoris Ioannis Bellini manu ductam, præter hæc pauca ipſius ingenij monumenta, grati debemus. Eam domi ſuæ ſeruabat Andreas Frigerius, quondam Venetorū Magnus

Can-

Cancellarius: ex qua aliam marmore ſculptam habuere Leo & Paulus Leonij fratres, Caſſandræ ex matre pronepotes. Ad quos prototypus poſt eorum obitum peruenerit, hactenus ſcire non licuit. Georgio Rhaguſeo Philoſopho eximio communicatum fuit illud exemplum, quod nunc ex meo Muſeo hic conſpicitur. Aliam cæteris diligentiorem Venetijs inuiſo curiæ incendio Anno M. D. LXXIV. XX. Decemb. cum effigie Reginæ Cypri Catharinæ, & Biancæ Magni Ducis Florentiæ vxoris abſumptam nouimus. Vidimus etiam extremæ ſenectutis effigiem, anno centeſimo adſcripto, apud Cl. Raguſeum: qui à Caſſandræ pronepotibus habuit quicquid ejus reliquum erat. Is verò cùm inteſtatus diſceſſiſset, ſupellectili ſub haſtâ diuenditâ, ſcripta, quæ *P*aulus Leonius Caſſandræ pronepos typis parauerat, partim ad manus D. Euangeliſtæ Zagaliæ Patauini vnà cū duabus Iconibus peruenerunt, partim ad Ioan. Baptiſtam Fichettum Cameræ Ducalis Cancellarium, antiquæ fidei & probitatis Virum, mihi amiciſſimum tranſierunt: quorum vterque mihi ſchedas perhumaniter communicauit. Alterum Codicem Epiſtolarum *C*aſſandræ amicè donauit D. Alexander de Eſte, Patauinus, Hiſtoriæ patriæ ſtudioſiſſimus. Inde, quæ aliàs fluxa & parum firma videbatur futura tantæ virtutis memoria, vt ab ingenio & literarum cultu firmior euaderet, noſtra in primis cura fuit. Quæ verò ad nos peruenerunt Caſſandræ monumenta, errorum plena à librarij incuriâ, quâ licuit integritate, non ita pridem vulgauimus hoc præconio.

CASSANDRAM FIDELEM VENETAM,
inter celebriores ſuæ tempeſtatis Viros
clari nominis Virginem,
Nec minoris Doctrinæ quàm Facundiæ:
Cujus Eloquentiam cum admirabili
rerum peritia conjunctam
SERENISS. AVGVSTINVS BARBADICVS,
Venetæ Reip. Princeps,
Patres conſcripti, Ciues optimi, Genteſq; exteræ,
in publicis concionibus admirati ſunt:
Cujus ingenij acumen
vniuerſa penè Italia & Aduenæ
in Lyceo Patauino ſuſpexere:
Imperante
SERENISS. FRANCISCO ERICCIO,
Inclyto Optimoq; Duce,
Priſcæ probitatis exemplo,
AVGVSTO VRBIS GENIO,
Reſtituit
IAC. PHILIPPVS TOMASINVS,
Collegij Patauini Sacræ Theologiæ Doctor,
Congregationis S. Georgij in Alga
Canonicus Secularis,
Anno
M. DC. XXXVI.

LAV-



LAVRA CERETA BRIXIENSIS, LITERIS ORNATISSIMA.

LAVRA CERETA.

CERETAE familiæ appellationem dedit Ceretum antiquum agri Bergomenſis oppidum: cujus incola Oprandinus, numeroſâ progenie nomen dilatans, pronepotem habuit Baptiſtam, quem Medicæ artis famâ Brixiæ, cum obſidione vrbs premeretur, anno M.CCCC.XXX. ad annum prope M.CCCC.LXV. claruiſse accepimus. Filium is reliquit Silueſtrum, publicis muneribus conſpicuum: qui ex Veronica de Leno, antiquiſſimæ familiæ ſplendore clarâ conjuge, anno M.CCCC.LXIX. cùm primam ſuſcepiſset filiam, Lauræ nomen ei impoſuit, in memoriam Lauri, quæ in horto domeſtico jamdudum antea hibernis injurijs exaruerat. Filios prætereà habuit ille, Baſilium, Danielem, ac Hippolytum, binaſq; Filias, Deodatam, & Dianam. Lauræ ſpeciem admodum venuſtam ex vultu artificioſi operis aliquando conſpexit Octauius Rubeus, patriæ hiſtoriæ ſcriptor clariſs: ex qua deſumptum exemplum, quod hìc damus. Sed prototypi nullum hodie apud Brixienſes veſtigium. Quod enim olim videbatur Lauræ nomine inſignitum, elegantiâ ſuâ multis ſuſpicionem injecit Lauræ, quam Petrarchæ Muſa celebrauit: quo nomine in Sabaudiam nõ exiguo precio tranſportatum fuit. Infans lumbricos paſsa, puella variolas: valetudinem poſtea integram habuit. Pietatem cum primis literarum initijs domi apud Parentes imbibit. Septimum poſtquam attigiſset annum ſacris Virginibus

ginibus informanda traditur. Hic illa jam literis incumbere, jam acu pingere, mirandâ profectûs celeritate. Biennium poſtquam hîc exegiſset, domum reuocata, cùm rara edidiſset animi documenta, pater grammaticis cæteriſq; literis mitioribus erudiendam curat. Ingenio cùm eſset verſatili ac prompto, ſtudijs maturè domeſticarum rerum adminiſtrationem jungendam cenſuit idem. Paruit illa, ſed nunquam literarum immemor. Et quidem jactis probè Græci ſermonis fundamentis ſeueriores diſciplinas maturè ſerióq; adijt: nec vllam humanæ ſapientiæ partem intactam reliquit, eloquentiæ in primis Romanæ dedita. Morum doctrinam & Ciuilem prudentiam ſuo genio aptam excoluit. Nec rerum naturalium contemplationem, etiam ſtirpium omiſit, maximèq; cœleſtium, quæ peculiariter ſibi Mathematum appellationem vindicârunt, contenta ad vberiorem hiſtoriæ notitiam.

Ex charta pictos addiſcere mundos.

Sacrarum quoq; literarum notitiam auidè hauſit. De Patris ſententiâ & arbitrio omnia: cui Prætoriâ & Præfecturæ dignitate aucto ſemper adhæſit. Sed, quæ ipſius prudentia erat, Petro Serinæ, ciui ſuo probo & docto, Lauram conjugem locat. At nimium breuis humanæ felicitatis vſura. Vix enim octo & decem menſes cum marito exegit, cùm ipſe diræ febris fatali neceſſitate ſine prole in meliorem vitam auocatur. Doloris acerbitatem vt leniret, non repetitis nuptijs totam ſeſe literis dicauit. Diſputationum Theologicarum pertæſa, relictis etiam Mathematicorum ſpinis, eam potiſſimùm ſequebatur Sapientiam, qua

mortales cenſentur meliores euadere. Crebri de hac ad amicos ipſi ſermones habebantur. Nec fermè aliud jactant eruditæ ejus Epiſtolæ: quas fortuna meritiſſimo ipſius nomini ſuperſtites voluit. Bone Deus, quàm hìc omnia ſupra ſexum animum planè virilem ſpirant! licèt interdum ſermo ejus æui licentiam & paulò affectatiores dictionis floſculos trahat. Quam hìc omnia ſententiarum globulis nitent! Quod non vbiq; dicendi artificium elucet! Quæ non animi ſublimitas! Vnam cogita Epicuri doctrinam de Virtute Amicis præferenda, de Voluptate ejuſdem explicationem, Germanæ militiæ defenſionem adde; quàm ingenioſa, quàm arguta omnia! Quid mirum? Ingenij facilitatem juuit ingens literarum gloriæq; ſtudium, atq; alienæ virtutis æmulatio: quàm præcipuè in Laurâ, Petrarchæ idolo, ſpectabat: cujus æternitatem ſe intimiùs affectâſſe liberè profitetur, ſed intra modeſtiam: cujus nunquam non memor vixit. Nec ſine exemplo ſui ſexûs ejuſmodi animi cultum captâſſe oſtendit claris earum titulis, quę ipſi literarum celebritate præluxerunt. Acceſſit firma corporis valetudo: cujus adjumento indoles illa quotidie vires agebat. Maximas animi dotes in primis ornabant candor niueus, ſumma pietas, ingenij libertas, non ſine vehementię nota in aduerſarios. Nec ſanè injuſta ei fuit indignandi cauſa: cùm increbreſcente literarum famâ ſe multis præter meritum inuiſam cognoſceret. Suos tamen habuit patronos & familiares, quibuſcum frequenti literarum commercio cõtractam neceſſitudinem arctè coluit: Aſcanium ſcilicet Mariam Vicecomitem Sfortiam, inter Patres purpuratos

non

non exiguæ auctoritatis, Franciſcum Fontanam Oratorem Regium: è Cl. Viris Bonifacium Bembum, Angelum Capellum, Cōſtantium Bonum: inter ſacrarum literarum doctores Thomam Mediolanenſem præceptorem, Thomam Florentinum,& Fr. Ludouicum de Turre, *Prædicatores* venerabatur: Iuriſconſultos etiam Sigiſmundum de Buccis, Io. Dominicum Patriſium, Franciſcum Prandonū, Albertum de Albertis; ex Medicorum præterea choro Michaëlem Bacium, & Raymundum Fortunatum: Clementem Longulum, Ludouicum Cendratam, Io. Oliuerium, Grammaticos, cæteroſq; quorum nomina Epiſtolis præſcripta ſunt. Atq; his perſcribendis à Mariti funere doloris acerbitatem perliniebat, ſi quid ei ab alijs grauioribus ſtudijs otij ſuppetebat: quibus non mediocriter fuiſſe tinctam illæmet ipſæ vbertim oſtendunt omnis ſcientiæ ac eruditionis plenæ. Nec dubium, quin veram rectè viuendi rationem, cui maximam laboris partem impendiſse credimus, magnâ famæ acceſſione reliquiſset (quandoquidem non obſcuram Operis cujuſdam ſpem facit) niſi temporum turbulentiâ intercidiſset cum tabulario domeſtico, ex quo ſuam originem ipſa decerpſit. Indefeſſi namq; laboris ingenijq; excitati largiſſimos voce calamoq; edidiſse fructus veriſimile eſt, Octauum quippe annum vix emenſa ſupra decimum Theoremata Philoſophica publicæ diſputationi magnâ ſubtilitate expoſuit. Oratione funebri, ad inuidiam eleganti, non parum ſibi laudis peperit. Nec ipſi ſatis erat commentarijs variam eruditionem recondere, niſi & Ciuibus poſt annum ætatis vigeſimum è ſuggeſtu

eam ſeptennium integrum tradidiſset. Trigeſimum annum non exceſſit lectiſſima ſui ſeculi fœmina. De cujus Epiſtolis Plinianum illud de Pompeij Saturnini vxore prolatum licebit vſurpare, *Plautum vel Terentium metro ſolutum legi*. O ter beatam animulam, quæ ſic inter mortales ingenij famâ perennas, vt cœlitibus juncta poſt varias ingenij exercitationes æternâ pace perfruaris. Mortales exuuiæ meritiſſimâ pompæ ſolennitate apud Majores repoſitæ in S. Dominici Templo. Cujus variatâ ſubſtructione tumulus hodie ignoratur.

HYPSICRATEA A MONTE RHODIGINA.

FOemineum ſexum non parùm quoq; illuſtrauit HYPSICRATEA à MONTE, ſpectatę formę Virgo, Cœlij Rhodigini, vt Andreas Nicolius patriæ hiſtoriæ ſcriptor tradit, proneptis: quæ magni auunculi exemplo adeo in bonis literis inualuit, vt meritò gratæ poſteritati ejus hoc loco miranda reliquatur virtus. Cui panegyrin ſcripſit vir diſertiſſimus Dionyſius Ferrarius, & in Viridario Polyhiſtore Aloyſius Contarenus meritas laudes reddidit. Ioannis à Monte patris curâ maturè humanioribus literis, mox dicendi arte imbuta, ſolerti ac perſpicaci cùm eſset ingenio, tam ligatâ quàm ſolutâ oratione

etruſco



HYPSICRATEA A MONTE RHODIGINA, VIRGO ERVDITISS.^A.

etruſco & latino idiomate eminuit. Cultiſſimas inſuper orationes mirâ promptitudine è publico ſuggeſtu coram amplisſimis viris non in patriâ ſolùm, ſed Venetijs ac Patauij magnâ cum admiratione recitauit. Miraculi hujus literarij hiſtoriam pro noſtrâ neceſſitudine ad me humaniſsimè tranſmiſsam à cl. Balthaſare Bonifacio, Archidiacono Taruiſino, ſummæ fidei Viro libens attexo.

In ampliſsimo Patrum conſeſſu gratulatoriam habuit orationem Nicolao de Ponte, Venetiar. Duci creato. Qui, vt erat valde affabilis & perbenignus, puellã, poſteaquã perorâſset, ad ſe accitam, manuq́ comiter apprehenſam de Artis Oratoriæ præceptis interrogauit. Cùmq́ ad ſapientiſsimi Principis erotemata nullâ hæſitatione, acutè, ac diſertè, vtcunque improuiſo, ex tempore, & imparata reſpondiſset, ad Senatores conuerſus; qua diſtrahebar, inquit, dubitatione expeditus, de Orationis, quam audiuiſtis, auctore nullus ambigo: compertiſsimum habens, ab hac ipſâ Oratrice Orationem fuiſſe compoſitam: atq́ huic Virgunculæ abſtruſiſsima quæq́ Rhetoricæ arcana ab ipſa Pitho fuiſse præmõſtrata: adeoq́ digniſſimam eſse vt ab omnibus diligatur, atq́ inter doctas fæminas cenſeatur. eamq́ pudico in fr~te oſculo impreſso collaudatã dimiſit, & mox etiã muneribus ſe dignis magnificentiſsimè cohoneſtauit. Quã quidem Orationem An. M. D. LXXIIX. typis impreſsam Mariæ Guſſoniæ Nicolai de Ponte junioris, ipſius nepotis vxori, dedicauit. Aliam præterea legimus Hypſicrateæ gratulatoriam Orationem, quam Sebaſtiano Venerio dixit, cùm ad Principatûs apicem euectus eſset. Aliam rurſus, quam dixit Patauij Mariæ Auſtriacæ

Augu-

Auguſtæ, ad Luſitaniæ Regnũ gubernandum proficiſcenti, Federico Cornelio Patauinorũ Epiſcopo nuncupatam. Nonnullas etiam Orationes *conſcripſit, quas ad ſummos Europæ Principes tranſmiſit, nempe ad Gregorium XIII. Pontificem Maximum, ad Rudolphum II. Imperatorem, ad Henricum III. Galliæ Regem, ad Philippum II. Hiſpaniarum & Indiarũ Monarcham, ad Sacrum Cardinalium Collegium, ad vniuerſos Orbis Chriſtiani Principes, & ad Sancti Spiritûs Equeſtre Sodalitium. Scripſit etiam* de Paupertatis Laudibus, & de Contemptu Mundanæ Vanitatis.

Sed dolendum, breue admodum orbi contigiſse illud ornamentum. Præmaturo namque fato adoleſcentula in ipſo juuentutis flore & ſuæ gloriæ limine terris fuit erepta, vt ſuperis aſsociaretur, Anno M. D. LXXXIV. Condita in æde S. Franciſci apud ſuos Majores. Cui eruditiſs. Balthaſſar Bonifacius hoc monumentum dicauit.

MONS Magnus latet exiguo ſub ceſpite: verùm
Major in exiguo corpore MENS latuit.
HYPSICRATEA perit: mæſti lachrymantur Amores:
Nam ſimul ingenium, gratia, forma perit.
Pierides, Charites, Veneres lacrymentur & ipſæ:
Eridani atq; Atheſis, dum fluit, vnda fleat.

MODE-



MODESTA A PVTEO VENETA
POES' HVMANQ. LITTER STVDIOS'A

MODESTA A PVTEO.

RAriorum virtutum, quæ in clariſsimis fœminis ſplendeſcere ſolent, ditiſsimum apparatum exhibet MODESTA A PVTEO, Veneta, quæ jure inter præcipua ſuæ ætatis ornamenta annumeranda venit. Die quintadecimâ Iunij, Sanctis Vito & Modeſto dicatâ, anno M.D.LV. Venetijs in vico S. Samuelis, Hieronymo à Puteo & Mariâ, Iacobi Mauri filiâ, parentibus, auram vitalem hauſit. Defuncto Iacobo, Cecilia auia materna, Proſperum Saracenum conjugem nacta, puellam adhuc vitæ rudem, diros caſus expertam, in ſuam domum adſciſcit, poſtquam anno ſuperiori parentes dulciſsimos peſtilentiâ vndiq; graſsante amiſiſset, dum illi ſecuritatis cauſâ ab vrbe populoſâ abſentes, puellæ & Leonardi filij blanditijs immorarentur. Ita infantes genitoribus orbati, cæleſtis numinis auxilio, in domum maternam & Proſperi Saraceni tutelam recepti, ſingulari amore veluti dulciſsimi filij educantur. Illa ſuaui temperamento, vultu candoris niuei decora, micantibus oculis, præſtantiſsimum ingenij documentum & animi ſupra ſexum præſtantiam omnibus aperuit. Lacteis imbuta moribus, vt feliciter adoleſceret in cœnobio S. Marthæ, Saraceni filiæ educanda jungitur. Hîc veluti è cœlo delapſa ob eximiam pulchritudinem, & judicij præcellentiam ſtupore defixæ altiſsimo eam ſacræ virgines vnicè mirabantur. Nec enim

Bbb pueri-

puerilia exercitia, ſed ſupra ætatem ſeria meditabatur: adeoq; literis præſertim capiendis dedita, vno ſimul tempore jam acu pingere, jam literas fingere cępit, donec jam nouennis relicto monaſterio in Proſperi Saraceni domum tranſiret. Perſpecto puellę ingenio Saracenus, acerrimi judicij vir, ei varia *Poëtarum* monumenta exhibuit, vnàq; cum Leonardo fratre Grammaticę, & bonis literis admonuit. Quibus non multo tempore adeo profecit, vt non modò proſâ ſed ligatâ etiam oratione Romani ſermonis venuſtatem exprimeret. Studiorum tędia muſicę modulis ſuauiter mitigans, ſingulare pingendi ſtudium mirâ oblectatione exercuit. Hiſce dotibus Senes adeo mouit, vt nunc puellæ progreſsus vltra ętatem, & ingenium vltra ſexum muliebrem admirarentur, nunc in delicijs haberent. Ipſa ſtudijs interim addicta in ſuo muſeolo à ſomno, à cibo, à cæteris vitæ oblectamentis ita ſibi temperabat, vt in pangendis carminibus, in libris voluendis tota occuparetur. Ita cum annis creſcebat ingenium, & promptitudo, profundiſſima denique memoria, vt ſæpe ſacras conciones, è templis domum reuerſa, integras animo teneret, promptèq; repeteret. Ingenio quippe non modò facili, ſed manu etiam adeo erat feſtiua, vt præter expectationem miranda & rara ac veluti præmeditata ſæpius proderet, non ſine ſuaui eloquij lepore, nec ſine argutâ breuitate, ſalibus aptè mixtis, ſermones miſceret. Multa variaq; ingenioli monumenta chartis ſtudiosè cõmiſerat, quæ; ipſa cum auiâ & patruo ad ruris amœnitates proficiſcente, dum flumen vulgo la *Piaue* propè Louadinam tranſiret, vorticibus ab-

ſorpta

ſorpta perierunt. Qua lucubrationum jacturâ extremo dolore affecta fuit, vixq́; vllam parentum conſolationem admiſit. Saracenus interea filiam ſuam cùm Nicolao Doglionoin matrimonium locaret, MODESTA ipſi ſocia jungitur: quam Doglionus literis plurimùm delectatus filiæ inſtar habuit, ejuſq́; ſtudia inſigniter prouexit, cum varia ejus monumenta inter amicos recitans, tum inter eruditos in Bibliothecis dilaudans: quorum applauſu Carmina ejus tandem in publicum prodiere, præſertim Poëma *Floridori* inſcriptum, quod eâ ætate inceperat. Item *Seruatoris Paſsionem*, quam elegantiſsimè verſibus depinxerat. Increbreſcēte puellæ vndiq́; eruditionis famâ, cùm plures eruditi ciues jam virginis nubilis tædas ambirent, Doglionus, ſummæ prudentiæ vir, eam tandem Philippo Georgio, Vrbis Venetæ cauſidico fiſcali nuptum dedit. Viro non ſolùm Iuris Ciuilis, ſed variarum literarum cognitione ornatiſſimo adoleſcentulâ tot dotibus enicante nihil jucundius vnquam in vita obtigit. Ex hac enim ſuauiſſimâ animorum conjunctione, quam felix literarum communio fouebat, ex eo virtutis & amoris nexu bini filij totidem filiæ deſideratum hoc conjugium bearunt. Sed pluribus annis dignum, ſummo cōjugis mœrore, poſtremæ prolis partus diſſoluit anno M. D. XCII. quo mater vltra vires afflicta, lentâ febre ad meliorem vitam tranſijt, eo ipſo die, quo Eccleſia ſolenniter Defunctorum memoriam colit. Defunctæ famam auxit ingens omnium ordinum concurſus: cùm in templum S. Franciſci Fratrum conuen-

tualium magnâ pompâ funus eſset delatum. Maritus in cœnobij clauſtro hoc ei monumentum erexit, quod adhuc ſpectatur.

MODESTAE A PVTEO,
FOEMINAE DOCTISSIMAE,
QVAE VARIOS VIRTVTIS PARTVS MODERATAE
FONTIS NOMINE ET RYTHMIS ETRVSCIS,
QVIBVS MEMORANDA CECINIT,
ET SERMONE CONTINVO FELICITER ENIXA,
NATVRAE PARTVM DVM EDERET,
PVELLAE VITAM, SIBI VERO MORTEM,
PROH DOLOR, ADSCIVIT.
PHILIPPVS DE GEORGIIS, PETRI FIL. IN OFFICIO
SVPER AQVIS PVBLICE IVRA DEFENDENS
AMATISSIMAE CONIVGI POSVIT.

MODESTAE vitam Saracenus operibus ipſius præfixit.

Ingenij monumenta reliquit etruſco idiomate.
Dialogum, cui titulus: *Due Giornate del merito delle Donne:* nel qual ſi dimoſtra quanto eſse ſijno più degne, e più perfette degli huomini; quem Ducisſæ Liuiæ Feltriæ à Ruuere Cæcilia, Modeſtæ filia dicauit.
Item *Varia ejus Carmina.*

RAV-


PAVLVS TOMASINVS PAT. I.C. ADVOCATVS
SENIOR EPISCOPI ÆMONIENSIS FRATER.

PAVLVS TOMASINVS.

IAm prȩlo deſtinatum erat hoc opus, cùm inopinato amantiſſimi Fratris mei fato ad ſupræmum hoc officium infelix vocor, rogantibus, imò imperantibus amicis & Cauſidicis Patauinis: quibus equidem locum dedi, non tamen immemor inſignis erga me amoris, & in patriam affectûs: quo doloris mihi acerbitatem leniri videor. Sic ille ſublimiori olim ſubſellio ſpectatus hìc operis coronidem ſupplet: cujus in publicum merita nefas vllâ ætatis injuriâ obſoleſcere.

Iacobo Tomaſino & Hippolytâ Panizolâ parentibus poſt triennium conjugij ex voto ferè in lucem editus PAVLVS TOMASINVS anno M. D. LXXXIV. die XXIV. Octobris Patauij in vico Sanctæ Crucis, ſuauiter educatus inter auorum & parentum delicias, cùm ferè ab incunabulis ingenij ſui acumen præmonſtraret, preſbyteri Octauij Berſelli conturbernio traditus, Grammaticæ rudimenta ac grȩcæ linguæ initia poſtquá breui accepiſset, Muſicæ & Geometriæ, Rhetoricæ iidem ac Logicæ operam dedit. Ingenij facilitate magnam de ſe ſpem excitans, è ſchola dimiſſus, publica Academiæ ſubſellia occupauit. Cùmq; genio ſecundiore literis humanioribus eſſet addictior, à patribus Ieſuitis Oratoriam artem hauſit: quorum ductu ſæpius in Academijs ſe ſumma cum laude exercuit. Ab ijſdem

Philo-

Philoſophiâ probè imbutus ad Iuriſprudentiam ſe contulit, præceptorem nactus Virum eximium Franciſcum Viduam I. C. Patauinum: à quo non ſolùm Iuſtiniani Inſtitutiones didicit, ſed moralis & ciuilis pariter doctrinæ inſtituta, quibus ad rectè beatèq; viuendum animus præformatur. Hoc præceptore paternis ædibus vicino ingenium ſic excoluit, vt perpetui veluti aſſeclæ priuatis in Academijs inter cæteros Vidua plurimùm indolem ac diligentiam in omnibus probaret. Exſtant adhuc ejus ſpecimina, Orationes, quas in priuatis diſputationibus habuit, & præſertim in cœnobio S. Mariæ in Vantio: vbi Vidua Patribus Ius Canonicum explicabat. Ab Inſtitutionum ſtudio ad ordinarias Legum ſcholas porrò gradum faciens, magnâ aſſiduitate quadriennium Ius Ciuile & Canonicum hauſit à celeberrimis I. C. Iacobo Gallo Equite I. C. primario, & M. Antonio Othelio: quorum lectiones ipſius manu exaratas in noſtro muſeolo aſſeruamus: Ius etiam Canonicum à Paulo Zonca I.C. Patauino. His igitur diſciplinis feliciter imbutus, præceptoribus ſuadentibus publicum ſuæ virtutis pretium accepturus Anno M. DC. III. die XXIV. Nouembris in honorem S. Catharinæ, Studioſorum tutelari, indefeſſi laboris præmium Lauream vtriuſq; Iuris ſummo cum applauſu nemineq; I. Ctorum diſcrepante reportauit: quam ei ſummâ lætitiâ & perelegantí oratione Iacobus Gallus contulit, aſſiſtentibus promotoribus Ottonello Diſcalceo, M. Antonio Othelio, Alberuno Milliaria, Angelo Saxo, Octauio Liuello I. C. & Gymnaſij Profeſſoribus. Vicus S. Crucis, quem habitabat, longè à Gymnaſio & Collegio diſtans,

lętis clamoribus & applauſu intonuit, Studioſorũ turbis ple-nus. Plebs numeroſa hìc feſtiua, & in juuenis laudes ve-luti elata, gaudij documento jubilans ad ſacras turres rap-ta, æreis tintinabulis concitatis boni ominis applauſum auxit. His ille honoribus Themidi conſecratus, nihil re-miſſiori labore Iuriſprudentum codices euoluere, Gallum, Diſcalceum, M. Antonium Othelium, Liuellum, Peregri-num Gymnaſij coryphæos audire: aliarum etiam diſcipli-narum Lectores publicos, inter quos præcipuè Ioannem Bellonium Philoſophiæ Moralis profeſſorem auſcultabat. Ieſuitarum quoq; ſcholas pari ardore frequentabat, natu-rali inſtinctu pronus ad res eccleſiaſticas: quibuſcum tam grata ipſi interceſſit neceſſitudo; vt etiam ſuæ Societati ip-ſum jungere aliquando animus fuerit. Primus hìc intere-rat pijs eorum exercitijs, primus in excutienda Eccleſiæ puluere, primus in concionibus priuatis. Ante lucem è parentum ſinu effugiebat feſtiuis præſertim diebus, vt ſo-cietatis onera diligenter præ alijs ſubiret. Aſſeruabat ad-huc ſenex omnes illas ſyngraphas, verſiculis ſacræ ſcripturæ ornatas, ſupra quas meditationes in Oratorijs habebantur. Hìc etiam eloquentiam & humaniores literas excoluit. Quorum diſceſſum ſiccis vix oculis pertulit. Rebus ita mu-tatis ad antiquum præceptorem Viduam redijt. Sed bien-nio poſt anno M. DC. VIII. iſte lethali morbo occubuit. Cu-jus interitu ita mouebatur; vt religioſam peregrinationem cum duobus amicis ſuſceperit. Die igitur XXI. Martij M. DC. IX. parentum bonâ veniâ ad B. Virginem Laureta-nam proficiſcitur: hinc ad D. Franciſci ſepulcrum atq; Aſ-

ſiſij me-

ſiſij memorias: Romam denique SS. Apoſtolorum incu-nabula, ac reliquorum Martyrum aras ac monumenta inuiſit. Celeberrimam Vrbem & Orbis caput cùm aliquamdiu perluſtraſſet, Pontificis Pauli V. pedes oſculatus, non aulæ ſplendorem, nec Principum comitatus ſumptuoſiores admirabatur, ſed Eccleſiæ ornamenta, antiquitates Chriſtianorum, aliaq; ad religionem pertinentia percurrebat. Etruriam vndiq; ac Picenos agros rediens luſtrare voluit. Omnia ſcitu digna pro anguſtiâ temporis libello conſignata ad poſterorum memoriam aſſeruabat: mihi quotidianas itineris ſtationes ac reliqua miræ ſedulitatis documenta exhibuit; cùm anno M. DC. XLII. Iacobo ipſius filio comite Epiſcopatum Æmonienſem ſuſcepturus ad Vrbem pergerem. In patriam reuerſus cùm naturâ in literas manſuetiores, quàm turbas forenſes proclinior eſſet, obortâ de agrorum emptione controuerſiâ inuitus in forum pertrahitur anno M. DC. IX. Nimirum jubente patre & familiæ tutelâ vaſtæ curię ambitum ingreſſus, clamoſum clientum ſonum quàm moleſtè ferebat, turbaſq; hinc inde concitatas ad negotia longè à ſcholis diuerſas. Litigium verò in longum protractum, cùm nunc Aduocatos, nunc notarios, nunc apparitores, nunc citationes ac ſyngraphas expeteret, paulatim animus cauſis excutiendis adſueuit. Hinc conſanguinei, hinc amici ſua negotia illi commendabant: ſenſimq; quod ante reſpuerat, ſponte ſuâ exercere cœpit. Dura quidem & ardua initio videbantur fori negotia, cauillationibus contentionibuſq; plena, petulantia procuratorum, ac ingentia jurgia: res tamen pro-

greſſu temporis facilior, & ad priuata familiarum commoda, & publicam ciuitatis vtilitatem neceſsaria, honoris etiam plena ac gloriæ, ſi juſtè, diligenter, ac fideliter exerceatur: latus hic ingenij ac laboris vnicuiq; campus. Foro igitur dicatus hoc ſibi potiſſimùm ante oculos poſuit, pupillorum, ac viduarum, necnon pauperum tutelam ſuſcipere, cauſas juſtas defendere, haſq; diligenter & ingenuè tractare, &, quantum licuit, citiùs expedire: ratus id animæ bonum, ac familiæ vtile, ſibi verò in primis honorificum. Hiſce ille curis patrocinij onus ſuſceptum, vſq; ad extremum vitæ ſumma cum gloria & conſtantia ſuſtinuit. Iuuenis vtebatur operâ & conſilio Alexandri Forteciæ & cl. I. C. M. Antonij Peregrini conſultoris celeberrimi, aliorumq; inſignium Aduocatorum: quorum auſpicijs breui tempore adoleuit. Anno M. DC. XI. die XXVIII. Februarij Aduocatorum nomine publicam Orationem in laudem Angeli Corrarij Prætoris habuit, quam typis Paſquati eodem anno vulgauit. Augebatur ei in dies clientum numerus, elucebatq; magis magiſq; in vrbe noſtra ejus in dicendo vbertas, in cauſis pertractandis efficacia, elegantia pariter ac modeſtia, tum ingenij promptitudo, tum perpetua in euoluendis ſcripturis cura. Mira inſuper affabilitas, & in excipiendis clientibus facilitas applauſum ei apud omnes pepererant. Anno M. DC. XII. die III. Nouembris amiſit matrem amatiſſimam. Quod fatum lætas ſororis nuptias turbauit, animumq; illius ſummo amore conjunctiſſimum grauiùs repreſſit. Triennio poſt Nicolaum Genuam I. C. ſibi ab ineunte ætate conjunctiſſimum, imma-

immaturâ morte ſublatum acerbè luxit: qui ipſi ex teſtamento ſupellectilem neutiquam ſpernendam & deauratum lectum, non leue amoris ac mutuæ beneuolentiæ monumentum, reliquit. Anno ſequenti M. Antonium Peregrinum I.C. in rebus forenſibus præceptorem amiſit. Nec multo poſt tempore Aloyſius & Franciſcus fratres obierunt, ſorore etiam Catharinâ abſq; prole defunctâ, dulciſſimo patre ſimul extincto anno M.DC.XVI. XVIII. Octobris. Me itaq; ſacris initiato, cùm ſolus propagandæ familiæ ſupereſset, Claudiam Peregrinam, magni I.C. M. Antonij Equitis proneptem anno M.DC.XVIII. in matrimium ſibi delegit: ex qua anno ſequenti Iacobum filium ſuſcepit: qui nunc bonâ indole, ac gymnaſticis exercitijs occupatus, viuit. Increbuerat jam ejus fama, primiq; ciues ſua negotia ipſius tutelę commiſerunt, ea rati non labore, non diligentiâ, nec amore vnquam poſse deſtitui. Piorum inſuper locorum patrocinium prompto animo oblatum ſuſcepit: inter quæ Gaſparinæ Virgines, D. Franciſci cœnobium fratrum de Obſeruantia, Monialium S. Bernardini, Capucinarum Virginum, & cætera Viduarum ac Mendicantium loca. Monialium præterea clientelas ſuſcepit S. Mariæ Matris Domini, ac S. Annæ. Opulentiorum item cœnobiorũ S. Agathæ, S. Benedicti, S. Sophiæ, Miſericordiæ, S. Proſdocimi, & S. Matthiæ: quorum non ſolum publicas controuerſias, ſed priuatas cujuſcunq; eorumdem Locorum defendere maximo animi ardore ac ſolicitudine ſemper paratus erat. Suaui vultu ac hilari longas ſacrarum Virginum querelas audiebat, eas mitiori viâ

conſolando demulcebat; turbatas mentes, ac veluti alter Æſculapius litium & perturbationum procellas amouebat. Ampliſſimo itidem Canonicorum Capitulo, nec non celebri Xenodochio S. Franciſci, Canonicis Secularibus S. Mariæ in Vantio, Canonicis item Regularibus S. Ioannis in Viridario, S. Michaelis de Candiana, ac S. Danielis propè Aponum, Monachis Prataleæ, & Religioſis S. Auguſtini, S. Antonij patrocinium præſtitit. Generoſam ſplendidamq́; præterea Sodalitatem ſelectæ in Vrbe *P*atauina militiæ defendit, D. Barbaræ tutelari addictiſſimus: cujus preces typis commiſit. Lanariorum collegio ſuam quoq; operam dicauit: Tabellariorum pariter & Nautarum, ac S. Mariæ, quæ Colombinorum dicitur, Societatibus, inſigni pietate adfuit. Hìc ille primâ cujuſcumq́; menſis dominicâ ſacrâ Euchariſtiâ religiosè ſuſceptâ, cum ſocijs ſuas meditationes perſoluebat: mox eorum controuerſijs ac litibus aures præbens patientes, qua par, de ſingulis alacritate diſſerebat. Antiquam S. Ioannis Sodalitatem in ſuam tutelam ſuſceperat, ita S. Crucis: cujus litem grauiſſimam cum Comitibus de S. Bonifacio juuenis defendit, victoriâ repportatâ. Nihil illi nempe ſuauius, quàm ſacra loca defendere: nihil illi gratius, quàm earundem Procuratores, Villicos, Miniſtros inuiſere. Hiſce veluti occupationibus ſe primum commodabat. Miro namq́; affectu illud mortalium genus proſequebatur. Religioſis omnibus idem obſequium, ac ſumma veneratio. Gratus illis ac dilectus: nulla cum illis contentio. Sacerdotibus omnibus veluti Chriſti ſeruis deditiſſimum ſe oſtendit. Sacrorum frequens cultor, aſſiduus

duus concionum auditor. Nec ſolùm in pauperum cauſis tuendis promptum ſe atq; animoſum præbuit, ſed ijs ſubleuandis inſignis ac mira ejus liberalitas ac magnificentia elucebat. Domus ejus pauperibus ac egenis patens. Penu, cella, æs, omnia in ipſorum vſum. Cùm domo egrederetur, omnibus hinc inde egenis ſtipem porrigebat: in forum procedens miſerorùm turbis ad eum conuolantibus hilari vultu nummos diſtribuebat. Pari pietate in compitis ac templis liberalem manum præbuit. Subueniebat etiam ſecretò familijs egenis ac orphanis. Pia loca inſuper varijs Donarijs exornauit, D. Catharinæ ædem, aliaq; delubra, & præſertim Ædem B. Virginis Mõtis Ortoni, in qua ardentiſſimè totus erat, argenteâ lampade, anno M. DC. XXI. locupletauit, & paulò ante obitũ tabulis inſuper decorauit elegantiſsimis, ſui pectoris & obſequij ſymbolis. Templum hoc quoties ingrediebatur, præ lætitia lacrymas fundebat; ſuaui quodam conceptu veluti extra ſe raptus, in laudes ac meditationes Sacræ Virginis ferebatur. Cui negotia ſua omnia, ſuaſq; actiones commẽdabat, ac rebus feliciter peractis, hymnos laudeſq; Eccleſiæ ſolennes à Patribus illis perſolui curabat. Nihil verò ipſi optatius viſum, quàm decretum mihi Sum. Pont. VRBANI VIII. benignitate Epiſcopatum: cùmq; neglectâ ipſius cõſilio propter locorum diſtantiam Cydonis, quam vulgo Caneam vocant, in Creta inſula Eccleſiâ, Æmonienſem viciniorem anno M. DC. XLI. acceptâſſem; quas pro felici itinere, pro examine, denũciatione, ac tandem pro reditu in patriam gratias egerit, teſtes ſunt Patres illi, qui publicas preces ſolenniter peregere.

Aeſti-

Æſtiuo tempore recreationis cauſâ huc concedebat, ſuiſq; criminibus expiatis in longiſſimas meditationes prouehebatur: poſtea in ſeceſſum ruralem Tramontis Euganei ſeſe abdebat: vbi vetuſta familiæ noſtrę domus inter myrteta & vites arboribuſq; conſita ſurgit proſpectu amœniſſimo, & priuatæ vitę ſatis commoda: vnde rurſus quouis die horis matutinis ad hujus Diuæ aram redibat. Hiſtoriam ſacri ejus loci vt conderem primus mihi auctor fuit. Summæ porrò deuotionis argumento B. Virginis iconem in tholo ſui lecti depictam habebat: in quam tandem defixis oculis ac mente vltimum ſpiritum Seruatori ſuo reddidit. Nec minori veneratione Montis Ruę Eremum inuiſebat, patribus iſtis conjunctiſſimus: Diui etiam Antonij, ac D. Iuſtinę templa ſæpius, Capucinorum itidem cœnobium. Poſtremis annis D. Philippi Nerei Oratorio totũ ſe addixit. Pio hic Sacerdoti Antonio Mariæ Curtiuo ſuam conſcientiam exonerabat. Plenus erat religione, pietate. Commentaria domeſtica ſemper auſpicabatur à nomine Sanctiſsimæ Trinitatis & B. Virginis ac Sanctorum ſuorum Tutelarium: ſpirantq; omnia ejus acta meram pietatem. Nec ſanè diſsimulabat vitæ, quod tenebat genus, ſe inuitum adijſſe, ad ſacram ſolitudinem propenſus. Mihi frequens hic ejus ſermo erat. Veſtram exopto vitæ rationem, ſtudiorum dulcedinem, non inter jurgia hæc ac forenſes contentiones. Sperne, frater dulciſsime, veſtræ Societatis honores, vt declines ęmulationem: ſectare ſtudia: vnde magnum vobis ſolatium, mihiq; ac familiæ decus. Pari quoq; animi promptitudine, qua pia loca defendebat, in tuendis primoribus

ribus vrbis proceribus. ſuam opem quàm diligentiſsimè ſemper præſtitit. Adeo ſummis ille viris charus; vt ipſius obitum publicæ calamitati accenſeri viderim. Summâ in primis & antiquâ neceſsitudine jungebatur illuſtriſs. Familiæ de Papafaua: in qua præcipuè Bonifacius Eques priſcâ fide ac virtute natalium ſplendorem exornat. Non minor ea intercedebat cum Comitibus S. Bonifacij: item cũ familia Leonia; in qua eminet Abbas Franciſcus Canonicus Comes de Sanguinetto, cæteriq; Comites Leoneſſus, & Benedictus Canonici, itemq; Antonius. Cum familia de Comitibus, Cumana, Capiliſtea pariter, & Bariſonia: cujus decus Abbas Albertinus Archipreſbyter, & egregius Vir Antonius, ac Ioannes Franciſcus I. C. ſuſtinent, inſigniaq; eorum donaria adhuc apud nos remanent. Vrſatis quoq;, Horologijs de Dondis, Comite Antonio de Calzis, Hieronymo Zacco, Franciſco de Candis, ſpectatæ nobilitatis viris vnicè gratus. Zabarellorum familiam vſq; ad extremum vitæ ſibi demeruerat. Summâ & diuturnâ beneuolentiâ complectebantur ipſum Canonicorum Decanus Franciſcus Soncinus, Archidiaconus Bartholomæus Sanguinacius, Stephanus Cataneus, alijq; innumeri ejus clientes; quorum jura longâ annorũ ſerie, pariq; labore & fide ſuſtinuerat. At labilis admodum rectè factorum memoria! Neq; enim defuerunt inter vrbis primos, qui hæredibus ſolenne honorarium, quamuis tenue, præter expectationem ſubductis ſupercilijs verbiſq; vix exeuntibus inficiebatur. Senatoribus Venetis, ijſq; præſertim qui Pataui j rerum ſummæ præfuerant, charus fuit: in

pri-

primis Aloyſio Valareſſio Equiti & D. Marci Procuratori, Franciſco Piſano, Aloyſio Priolo, Paolo Caotortæ, Zachariæ Sagredo, Petro Corrario, alijſq; quàm plurimis; inter quos præcipuè eum æſtimauit Ioannes Baſadonna acerrimi iudicij Vir. Nec minus Petro atq; Simoni Contarenis placuit. Nota quippe omnibus erat eximij Viri in Sereniſs. Rempublicam fides: quam filijs, ſuiſq; agnatis conſtanter ſeruandam quotidianis exhortationibus ſeriò inculcauit. Gratus inſuper fuit familiæ Corneliæ & præſertim Marco Cornelio, & Marco Antonio Epiſcopis Patauinis. Quorum exemplo non minori affectu ipſum in clientelam recepit Illuſtriſs. ac Reuerendiſsimus Georgius Cornelius, qui hodie magno pietatis feruore creditum ſibi munus Epiſcopatûs Patauini ſplendidè adminiſtrat. Ab anno nempe M. DC. XVII. Epiſcopis Patauinis ſuam operam præſtitit: præcipuè Petro Valerio Cardinali probatus: qui ob indefeſſâ in rebus ſuæ Eccleſiæ tuendis auctius ipſi honorarium decreuit. Diligebatur vnicè à cl. Viris de Frizimelica Iacobo Equite, Hieronymo Medicinæ publico profeſſore, & Octauio I. C. Nec inferiori affectu ipſum proſequebatur celeberrimus Artis Medicæ Profeſſor Benedictus Siluaticus Eques, Benedictus de Benedictis, Medicus ſenior, Marius Mazzolenus publicus Philoſophus, Antonius Aloyſius Aldrighetus I.C. Primarius, Inſtitutionum Imperialium Interpres, A Carolo Auantio, & Ioanne Rhodio eruditiſſimis Viris intimiùs colebatur: nec non à primarijs Gymnaſij Patauini Iuriſprudentiæ Profeſſoribus Bartholomæo Vecchio, Lælio Mancino,

Alexandro Synclitico, Carbonchio de Carbonchijs, Ioanni Galuano, Sebaſtiano Colombinæ, Ioſepho Angelo, & Antonio Paulutio Canonico. Aſſeſſores inſuper curiæ Patauinæ ſuâ integritate ſic demeruit; vt magni ſemper ab ijs fieret. Summopere ęſtimabatur à Gaſpare Leonico I.C. & Sereniſs. Reip. à ſecretis conſilijs, à Thoma Franzina, à Ioanne Zane Aſſeſſore claro, à Leonida Turriſello Patauino, primi nominis Cauſidico, ab Iuliano Iuliano, Balthaſſare Fantono, Iacobo Caſſina, cæteriſq; ejus profeſſionis viris clariſſimis: exterorum etiam magno applauſu exceptus. Sed quod jure primum exacti laboris pretium, Illuſtriſſimorum vrbis Rectorum præcipuè fauorem promeruit: qui eum ſæpius de rebus dubijs cõſuluere, plurimum ejus integritati atq; exactæ Legum notitiæ tribuẽtes: quam non parum auxit mira in orando elegantia, & manſuetudo, conjuncta cum ſingulari modeſtia. Enimuero in aduerſam partem ne verbum quidem felle aut ſale miſtum protulit. Et licèt aliquando petulantiâ quorundam excitaretur; nihil tamen mouebatur, vt vt feruidi admodum temperamenti: ſubridenſq; tacendo eorum intemperantiam eludebat. Iura clientum labore ac ſtudio rationibuſq; non inani ac acerbâ verborum congerie defendit. Erat ejus orandi conſuetudo facilis, neruoſa, & perſpicua: ad amuſſim ſcripturas omnes ipſe ſolus euoluebat, remq; omnem in pauca diligenter contractam diſtinctè & placidè prolixis verbis exponebat. Incaleſcebat autem oſtendendo rei veritatem ſine ſtrepitu, vocis potiùs contentione, quàm corporis motu, manuumue ineptâ geſticulatione.

Ita de ejus ſingulari doctrina ac judicio ea omnium animos inuaſerat opinio, vt non ſolùm Aduocatorum Senior primum obtineret ſubſellium; ſed ingenij etiam præſtantiâ ſuiſq; meritis commune omnium ciuium præſidium exiſtimaretur, ad quod in rebus dubijs confugerent. Hinc domi ferè ſemper morabatur inter clientum cateruas, vel inter eorundem ſcripturas, laboris patientiſſimus. Omnia verò in ſua volumina diſtinctè transferebat. In primum ea, quæ ad Statuta Patauina pertinebant. In alterum Legales Obſeruationes variarum Legum. Hic enim duobus voluminibus omnia, quæ cujuſq; cauſæ in diuerſis Auctoribus prçligebantur, breuiter in vnum congeſſerat. Item in duobus alijs Voluminibus Alphabeticis rariora digerebat. Suas verò Allegationes, quæ Iudicibus informandis reliquuntur, priuſquam ſententias pronunciant; varijs voluminibus in vnum redegerat. Alia omnia ſummâ diligentiâ & ordine in ſuo Muſeo reponebat. Cùm verò eſſet animo magnifico ac ſplendido, non ſolùm vitam honorificè viuendo ac veſtiendo ducebat; ſed antiquam domum in nobiliorem formam reduxit: çdificationiq; deditus, hanc varijs lapidibus ornauit magnis impenſis. Cubicula inferiora, ſuis exercitationibus dicata, ſupellectili exquiſitâ, picturiſq; Iuriſconſultorum exornauit, ſuperliminare portarum varijs Inſcriptionibus: cæteraq; omnia nitorem indicant. Bibliothecam in remotiori ſuorum ædium parte, Aduocatorum Imaginibus exornatam, habebat: quam optimis quotidie celeberrimorum doctorum monumentis augebat. Hortum inſuper vicinum arbori-

boribus fructiferis ac rarioribus ſtirpibus amœnum ad animi, laboribus defatigati, oblectationem coluit: quem, vt ampliorem redderet, vicinam domũ magno pretio emptam deſtruxit. Clientibus dimiſſis huc ſub veſperam concedens B. Virginis laudes recitabat. Vrbe namque rariùs exibat, continuis negotijs occupatus. Domum præterea adjacentem mihi, meæq; familiæ deſtinatam inſtaurare cœpit: in qua & Sacellum ad ſacra peragenda incæperat. Sed fatum laudabile, conatus vertit. Annis ingraueſcens, cùm paulò eſset habitior, aliquando ob labores in orando defatigatus febri corripiebatur: quę anno M.DC. XL. extrema ferè minabatur: Dei tamen beneficio euaſit: denuoq; eodem animo clientum curam ſuſcepit.

Poſtquam hac æſtate grauiſſimas cauſas longo labore ac ſtudio coram Illuſtriſs. Thadæo Gradenico Prætore diffusè diſputâſset, inter quas celebris illa pro illuſtriſs. Matrona Anna Aluarota Frizimelica, & altera Zabarellorum ſuperioribus annis diſcuſsa & mirum in modum aduerſus magnæ auctoritatis virum denuo iteratas, tanto ardore defendiſſet, vt de ijs palmam referret; fractis viribus domum redijt. Acceſſit huic alia pro Xenodochio S. Franciſci: quam tantâ corporis debilitate agitauit; vt dubiæ ſalutis eſſet: attamen intrepido animo, Deo & B. Virgini confiſus, de ſecundis judicum calculis ſecurus, nullum tunc perſenſit quidem corporis æſtum. Aliquid tamen deceſſiſse valetudini credibile eſt. Die namq; VII. Septembris cùm grauiorem horis matutinis cauſam pro Gineura Capiliſtea illuſtri matrona in foro agitâſſet, ad pran-

dium tardè accedens, turbatior, parco cibo ſumpto, quieti ſe dedit. Et ſi verò ſenſim febrem ſerpere cognoſceret, non tamen deſtitit ædem S. Philippi Nerei inuiſere, vt editâ de more ſuo confeſſione apud Antonium Mariam Curtiuum, ſequenti die à me ſacrum Chriſti corpus ibidem ſuſciperet in memoriam natalis B. Virginis. Domum reuerſus in lectulo ſacra Virginis natalia meditabatur. Mihi cubiculum ingreſso læto vulto ac fronte exporrectâ corporis debilitatem ac languorem explicans, nihil grauius ominabatur. Noctem verò febre grauem expertus, Medico familiari Marco Antonio Peregrino Gymnaſij publico profeſsore accerſito, conquerebatur apud me hoc ſe morbo impediri, quo minùs celebritati adeſset, nihilominus affectu & animo mecum ſacra proſecuturum. Eâdem die horâ XVII. febris rediijt, eâdemq; horâ diei ſequentis. Ipſe verò patiens languorem ferebat, ſpem ſalutis omnem in Deo & B. Virgine ponens. Ingraueſcẽtis morbi die VII. Medico celeberrimo Benedicto Siluatico, cum Benedicto de Benedictis, & Hieronymo Frigimelica in conſilium vocato, non admodum conſentiente ipſo, ad ſanguinis miſſionem ex vena manûs deueniunt. Erumpens à prandio ſudor cùm dies quatuor continuâſset manifeſto valetudinis diſcrimine, dubij ſtatim de ejus ſalute Medici ſudorem periculoſum pronunciant. Quod ipſe cùm intellexiſset, ſudare noluit, rejectiſq; ſtragulis nudus ferè nocte ſequenti quieuit. Ceſsante igitur ſudore, cùm ſequenti die in pejus vergerent omnia, non ſine lacrymis ipſi periculum denuncio. Ille verò præſenti animo manum meam

præ-

præhendens, his me verbis Regij Vatis adorſus: *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi*: & ad B. Virginis Montis Ortoni imaginem conuerſus, eam ſibi cum ſanctis ſuis tutelaribus Petro, Paulo, Antonio, Carolo, Philippo Nerio, & B. Barbarâ in periculoſo hoc trãſitu ſibi propitiam adeſſe precatur, ſeq; paratum fatetur ſupręmi numinis arbitrio. Addit poſtea: Tibi, amantiſſime frater, animam meam commendo, mihi tuis precibus ſemper aſſiſtas, Tibiq; commendatos habeas filios meos, Iacobum & Aloyſium, quos in tuam tutelam trado. Poſtea vocato Ren. Pręſbytero Santo Dianino Parocho, ſequenti die ante ſolis ortũ Sanctiſſimum Chriſti corpus deuotè ac humiliter ſuſcipere voluit: deinde circumſtantes amicos lætè aſpiciens, Crucifixi Seruatoris imaginem manu tenens, hoc ſigno, ait, inimicum vincam, hiſq; armis mortis pericula intrepidus adibo. Extremam poſtea ſuam voluntatẽ me ſcribere juſsit, quam attritis jam viribus difficulter ſubſcripſit. Filios tandem collocrymantes repræhendit: ſe læto animo æternã vitam ſperare: illiſq; aſpicientibus, abreptâ denuo cruce, hoc ligno, inquit, cornua teterrimi hoſtis confringam, & triumphum de ipſo feram. Reliquus ſermo de Chriſti paſsione, de ejus clementia, de ſua in B. Virginem Cœliteſq; fiducia, de certa ſpe melioris vitæ conſumebatur. Illâ die morbus acriter inualuit, nec tamen ſermonis vſus elanguit: ante veſperam: vbi fatiſcente paulatim voce ipſum ad ſacræ vnctionis ritum inuito, quem quidem libens admiſit: ſibi tamen fatus nondũ extrema imminere: ſuperaturum adhuc, quæ inſtabat, noctem. Nec euentus fefellit. Noc-

tem quippe illam nunc quietam, nunc inſomnem duxit vſq; ad auroram: qua ſeriò Deum inuocare cæpit, fixiſq; in B. Virginis effigiem in tholo lectuli conſpicuam, oculis ſubſcripta ei verba, FONS SALVTIS ET GRATIAE, aliquoties iterabat. Demum duarum horarum ſpatio collapſis ac euaneſcentibus paulatim ſenſibus animam robuſti corporis vinculo ſolutam certâ æternæ beatitudinis fiduciâ Deo reddidit, horâ XXI. diei XX. Septembris, morbi verò quartadecimâ. Defuncti corpus poſtridie in S. Crucis templum ad Majorum cineres in loculo delatum, magno omnium ordinum comitatu, & præcipuè ſpectatâ ſelectæ vrbis militiæ pompâ: vbi exſequiæ ſolenni ritu ſolutæ. Sic ille bonis omnibus patriæq; deſideratus maximum ſuis reliquit ſolatium, quòd omnium votis diuturniore vitæ vſurâ dignus conſtantem honeſti rectiq; famam promeruerit.

Solertis ingenij monumenta in ſcrinijs ſpectantur.

Conſiliorum, & Allegationum Volumina XVI.

Obſeruationum, quæ ſpectant ad Leges, Volumina II.

Obſeruationum circa Statuta Patauina Volumen I.

Miſcellaneorum, & Aduerſariorum Volumina II.

Oratio in Laudē Angeli Corrarij Prætoris edita M.DC.XI.

PAVLO TOMASINO,
PATAVINO IVRISCONSVLTO,
CAVSIDICO SENIORI,
QVI ANNOS XXXV. GRAVISSIMA FORI NEGOTIA
VOCE CALAMOQ. PROMPTVS
SVMMA INGENII SEDVLITATE

ATQ.

ATQ. INTEGRITATE ANIMI PEREGIT,
DONEC ASSIDVA CLIENTVM TVTELA
SVPRA VIRES FRACTVS,
PRAEMATVRO FATO SVIS ERIPITVR
COMMVNI VRBIS MOERORE,
AN. SALVTIS M.DC.XLIII.
DIE XX. SEPTEMBRIS, SVAE AETATIS LIX.
IACOBVS PHILIPPVS TOMASINVS
EPISCOPVS AEMONIENSIS FRATER,
IACOBVS ET ALOYSIVS I.C. FILII
DEBITAE PIETATIS MEMORES
P. C.

Optimi Viri manes ſuâ muſâ honeſtauit Nobilis Gallus;
cujus modeſtia ſupreſsum nomen eſse voluit.

Vixit vt in viuo Rediuiuus Caſtore Pollux,
Cui renouata nouo nomine Vita fuit:
Sic conſorte pari viuit poſt funera PAVLVS,
Fraternoque redux munere rurſus adeſt;
Dum Senis emeriti ſiſtens ceu fata PHILIPPVS,
Hunc iterum juſtâ viuere laude jubet,
Quamque alijs præſtat ſcriptorum lumina lucem,
Germani propriâ Manibus arte parit.
Par prius eximium de quo non debuit Alter,
Nec niſi ſic rediens, Iſte, vel Ille mori,
Nam vel viuit adhuc, vel in vno viuus vterque
Vnius Ingenio, Mente, Manuque viget.

Nec

Iſthæc ſibi dum contigerint bona,
Mortalitatem quum miſeram exuit,
Triſtemque declinat ſenectam,
Gratulor: at miſeret relictos
His nos procellis, quas agitat furor:
Ne Literas Pax exhilaret ſuas;
Sed impium Bellona ſtringat
Italiæ in gemitus flagellum.

HAEC TIBI DEDIMVS, CANDIDE LECTOR, Illuſtrium Animarum exempla, quæ promiſsum olim Volumen Alterum nobis bonâ fide produxerunt. Si pari nobiſcum ingenuitate, quæ ſuggeſsere amici, exceperis; non parum humanitati tuæ debebunt iſta. Quibus ſi facilem Te prębueris; ATHENAS PATAVINAS, cæteraq; Patriæ Monumenta, Deo fauente, breui exſpectabis.

2234573

NOMINA

Eeorum, quorum hiſtoria hoc opere condita.

ALbertus Campana. 297
Alexander Gallus. 314
Aloyſius Cerchiarius. 256
Angela Nogarola. 340
Angelus Andronicus. 296
Antonius Capucius. 268
Antonius Riccobonus. 109
Antonius Quarengus. 134
Baptiſta Caſalis. 42
Bartholomæus Soueras. 269
Benedictus de Benedictis. 267
Benedictus Bouius. 296
Cajetanus Thienæus. 34
Claudius Expillius. 79
Camillus Pancetta. 241
Caſsandra Fidelis. 343
Dominicus de Benedictis. 268
Euſebius Caimus. 257
Fabius Pacius. 159
Federicus Cerutus. 177
Felix Oſius. 244

Fran-

Franciſcus Albergotus. 39
Franciſcus Calydonius. 324
Geneura Nogarola. 342
Gregorius Caſalis. 42
Hieronymus Buccaferreus. 121
Hypſicratea à Monte, Rhodigina. 364
Jacobus Buccardus. 335
Jacobus Montecaluus. 100
Jacobus Palermus. 268
Joan. Baptiſta Agucchius. 14
Ioannes Barclajus. 181
Ioannes Bonifacius. 319
Ioan. Camillus Glorioſus. 311
Ioan. Colle. 190
Ioan. Franciſcus à Balneo. 2
Ioan. Franciſcus Otthobonus. 284
Ioan. Georgius Triſsinus. 47
Ioan. Hieronimus Bronzerius. 271
Ioan. Marius Auantius. 152
Ioannes Preuotius. 224
Ioannes Thutlius Maria-Montanus. 194
Iordanus Moſcatellus. 255
Ioſephus Ballus. 333
Ioſephus Gualdus. 327
Iſota Nogarola. 341
Iulianus Riccius. 301
Iulius Pacius. 169
Lælius Biſcia 8

Laura Cereta. 360
Laura Nogarola. 342
Laurentius Pignorius. 199
Leonardus Otthobonus. 289
Liuius Leonius. 296
Ludouicus Buccaferrius. 214
Ludouicus Cœlius Rhodiginus. 60
Marcus Antonius Othelius. 316
Marcus Otthobonus. 293
Modeſta à Puteo. 369
Octauianus Strambiatus. 299
Octauius Rubeus. 236
Paulus Argolus. 305
Paulus Sanſonius. 298
Paulus Tomaſinus. 374
Philippus Faber. 299
Pompejus Caimus. 260
Proſper Alpinus. 301
Secundus Lancellottus. 337
Simon Contarenus. 277
Theophilus Folengus. 72
Thomas Tomaſinus. 30
Vicentius Contarenus. 179
Vincentius Montecaluus. 104

INDEX RERVM,

& Nominum propriorum.

A

ANimoſorum Academia Romæ. 139.
Philotheus Achillinus. 101.
Alexander Achillinus. 114
Alcaſter Athenarum princeps. 47.
Hieronymus Aguechius. 14.
Io. Bapt. Aguochius admodũ ſtudioſus. 25.
Paulus Aicardus. 111. 204.
Albicia Vrſi Badoerij filia. 16.
Ioannes Albergothus Epiſcopus, dux exercitus. 39.
Ludouicus Albergottus I.C. 42.
Franciſcus Albergottus. ibid.
Fabius Albergotius. 105.
Marcellinus Albergottus martyr. 39.
Antonius Albergatius. 130.
Albertus de Albertis. 363.
Franciſcus Albicius. 130.
Petrus Aldobrandinus. 6.
Antonius Aloiſius Aldrighettus. 384.
Andreghettus Andreghettius. 227. 228. 230. 251.
Sebaſtiano Ale. 130.
Hieronymus Aleander. 204.
Hieronymus Aleander. 143.
Alexandrinus Cardinalis. 310.
Leo Allatius Lælij Biſciæ Cardinalis familiaris. 10.
Paſqualis Alidoſius. 101. 117.
Alexander Eſtenſis Cardinalis. 140. 143.
Alphonſus Eſtenſis Ferrariæ Dux. 320.
Proſper Alpinus. 204.
Vniuerſitatis Patauinæ Syndicus. 302.
Cayri moratus triennium. 303.
Preuotio familiaris. 226.
Andreæ Doriæ Medicus. ibid.
M. Antonius, Alpinus, Mauritius, Paulus Alpini. 304.
Anna Aluarota. 387.
Altemps. 310.
Albertus Archidux Auſtriæ Genuam appulit. 15.
Gandidus Aemiliarius. 205.
Aemoniæ, Vrbini, Maceratæ, Feltriæ, & Belluni Epiſcop. Thomas Tomaſinus. 3
Ioſephus de Angelis. 385.
Lucretia Angiolella. 159.
Franciſcus Angelonus antiquarius. 24.
Michael Angelus. 357.
Ioan. Aurelius Augurellus. 351.
Anatomiæ peritus Fab. Pacius. 162.
Anatomia Hier. Fabricij ab Aquapendente. 226.
Anatomiæ Ianitores Thuilij. 199.
Annonæ defectus ingens. 294.
Antonianus Cardinalis. 143.
Lepidus Pierius de Antiquis. 351.
Bonifacius Anſelminus. 290.
Aquæ miſtio in ſacrificio. 116.
Octauius Aquauiua Cardinalis. 143. 144.
Hieronymus Fabricius ab Aqua pendente. 161. Preuotij fautor. 226. 271.
Gaſpar, & Petrus Aragoniæ principes. 350.
Antonius Comes ab Arco. 340.
Alexander Argolus. 310.
Andreas Argolus. ibid.
Ioannes Argolus. ibid.
Proſper Argolus. 312.
Argoli à Gallis oriundi. 305.
Cæſar Argolus. 139.
Cæſar Argiles. 124.
Franciſcus Arſilius poeta. 45.
Henningius Arniſtæus. 227.
Aſcites à cordis defectu. 298.
Arnulphus Aſculanus. 350.
Auerrhois ſectator Cajetanus. 35.

Ioan.

Ioan. Marius Auantius. 66.
Rudolphus Auantius. 154.
Ioannes Auantius. ibidem.
Iacobus Laurentius Auantius. 152.
Aduerſaria Ioan. Marij Auantij 155.
Carolus Auantius. 232. 251. 275. 384.
Ioannes Marius, & Carolus Auantij. 205.
Auantici Helueti. 152.
Iacobus Auguſtus. 204.
In Auicennam Iacobus Montecaluus. 101.

B

BAldus I.C. 41.
Henricus Baleo. 44.
Comites à Balneo. 2
Nicolaus Com. à Balneo. 6.
Laurentius Balzanus. 130.
Franciſcus Barbadori. 130.
Auguſtinus Barbadicus. 350.
Barclaiorum familia in Scotia. 181.
Ioannes Barclajus. 143.
Guilielmus Barclajus. 181.
Ioannes Barclajus Petronij imitator. 187.
Poeta. 189. Ej. Argenis. 189.
Icon Animorum. ibid.
Epitaphium omiſſum. 190.
Gaſpar Barlæus. 249.
Marcellus Barbianus. 143.
Franc. Barberinus Cardin. 145.
Franciſcus Barberinus. 153. laudatur. 205.
Antonius pariter. ibid.
Albertinus Bariſonius. 144. 204. 231. 275.
Archipresbyter. 385. Antonius, & Ioan. Franc. Bariſonij.
Cæſar Baronius. 143. 202. 236. 310.
Maria Barberina. 127.
Bartolus. 42.
Bartoluccius Bartoluccius I.C. 337.
Gaſpar Bartholinus. 164.
Thomas Bartholinus. 236. 343.
Gaſpar Barthius. 204.
Ioannes Baſadonna. 384.
Michael Banius. 363.
Rochus Baſſianus. 105.
Bauari Ducis dignitas electoralis. 22.
Gaſpar Bauhinus. 227.
Beatrix Lud. Sforriæ conjux. 349.
Belgæ Riccobono infeſti. 110.
Belardinus Caſalis. 45.
Ioannis Bellini pictura. 59. 347. 356.
Robertus Bellarminus. 246. 300.
Hercules Bellirottus. 267.
Ioannes Bellonius. 141. 370.
Camillus Bellonius 127.
Bellunenſis cleri cũ ciuibus controuerſia. 32.
Petrus Bembus. 44 286.
Ioannes Bembus Venetorum Dux. 259.
Bonifacius Bembus. 351 363.
Hieronymus Bentacordus 351.
Pauli Benij hiſtoria familiæ Triſſinæ. 59.
Aloiſius Bentiuolius. 105.
Ioannes Bentiuolius. 349. 350.
Benedictus de Benedictis. 384. 388. Auctoris præceptor. 267.
Octauius Berſellus. 374.
Berga, Berica. 159.
Antonius Betta. 125. 70. 204.
Hercules Bettus. 105.
Beſſarion laudatus. 341.
Beuilaqua Cardinalis. 143. 255.
Paulus Benius. 198.
Biancæ eximia forma. 53.
Bibliothecæ Exoticæ Iac. Phil. Tomaſini. 178.
Bibliothecæ Patauinæ initium. 248.
quam auxit Iacobus Caimus I.C. 265.
Bibliotheca Camilli Glorioſi in Hiſpaniam tranſlata. 313.
Aurelius Bienatus. 351.
Annibal Bimbiolus Preuotio lauream modicam confert. 227.
Bernardinus Biſcia. 8.
Sigiſmundus Boldonius. 143.
Franciſcus Bonamicus. 117.
D. Bonauenturæ collegium Neapoli. 308.
Bona Sforria Sarmatiæ Regina. 353.
Franciſcus de Bonne Dux d'Eſdiguieres. 88.
Ludouicus Boneti. 105.
Antonius Boniel. 98.
Sebaſtianus Bonifacius. 319.
Balthaſar Bonifacius. 62. 321. 367.
Gaſpar Bonifacius. 323.
Ioannes Bonifacius. 239. Cæl. Rhodigino ſtatuam erexit. 70.
Gaſpar Bonifacius effigiem cujs ſeruat. ibid.
S. Bonifacij Comites. 383.

Bono-

Bononiæ encomium. 121.
Octauianus Bonus. 228. 280.
Conſtantius Bonus. 363.
Marc. Anton. Bonciarius. 264.
Franciſcus Borbonius. 80.
Euangeliſta Bornicus. 125.
Lucretia Borromæa literis clara. 214.
Blanca Borromæa Patauina. 341.
Federici Borromæi Archiepiſcopi cum Magiſtratu Mediolanenſi controuerſia. 127.
Albertinus Bottonus. 191.
Benedictus Bouius autoris præceptor. 196.
Hieronymus Brojanicus. 351.
Ioan. Antonius Bronzierius. 271.
Ioan. Hieronymus Bronzerius Galeni & Maſſariæ ſectator. 16.
Hieronymus Bronzierius Laurentium Pignorium tuetur. 274.
Hieronymus Bronzerius antiquitatum peritus. 274.
Edmundus Bruzius. 204.
Bernardus Bruſcus. 204.
S. Bruſonis prædium. 23.
Buccaferrei. 121.
Vicentius Buccaferreus. 121.
Camillus Buccaferreus. 124.
Franciſcus Maria Buccaferreus. 129. Profeſſor Iuris. 131.
Alexander Buccaferreus. 132.
Hyacinthus Buccaferreus. ibid.
Sulpitia Dorothea Buccafer. ibid.
Elias Bonuinius. 184.
Sigiſmundus de Buccis. 363.
Scipius Burgeſius. 3.
Nicolai Burti chronicon. 121.
Petrus Buſſonius. 350.
Patarus Buzzacareus. 111.
Abrahamus Bioulus. 143.

C

Bonifacius Cajetanus Cardinalis. 129.
Cajetanus Thienæus Medicinæ Doctor. 34.
Antonius Cajetanus Cardinalis. 129.
Enricus Cajetanus Legatus Bononienſis. 129
Hieronymus Caimus. 257.
Iacobus Caimus. ibid. 260. 265.
Pompejus Caimus Comes Palatinus. 265. eius dexteritas. 262.
Calleſius. 104.
Antonius de Calzis. 385.
Bartholomæus Camoſius. 118.
Hieronymus & Andreas Campagnola. 350.
Aemilius Campolongus. 161. 191. 262.
Annibal Campeggius. I.C. 204.
Cornelius Canalis. 130.
Franciſcus de Candis. 383.
Canonicis Patauinis gratus Paulus Tomaſinus. 383.
Paulus Caotorta. 384.
Capatius. 340.
Cæſaris Capacij de Triſſino judicium. 55.
Ioan. Bapt. Capacius. 146.
Gineura Capiliſtea. 387.
Angelus Capellus. 363.
Capiliſti. 383.
Hieronymus Capiuaccens. 191.
Caponus Cardinalis. 143.
Gabriel Capra. 141.
Franciſcus & Hyacinthus Capucij. 269.
Antonius Capucius Mureti diſcipulus. 268.
Carbonchius de Carbonchijs. 385.
Hippolytus Caracciolus. 143.
Annibal & Auguſtinus Caracci, pictores. 11
Antonius Cardellinus I. C. 134.
Carolus V. 52. 54.
Bononiæ Coronatur. 53.
Comes Carpenus. 53.
Carphaticus pictor celeb is. 285.
Tarquinius Carpinetus. 227.
Barbara Carrarienſis. 47.
Iulius Carrara. 139.
Comes de Carriat. 51.
Franciſcus Caſalis. 45.
Andreas Caſilinus. 68.
Iacobus Caſſina. 385.
Franciſcus Caſtellus. 130.
Ioſephus Caſtillionæus I. C. 202.
Antonij Caſtillionei de Felice Oſio judicium. 249.
Anton. Maria Cataneus. 127.
Stephanus Cataneus. 383.
Bernardinus Cataneus. 130.
Cathedra de Regulis iuris Pat. inſtituta. 316
Cauallerius Cardinalis. 126.

Cauallerius. 129.
Laurentius Cauallinus. 130. 124.
Bartholomæus Cauallus. 130.
Iacobus Cauatius. 204.
Arnaldus Ceba. 204.
Ludouicus Cendrata. 363.
Laura Cereta philoſophiam docet. 364.
Aloyſij Contareni laus.
Lauræ Ceretæ dictio laudatur. 362.
Ceretum oppidum. 360.
Oprandinus de Cereto. 360.
Siluester de Cereto. ibid.
ejus ſoboles. ibid.
Rentius de Ceto. 44.
Abbas de Coruato. 356.
Virginius Cæſarinus poeta. 134.
Franciſcus Cæſius. 205.
Demetrius Chalcondyla Mediolani docet. 48. ejus monumentum. ibid.
Annibal Chieppius. 130.
Andreas Chioccus. 204.
Ioannes Ciampolus. 143.
Scipio Claramontius. 313.
Franciſcus Claudinus. 205.
Philippus Cluuerius. 239.
Scipio Cobellucius Cardinalis. 143. 202.
Andreas Codibo. 130.
Hieronymo Codibo. ibid.
Merlinus Cocaius. 72.
Cœnobia quibus operam præbuit Paulus Tomaſinus. 379.
Dominicus Cæſarius. 126.
Ioannes Colle. 230. 251. 274.
Colonia Venetorum. 271.
Colloquium Ratisbonenſe. 224.
Sebaſtianus Columbina. 385.
Columbus. 37.
Aſcanius Columna. 309.
Columna Cardinalis. 143.
Coneſtabilis. ibid.
Dominicus Comellus. 130.
Comitum familia. 383.
Franciſcus Commendunus Cardinalis. 256.
Concilij Tridentini acta. 289.
Henricus Condæus Galliæ Princeps. 238.
Gabriel Condulmerius. ibid.
Conſultationes Ioan. Preuotij. 229. 230.
Nicolaus Contarenus Hieronymi filij rei herbariæ peritus. 228.
Vincentius Contarenus Lipſij æmulus. 179. Pignorij amicus. 204.
Angelus Contarenus. 180.
Contarena familia. 277.
Dominicus, Iacobus, Andreas, Franciſcus, Nicolaus, Cōtarenus, Duces Veneti. 227.
Maphæus Contarenus Patriarcha. 227.
Georgius Contarenus Cardinalis. 278. 286.
Simon Contarenus Eques. 279.
Prætor Conſtantinopolitanus ibid.
Simon Contarenus laudatus. 141.
Franciſcus Contarenus Dux Venetus, Prænotium accerſit. 231.
Franciſcus Contarenus Thuilium filijs præficit. 198.
Petrus & Simon Contarenus. 384.
Nicolaus Cōtarenus Venet. Dux. 228. 270.
Conſilium Baſilienſe. 31.
Federicus Cornelius. 139. 159. 197.
Feder. Cornelius Cardinalis. 141. 256.
Cardinalis Coſentinus. 140.
Georgius Cornelius Pat. Epiſcopus. 295.
M. Cornelius Epiſcopus. 328. 330.
Federicus Cornelius Epiſc. Patauinus. 367.
M. Cornelius, M. Ant. Cornelius Epiſcopi Patau. 384.
M. Antonius Cornelius Epiſc. 330.
Georgius Cornelius Epiſcopus Patau. laudatur. ibid.
Ioannes Cornelius Dux Venetus. 239.
Angelus Corrarius Prætor Patauinus à Paulo Tomaſino laudatus. 378.
Petrus Corrarius. 384.
Antonius Corrarius. 31.
Cothurnus Apollini ſacer. 244.
Corza Cozza. 178.
Io. Baptiſta Coſta. 125.
Cæſar Cremoninus. 153. 191. 197. 253. 271. 274. Prænotium laudat. 230.
Cricoli prædium. 49.
Ioan. Baptiſtæ Cucini Epiſtola. 6.
Iacobus Cujacius. 85. 181.
Cumana familia. 383.
Curiæ Venetæ incendium. 357.
Antonius Maria Curtiuus. 328.
Aloyſius Curtius. 190.

D

Hieronymus Dardinus, de Corpore Animato. 201.
Daniæ Rex. 52.
Tiberius Decianus I.C. 82. 112. 153. 169
Ioan. Franciſcus Decianus I.C. 264.
Decius. 122.
Thomas Dempſterus. 204.
Diamante de Federicis. 104.
Santus Dianinus. 389.
Ottonellus Diſcalceus. 201. 375.
Docendi ratio Ioanni Prenotio conſueta. 229.
Nicolaus Doglionus. 371.
B. Domitilla. 56.
Dondi. 383.
Bianca Dugliola. 127.
Horatius Dulcis. 105.
Petrus Duodus. 139.

E

Ioannes Baptiſta Eguatius. 348.
Eleonora Dux Ferrariæ. 319.
Elephantuccius. 119.
Elogium. 6. 11. 36. 43. 76. 95. 96. 107. 112. 126. 208. 235. 265. 333. 337. 372. 390.
Emblema. 145. 166. 205.
Carolus Emmanuel Sabaudiæ Dux. 279.
Epitaphium. 16. 19. 26. 38. 57. 70. 74. 94. 106. 112. 118. 131. 146. 156. 178. 240. 242. 260. 264. 276. 285. 287. 291 295. 299. 322. 325. 342. 391.
Eraſmus Roterodamus Cœl. Rhodiginum à ſermonis elegantia cognoſcit. 66.
Franciſcus Ericius Venetorum Dux. 280.
Alexander Eſthius. 357.
Ioannes Ebutius. 77.
Eugenius Fabij Pacij poema. 261.
Euphormionis clauis. 187.
Gaſparda Expillia. 79. 93.
Exercitijs valetudo conſeruata.
Exhortatio Franciſci Calydonij ad poſteros. 326.
Exilium Triſſini voluntarium. 56.

F

Fabritij Togati cognomen. 284.
Iacobus Faber. 101.
Mutius Fabricius. 259.
Philippus Faber. 230. 255.
Fachinettus. 15.
Balthaſar Fantonus. 385.
Iacobus Faſaninus. 121.
Marius Farneſius militiæ Eccleſiaſticæ præfectus. 142.
Odoardus Farneſius Cardinalis. 22.
Ranucius Farneſius. 144.
Dominicus Felinus. 205.
Matthias Ferchius. 230. 299.
Ferdinandus Hiſpaniæ Rex. 349.
Petrus Pelicorius. 130.
Franciſcus Bernardinus Ferrarius. 345. 346
Dionyſius Ferrarius. 364.
Ferragallus. 130.
Ioannes Baptiſta Fichettus. 357.
Caſſandra Fidelis non videtur publicè docuiſſe. 352.
Ejus pompa funebris. 356.
Vincentius Fidelis. 346.
Matthæus Fidelis. 346.
Caſſandræ Fidelis Epiſtolæ plures deſiderantur. 349.
Angelus Fidelis. 345.
Fidelium familia. 343.
Ioannes Fidelis. 345.
Matthæus Fidelis. 345.
Chriſtina, & Polyxena Fidelis. 345.
Paulus Fiſcar. 350.
Franciſci Floridi de Baptiſta Caſali iudicum. 43.
Hieronymus Florentiola. 67.
Thomas Florentinus. 363.
Franciſcus Fontana 363.
Rodericus Fonſeca. 191. 230.
Raymundus Fortunatus. 363.
Chriſtophorus Forſtnerus. 204.
Io. Fernelij lectione Prænotius ad medicinam illectus. 225.
Alexander Forteccia I.C. 378.
Nicolaus Francus Antiſtes. 345.
Franciſci I. funus. 45.
Andreas Frigerius. 345. 356.
Hieronymus Fracaſtorius. 286.
Thomas Flanginus. 385.
Franciſcus Frigimelica. 141.
Octauius Frigimelica. 384.

Hieronymus Frigimelica. 388.
Antonius Fulginas. 68.
Vendelinus Fung. 164.
Ioannes Furlanus. 105.

G

GAlaſſius. Poeta Vicentinus M. S. apud Hieronymum Gualdum. 36.
Galileus de Galileis Preuotij magiſter. 226. Profeſſor Mathem. Patauij. 312.
Ioannes Galuanus I.C. 180.
Ioannes Galianus 385.
Ioan. Bapt. Gallus. 130.
Iacobus Gallus I.C. 164. 165.
Alexander Gallus. 313.
Iacobus Gallus I.C. 375.
Gallorum potentia. 52.
Brunorus Gambara. 342.
Antonius Gambarus. 232.
Thomas Grazonius. 117.
Ioan. Camillus Garzarias. 130.
Gaſparinus Theologus. 342.
Paganinus Gaudentius. 143. de Ludouico Buccaferreo. 114.
Nicolaus Genua. 67.
Nicolaus Genua I.C. Paulo Tomaſino coniunctiſſimus. 378.
Gena familia Patau. exſtincta. 156.
Geruaſijus de Geruaſijs. 190.
Antonius Giauarinus. 123.
Horatius Giouagnonus. 125. 129.
Matthæus Gondus. ibid.
Hercules Gonzaga.
Pyrrhus Gonzaga.
Aloyſius Gonzaga. 115.
Sigiſmundus, & Franciſcus Gonzaga. 350.
Ioan. Maria Gorettus. ibid.
Lucia Gozzadina. 102.
.... Gozzadina publicè docuit. 353.
Ioan. Bapt. Goyneus. 117.
Thadæus Gradenicus Prætor Patauinus. 387.
Vincentius Graminius. 143.
Gregorius XV. 142.
Matthæus Gribaldus I.C. 169.
Angelus Grillus Poeta. 76.
Gregorius XIII. Pontif. 367.
Stephanus Geiger. 164.
Marinus Grimanus. 279.
Paula Grompa. 322.
Gnocus medicus. 165.
Ianus Gruterus. 204.
Paulus Gualdus. 141. 165. 328.
Hieronymus Gualdus. 331.
Baptiſta Guarinus 153.
Scipio Guillettus. 88.
Bandinus Gualfreducius. 143.
Bapt. Guarino controuerſia cum Ioanne Bonifacio. 321.
Ioannes Maria Guido. 68.
Bernardus Gulielmus. 190.
Guidiccion. 286.
Maria Guzzonia. 366.
Lilij Gyraldi de Bapt. Caſali judicium. 43.
Cõdiſcipulatus cũ Io. Georgio Triſſino. 48.
Antonius Gypſius. 123. 125. 126. 129.
Camillus Gypſius. 130.
Aloyſius Gypſius. 105.

H

EDmundus Hayus. 183.
Henrici IV. nuptiæ. 3. 17.
Henricus IIX. Angl. Rex. 44.
Henricus *III*. Gall. Rex. 367.
Henricus IV. Ant. Quæreng. inuitat. 144.
Laurentius Herrichius. 345.
Georgius Heniſchius. 164.
Hebreæ linguæ peritus Fabius Pacius. 160.
Daniel Heinſius. 204. 249.
Georgius Hemus Aegypti conſul. 302.
Hiberni ſolicitati à Pontificis legato. 4.
Laurentius Hofmannus. 164.
Conradus Hofmannus. ibid.
Homeri Batrachomyomachia latinè verſa ab Ant. Quærengo. 138.
Horologij. 383.
Horto Medico præficitur Io. Preuotius. 228.

I

SOcietatis Ieſu patribus addictus. Paulus Tomaſinus. 376.
Paulus Ieniſch. 164.
Inicus Cardinalis. 140.
Inſcriptio. 49. 50.
Imaginem ſuam Felix Oſius Dominico Molino dicat. 250.
Inquiſitionis conſilium. 128.
Innocentius IX. 15.

Ian.

Iſulæ Floridę à Iacobo Thieneęo detectę. 37
Pauli Iouij cenſura in Cœl. Rhodiginum diluitur. 62.
Italia Liberata Triſſini. 55.
Italici ſermonis incrementum. 54.
Cæſar Iſnardus. 247.
Iulianus Iulianus. 385.
Iulius Triſſinus hæreditate priuatur. ibid.
Iuriſconſultorum Collegium Rhodigij à Io. Mario Auantio inſtitutum. 157.
Iuriſprudentia. 122.
Iuſtinus Achillis pater. 47.
Ioannes Iuſtinianus. 59.
Petrus Iuſtinianus Epiſcopus. 31.

K

Ioan. Henricus Kirchberger. 164.

L

Bertuccius Lambertus 352.
Ladiſlai Regis vicarius Ioannes Thienæus. 34.
Iulius Cæſar Lagalla. 264.
Dominicus Lana. 105.
Lanariorum Collegium Patauij. 380.
Hieronymus Landus. 180.
Hieronymus Landus Medicorum aulam Patauij extruit. 263.
Benedictus Lampridius. 44.
Laura Pompei Columna filia. 2.
Leander de Albertis. 101.
in Legem Agrariam, oratio Baptiſtæ Caſalis. 43.
Veronica de Leno. 360.
Franciſcus Leo. 333.
Leo X 50. 115. 349.
Leo XI. 142.
Leonellus, Benedictus, Antonius Leonij. ib.
Leo, & Paulus Leonij. 357.
Benedictus Leonius. 345.
Balthaſsar Leonius. 353.
Nicolaus Leonicenus Cœl. Rhodigini præceptor. 62.
Franciſcus Leonij Abbas. 383.
Leopoldus Archidux Auſtriæ Preuotij patronus. 224.
Caſpar Leonicus I.C. 385.
Libri. M.SS. Hieronymi Boccaferrei. 128.
Libri M.SS. Alexandri Galli. 314.
Fortunius Licetus. 117. 230. 275. 312.
Lippomanus. 286. 21
Litta Rotæ auditor. 130.
Octauius Liuellus. 375.
Liuij Sententiæ. 325.
Aloyſius Lollinus. 159.
Clemens Longulus. 363.
Melchior Lotterus. 126.
Lucanus etruſco carmine translatus ab Alberto Campana. 297.
Ludouicus Galliæ Rex. 349.
Ludouicus Caſalis. 45.
Ludouiſius Cardinalis. 329.

M

Macaronea. 75.
Magalottus. 22.
Magalottus Cardinalis. 143.
Io. Antonius Magnus Preuotij doctor. 226
Magioranza eques. 47.
Mainettus de Mainettis. 316.
Domini de Maleuille. 283.
Hieronymus Manfredus. 326.
Ioannes Manganus. 204.
Lælius Mancinus. 384.
Celſus Mancinius. 117.
Paulus Manuccius. 109.
Mantica Cardinalis. 125.
Cæſar Manenter. 130.
M. Mantua I.C. 82. 135. 153.
Ioan. Bapt. Manſius. 143.
Alexander Maraſottus. 167.
Ioannes Maria Mapellius Caſſandræ Fidelis maritus. 353.
Ioannes Dominicus Mareſius. 275.
Annibal Mareſcottus. 324.
Maria Auſtriaca. 367.
Aſcanius Maria Vicecomes. 362.
Xantes Marialis. 255.
Andreas Marianus Profeſsor Bononienſis. 233.
Franciſcus Marinus. 351.
Franciſcus Maninus Aemoniæ Epiſc. 259.
Maroſticæ mira ſalubritas aeris. 301.
Marullus. 351.
Auguſtinus Marſilius. 105.
Alexander Maſſaria, Riccoboni amicus. 11●
Ioan. Antonius Maſsimus. 26.
Alexander Maſsaria. 164. 165. 271.
Proſper Martinengus. 236.

M. Antonius Martinagus. 318.
Galeottus Martius. 351.
Ioan Maria Mattarellus. ibid.
Mathorum familia 308.
Angelus Matthæacius I.C. 201. 316.
Mauritius Sabaudiæ Princeps. 269.
Ioſephus Maurocenus. 259.
Franciſcus Maurocenus. 248. 274.
Donatus Maurocenus. 228.
Michael Maurocenus. 281.
Andreas Maurocenus. 197. 204. 228. 280.
Iacobus Maurus. 369.
Maurus Barri Dux. 350.
Accurtius Maynerius. I.C. 350.
Marius Mazzolenus. 384.
Iacobus Mazzonius 139.
Medica ſtudij ratio familiaris Preuotio. 291.
Thomas Mediolanenſis. 363.
Iacobus Menocchius. 82. 153. 259.
Hieronymus Mercurialis. 160. 165. 260.
Iulius Mazzarinus Sanct. Rom. Eccl. Cardinalis. 337.
Merlinus. 126.
Petrus Meſſia 1171.
Ioannes Meurſius. 204.
Ambroſius Michee. 351.
Militia Patauina 380.
Albertinus Milliara. 375.
Io. Thomas Minadous. 226.
Anton. Bernardus Mirandulanus. 116.
Benedictus Miſiolus. 357.
Iacobus Paulus Muzolus. 122.
Leonardus Mocenicus Epiſc. Cenetẽſis. 241.
Modus tradendi Mathematica. 270.
Ioſephus Moletius. 278.
Dominicus Molinus. 144. 197. 205. 248. 274.
Antonius Mõnachus. 126.
Federicus Monauius. 239.
Hieronymus Monecleſius I.C. 237.
Gregorius Montagnanus. 144.
Amabilia Montagnona Patauina. 34.
Guidus Mõtalbanus Profeſs. Mathem. 105.
Montalius Cardinalis 310.
Alexander Montalius Cardinalis. 262.
Annibal Montareſius. 123.
Gioura, & Vbertus Montecalui. 104.
Bondus Montecaluus. 100.
Honoratus Montecaluus. 104.
Coſmus Montecaluus. ibid.
Montelparus Cardinalis. 308.
Ioannes à Monte. 364.
Conſtantius à Monte laboris. 199.
Sebaſtianus Monticulus I.C. 153.
Montisbelij dominium. 127.
Monumenta Hiſpaniæ apud Otthebonos Venetijs. 290.
Marchio Montisbelli Fabricius. 2.
Benedicti Morandi oratio. 101.
Thom. Morus Bapt. Caſali amicus. 44.
Mundinus Mundinius. 273. 275.
M. Antonius Muretus in locum Robertelli vocatus. 109.
Vincentij Contareni magiſter. 179.
Murenæ hiſtoria. 248.
Bartholomæus Maſsa. 105.
Marcus Muſurus. 68.
Albertini Muſsati hiſtoria. 249.
Ioan. Franciſcus Muſſatus. 141.

N.

Franciſcus Nadalis. 105.
Henricus Nagel. 164.
Nardi. 30.
Germanicus Naſellus. 63.
Andreas Nauagerius. 286.
Gabriel Naudeus. 6. 77. 336. 337.
Ludouicus Nichera. 346.
Ioannes Nicolaus 101.
Andreas Nicolius. 65. 364.
Franciſcus Niger. 351.
Flaminius Nobilis. 117.
Nobilitatis Venetæ laus. 277.
Nogarola familia. 340.
Leonardus Nogarola. 341.
Iaſon de Nores Philoſophiæ moralis profeſſor. 82.
Ioannes de Nores. 278.
Georgius Noslerus. 228.
Aloyſius Nouarinus. 178.
Numeri Platonici ſupputatio Camillo Glorioſo nota. 312.
Numiſma Cardinalis à Balneo 5. Expillij 81. 92. Pignorij. 205.

O

Dominicus Odofredus. 136.
Oldradus Triſſinus. 47.

Oldoricus Triſſinus. ibid.
Olgiatus 247.
Ioannes Oliuerius. 363.
Fuluia Olympia. 359.
Orationes Ioan. Preuotij. 130.
Ordeafius Dux Venetus. 47.
Abrahamus Ortelius. 320.
Orthographiæ Etruſcæ noua ratio. 54.
Montis Ortonis hiſtoria à Iacobo Phil. Tomaſino edita. 382.
Franciſcus Oſius Poeta. 246.
Hieronymus Oſius. 246.
Ioan. Bapt. Oſius. ibid.
Deodatus Oſius. ibid. 247.
Franciſcus Oſius I.C. ibid.
Ioannes Dominicus Oſius. ibid.
Ioan. Carolus Oſius. 247.
Bernardinus Oſius. ibid.
Carolus Cæſar Oſius. ibid.
Felix Oſius. 275.
Felix Oſius. 205. Thuilij collega. 193.
Oſij, cuſtodes templi Delphici. 244.
Oſia familia. ibid.
Roberti Oſij in patriam merita. 246.
Stanislaus Oſius Cardinalis. 246.
Ioan. Bapt. Oſius Epiſcopus. ibid.
Hieronymus Oſorius Hieron. Buccaferrei auditor. 117.
Otthobona familia. 284.
Bonauius, & Aldobrandinus Otthobonus. ibid.
Ioannes Franciſcus Otthobonus.
Stephanus Otthobonus. ibid.
Petrus Otthobonus laudatus. 284.
Gaſpar Ottelius. 136.
Marcus Antonius Otthelius. 205.
Ouidij Metamorphoſis, & Epiſtolæ à Cœl. Rhodigino expoſitæ. 67.
M. Antonius Otthelius I.C. 357.

P

PAcia familia. 159.
Iulius Pacius Ariſtotelem illuſtrauit. 170.
in Pannonia Ius docuit. ibid.
Conſiliarius Regius. 171.
Piſam vocatus & in Belgium. 171.
ejus liber de Iure Adriatici maris. 172.
mirè ſtudioſus. 173.
Iacobus Pacius. 172.
Fabius Pacius ſeptimo menſe natus. 159.
Fab. Pacius Venetijs medicinā exercet. 162.
eiuſdem in Methodum Galeni Commentarius. 162.
Ticinum, Bononiam, Meſſanam, & in Poloniam mutatus. 164, 165. item in Gymnaſium Patauinum. 166.
Paganus I.C. 358.
Batholomæus Pajellus Cœl. Rhodigini amicus. 63.
Andreas Palladius Io. Georgij Triſſini diſcipulus. 49.
Peſtilentia Patauina. 205.
Palæotus Cardinalis. 121.
Iacobus Palermus. 268.
Io. Bapt. Pallotta Card. Germaniæ legatus. 4.
Ioan. Bapt. Palmerius. 130.
Antonius Pancetta medicus. 242.
Sertorius Pancetta I.C. 243.
Guidus Pancirolus. 82. 128. 169. 208.
Hieronymus Pandulphus. 117.
Hippolyta Panizola. 374.
Onuphrius Panuinius. 341.
Albertinus Papafaua Epiſcopus. 275.
Bonifacius Papafaua celebratus. 383.
Baldus Pappazonus. 104.
Patauinæ vrbis commoda. 85.
Patauinæ familiæ Paulo Tomaſino amicabiles. 383.
Patauina ciuitate donatus Riccobonus. 111.
Bernardinus Paternus. 160. 191.
Ioannes Dominicus Patriſius. 363.
Ioannes Baptiſta Patauinus Reip. Venetæ Cancellarius. 294.
Matthæus Paris. 39.
Antonius Paulutius. 385.
Flaminius Paulutius Fractenſis. 126.
Petrus Pacconius. 143.
Paulus V. 142.
Pauperum Bononiæ patrocinium. 132.
Franciſcus Pedrinus. 130.
Hieronymi Buccaferrei auditor. 116.
Achilles Pedroza I.C. 123.
Nicolaus Fabricius Peireſcius. 204.
Federicus Pendaſius. 137. 164. 165. Hier. Buccaferrei diſcipulus. 116.
Petrus Peratinus. 130.

Petri-

Peregrinus Metaphyſicus. 137.
M. Antonius Peregrinus I. C. 87. ciuſdem Vita. 125. 165. 388. eiuſdem iudicium de Ioanne Bonifacio. 321. Pauli Tomaſſini doctor. 378.
Claudia Peregrina Pauli Tomaſini vxor. 379.
Baldus Pendaſius. 119.
Franc. Petrarcha comitibus à Balneo amicus. 3. ejuſdem vita. ibid.
Peronius Cardinalis. 144.
Ioſephus Perſicus. 143.
Perutæ. 30.
Ventura Peſſo. 271.
Ioan. Phaſeolus profeſſor Humanitatis. 110
Gripholus Philenius. 160.
Philippus II. Hiſpaniæ Rex. 279. 367.
Phœnix. 214.
Philomuſus Piſaurenſis. 350.
Curtius Picchenas. 204.
Franc. Piccolomineus. 82. 271. 275.
Franciſcus Pigna Poeta. 141.
Laurentius Pignorius in Gymnaſium Piſanum inuitatus. 203.
Elogiographus inſignis. ibid.
Brouzerio familiaris. 274.
Laurentius Pignorius. 76. 197. 230. 239. eius Muſeum. 213.
Pilo hiſtoricus. 32.
Franciſcus Pilummus. 68.
Ioan. Vincentij Pinelli laus. 82. humanitas. 111. 145. 204.
Pinti de Triſſino Elogium. 55.
Carolus Pintus. 343.
Franciſcus Piſaurus. 384
Bernardus Pinus. 351.
Albertus Pius. 44.
Platonis de legibus Epitome, 118.
Aemilia Plazzonia. 241.
Fortunatus Plempius. 231.
Platoni mirè deditus Ant. Quærengus. 137.
Plutarchi vitæ. 287.
Galeatius Poeta. 105.
Sebaſtianus Poggius. 143.
Foiaghi Comitatus Quærégis collatus. 145
Franciſci Polæ I.C. Elogia. 342.
Catharina Polcaſtra. 159.
Angelus Politianus. 347.
Alexander Pollinus. 145.
Polycarpus Palermus. 268.
Petrus Pomponatius Folengi præceptor. 72.
Franciſcus Pona Medicus. 239.
Peſtis præſaga mens. 240.
Nicolaus de Ponte Dux Venet. 366.
Pontificis exſilium. 52.
Lucia Porreta. 102.
Angelus Portenarius Pignorij antagoniſta. 274.
Hieronymus Porcilæ comes. 156.
Eraſmus Poſthius. 164.
Franciſcus Prandonus. 363.
Io. Preuotius Theologiæ deſtinatus. 225. magnificus gratus. 227. magno ſtipendi Bononiā vocatus. 233. Souero amicus. 270
Theobaldus, & Io. Bapt. Preuotij filij. 229.
Antonius Priuli Dux Venet. 274.
Matthæus Priuli Cardinalis.
Auguſtinus Priuli Abbas, ibid.
Aloyſius Priuli. 384.
Benedictus Priolaus. 232.
Erycius Puteanus. 204. 289.
Ioan. Franciſcus. Purpuratus. 117.
Caſſianus à Puteo Eques. 353.
Caſſianus à Puteo. 204.
Leonardus à Puteo. 370.
Hieronymus à puteo. 369.

Q

Nicolaus Quærengus. 134.
Flauius Quærengus Canonicus Patauinus. 142.
Marcellus & Marcus Quærengus. 145.
Antonius Quærengus. 204.
Flauius Quærengus. 330.

R

Cardinalis Radziuilius. 262.
Iacobus Rainerius. 117.
Alexander Raudenſis. 126.
Georgius Rhaguſæus. 357.
Richeria Gens Rhodigin. 60.
Cœlius Rhodiginus docuit Vicentiæ. 62. & Ferrariæ. 63. itemq; Mediolani, & Patauij. 65.
Galliæ bibliothecas excuſſit. 64.
Carolo V. gratus. 65.
Ioannis Rhodij ſchediaſmata 6. MS. 178. neceſſitudo cum L. Pignorio. 205. itemq; cum

cum Preuotio. 232. & Oſio. 251. & Soueuero 270. cum Hieronymo Bronzerio. 275. & Paulo Tomaſino. 384.
Rhodanus 89.
Petrus Paulus Ribera. 345.
Ioanna de Ricard. 80.
Antonij Riccoboni lapſus memoriæ. 65.
Nicolaus Rigaltius. 204.
Ricouratorum Academia Patauij. 141.
Ripa. 125.
Peregrinus Riueri. 105.
Franciſcus Robortellus. 137.
Angelus Rocca. 202.
Laurentius Rocca. 286.
Vernerus Rolfinckius. 231.
Petrus Ronſardus. 84.
Michael Angelus Rota. 230.
Antonius Rota à libellis Aguecchij. 24.
Roſinorum familia. 271.
Iacobus Roſinus. 275.
Rouanius Archiepiſcop. Vrban. VII. 49.
Philippus Rubenius. 204.
Iacobus Maria, & Carolus Rubei. 237.
Hieronymus Rubeus Patauinus. 67.
Octauius Rubeus. 360.
Rucagna. 130.
Euſtachius Rudius. 226. 371.
Rudolphus II. Imperator. 239. 367.
Rodomontis agnomen. 115.
Franc. Rugerius Triſſini orthographiam tuetur. 55.
Rupellæ deditio. 4.
Dominicus Ruzinus. 239.

S

IAcobus à Sabaudia Nemauſiorũ dux. 80.
Sabaudus Cardinalis. 143.
Sabaudiæ, & Mantuæ ducis reconcilatio. 22.
Sabellicus. 49.
Sabaudiæ Ducis, & Reipb. Genuenſis controuerſia. 128.
Hieronymus Sabionus Anatomicus, & Chirurgus. 263.
Zacharias Sagredus. 384.
Ioannes Dominicus Sala. 230. 274.
Antonius Salmaza. 247.
Io Saluagus Genuenſis. 130.
Dionyſius Saluagnius. 96.
Gaſpar Saluianus. 145.
Sanctorius de Sanctorijs. 130. 265.
Martinus Sandelius. 275.
Sannazarius à plagio vindicatus. 76.
Bartholomæus Sanguinacius. 383.
Franciſcus Sanſouinus. 117. 352. 356.
Andreas Sanſouinus ſculptor. 43.
Sanſouinus. 30.
Spinula Cardinalis. 129.
Spinellus Cardinalis. 143.
Sarnanus. 310.
Proſper Saracenus. 369.
Saua. 125.
Franciſcus Sauentes. 16.
Creſcentius Saccardus dictionis elegantiã notus. 24.
Gaſpar Sanſeuerinus. 351.
Pamphilus Saxus. 351.
Hercules Saxonia. 191. 225.
Preuotij doctor. 226.
Angelus Saxus I. C. 375.
Bartholomæus Scala. 351.
Alexandra Scala. ibid.
Iulius Cæſar Scaliger Cœlij Rhodigini diſcipulus 65. Itemq; Ludouici Buccaferri. 116. aliàs Bordonius. 66.
Scandiani marchiones. 37.
Carolus Aloyſius Scappi. 105.
Iulius Scarlatinus Patauij docuit. 122.
Ioannes Scherbagel. 164.
Schinella Comes Patau. 143.
Hieronymus Scholetius. 164.
Io Baptiſta Scyta. 351.
Franciſcus Schottus. 321.
Gaſpar Scioppius. 84. 143. 204.
Ludouicus Scledæus. 351.
Scamarolus. 130.
Stirpium agri Patauini catalogus à Preuotio cæptus. 234.
Io. Bapt. Scortia. 201.
Petrus Scriuerius. 204. 249.
Philippus Sega Vmbriæ præfectus. 14.
Thomas Segetus. 204.
Segnius. 30.
Chriſtophorus Segni. 130.
Federicus Seiler. 164.
Daniel Sennertus. 228.
Septimeſtris partus. 159.

Sterm

Serra Legatus Ferrarienſis. 129.
Thomas Serra. 130.
Petrus Serina Lauræ Ceretæ maritus. 361.
Antonius Seuerolus. 130.
Ludouicus Sfortia. 350.
Carolus Sigonius Riccoboni præceptor. 109 antagoniſta. 110.
Benedictus Siluaticus. 227. 129. 130. 274. 284. 388.
Antonius Siluefter. 68.
Vilhelmus Simonides. ibid.
Ioſeph Maria Soareſius. 104.
Guilielmus Sobierus. 205. 251. 270.
Franciſcus Soncinus. 325.
Ioannes Baptiſta Soncinus. 232.
Ioan. Petrus Sordus Præſes Senatus Montiſferrati. 128.
Sophoclis Oedipus latinè redditus. 161.
Sophonisbæ Reginæ hiſtoria. 50.
Sors gigantea. 259.
Bartholomæus Souerus Camilli Glorioſi Mathematici ſucceſſor Patauij. 269. eximiè ingenioſus 270.
Bartholomæus Soueius. 313.
Speronius Speronius. 83. 110. 139.
Carolus Franciſcus Spiſsæus. ibid.
Adrianus Spigelius. 227.
Philippus Spinellus. 145.
Io. Bapt. Spinellus. 57.
Lucas Stella, Epiſcopus. 331.
Studiorum fructus. 138.
Chriſtophorus Stymmelius. 164.
Ioannes Stephanus Medicus. 235.
Surditas medicis obſcura. 304.
le Saſſe, caſtra. 307.
Siſtus V. Pont. Max. 308.
Alexander Syncliticus. 251. 385.
Symbolum. 5. 81. 174.

T

Tabarinus architectus. 237.
Aſcanius Tambucinus. 126.
Angelus Tancredus. 351.
Guido Tarlacus Epiſcopus. 41.
Taruiſina hiſtoria. 320.
Alexander Taſſonius. 143.
Torquati Taſſi vita 83.
Torquatus Taſsus. 153.
Torquati Taſſi de Ioan. Georgio Triſſino iudicium. 50.
Bernardus Taſsus. 136.
Pomponius Taurellus. 145.
Teſtamentum Cardinalis à Balneo typis vulgatum. 5.
Thadæus. 350.
Stephanus Theupolus. 159.
Vguccius L. II Thienæus. 37.
Simeon Thienæus. 34.
Marcus Antonius, & Ioannes, Galeatius Thienæus. 36.
Nicolaus, Iacobus Thienæus. 37.
Rubertus Georgius, Ioannes III. Brunorus, Ludouicus, Valeranus, Antonius, Clemens, Sartorius, Proſdus, Iulius Primus. Thienæi. ibid.
Alexander, Marcus, & Hieronymus poetæ.
Simon, Ioannes II. Antonius I. Leonardus, Ferdinandus, Octauius I. Iulius, Octauius Thienæi. ibid.
Leonicus Thomæus. 350.
Iacobus Auguſtus Thuanus. 204.
Franciſcus Thuanus. 143.
Ioan. Thuilius tardè literis admotus. 195. Militiæ deditus. 196. Iulio Caſſerio à ſtudijs. 197. Typographiam inſtituit. 198. peſti medetur. ibid. Poeta. 199. Pignorij amicus. 205. & medicus. 247.
Ludouicus Toloſius. 307.
Facij, & Dominici Tomaſini ſacellum. 20. Familia. 30.
Iacobus, & Aloyſius Tomaſini. 268.
Iacobus. 374.
Paulus Tomaſinus peregrinatur per Italiam. 377 negotia forenſia aggreditur. 378. Iacobus Paulo natus. 379. Pauli Tomaſini pietas. 381. 382. 387. 388. 389. donaria ſacra. 381.
Pauli Tomaſini erga Rempublicam Venetam fides. 384. eiuſdem modeſtia. 385. aſſiduitas, & diligentia. 386. cultus. Muſeolum. Hortus ibidem. Morbus. 388. Conſtantia. 389. obitus, exſequiæ, monumenta ingenij. Epitaphium. 390.
Iacobo Philippo Tomaſino Aemoniæ Epiſcopatus ab Vrbano IIX. collatus. 381.

Toma-

Tomaſinorum prædicatum 382.
Philippi Tomaſini Elogia. 23.
Bernardinus Tomitanus. 117.
Hieronymus Torniellus I.C. 82.
Bartholomæi Tortolletti carmen. 80.
Paulus Toſſignonus. 130.
Alexander Triſſinus Venetæ claſſis præfectus. 47.
Triſſinorum ſeries. ibid.
Gaſpar Triſſinus. 48.
Theodorus, Ioannes, Hieronymus, Siluius, Ferdinandus, Achilles } Triſſini. 59.
Vincentius Triſſinus. 47.
Vguccius Triſſinus. ibid.
Flauius Vrſinus. 139.
Nicolaus Tronus. 143.
Ioannis Trithemij de Cajetano judicium. 35.
Theatinorum auctor. 36.
Victoria Triſſina. 59.
Melchior Triuiſanus. 159.
Ioan. Baptiſta Tarabuccius. 130.
Henricus Matthias Comes Turrianus. 238.
Franciſcus Turrianus. 286.
Ludouicus de Turre 363.

V

Aloyſius Valareſſus D. Marci Procurator, Pauli Tomaſini patronus. 384.
Pierius Valerianus. 44.
Petrus Valerius Cardinalis, Epiſcopus Patauinus. 330. 384.
Georgius Valla. 351.
Vallis Tellinæ negotia. 22.
Bernardinus Vannettus poeta Venetijs extinctus. 24.
Benedictus Varchi. 117.
Adolphus Vorſtius. 231.
Simon Vaſelinus. 229.
Vbaldinus Cardinalis. 143.
Bartholomæus Vecchius. 231. 384.
Vectigalia pro militia Vngarica. 17.
Petrus Velaſcus. 37.
Iulius Cæſar Velius. 204.
Marcus Velſerus. 204.
Iacobus Venentes. 129.
Franciſcus Venerius. 135.
Sebaſtianus Venerius Dux Ven. 366.
Petrus Paulus Venturinus. 204.
Venetæ Reipublicæ honorarium Georgio Caſali decretum. 45.
Veritatis doctor Franciſcus Albergonus 41.
Fabricius Veroſpius. 329.
Laurentius Vercelli. 130.
Verruſi. 30.
Ioan. Baptiſta Verus. 199.
Ferrantes Vezza. 123. 124.
Franciſcus Vianellus Ciceronis Conſolationem edidit. 110.
Marcus Videmannus. 164.
Franciſcus Vidua I.C. 204. 375. 376.
Angelus Viggianus. 117.
Alexander Vigontia Medicus Patauinus Ioannem Preuotium in domum ſuam recipit. 226.
Bonjoannes Vinci. 130.
Viola. 160.
Virgilij Bucolica etruſcè reddita ab Antonio Quærengo. 138.
Virgines Gaſparinæ. 379.
Virginius Bracciani dux. 143.
Petrus, & Michael Viroti. 154.
Virulantus Gothus. 47.
Carolus Emmanuel Vizzanus. 105.
Aeneas Vizzanus. 164. 165.
Pompejus Vizzanus. 117.
Ioannes Franciſcus Vlmus. 237.
Godfridus Vogler. 164.
Ioannes Gerardus Voſſius. 204.
Euerhardus, & Adolphus Vorſtij. 204.
Io. Gerardi Voſſij de Cœl. Rhodigino judicium. 62. 63. encomium. 238. 249.
Henricus Vottonus Regis Britan. apud Venetos orator. 227.
Vrbanus IIX. 129. 142. 207. 381.
Vrſati. 383.
Vrſinus Cardinalis. 143.
Ioan. Antonius Vrſinus Dux S. Gemini. ibid.
Ioannes VVeſlingius. 231.

Iſaacus V-Veek Regis Britan. Venetijs Legatus. 227.

Z

IAcobus Zabarella philoſophus. 82. 137. 160. 165. 197. 201.
Iacobus Zabarella Canonicus 275.
Zabarellorum familiæ addictus Paulus Tomaſinus 383.
Ioannes Antonius Zabarinus. 358.
Hieronymus Zaccus. 383.
Euangeliſta Zagalia. 357.
Dominicus Zampierius Pictor. 20.
Dominicus Zane. 385.
Zarottus Radſuulij Cardinalis medicus. 262.
Iacobus Zenus I.C. & Philoſophus celebris. 32.
Franciſcus Zilinus. 117. 324.
Franciſcus Zoanettus. 123.
Melchior Zoppus Bononiæ profeſſor. 233.
Paulus Zonca. I.C. 375.
Helena Zugiana. 161.

FINIS.

REGISTRVM.

✠ A B C D (E operarum incuriâ ommiſum fuit) F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z. Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz. Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg.

Omnes ſunt quaterniones, ecepto Ggg. duernione.

ERRATA SIC CORRIGANTVR.

Pag.3.lin.13. vrbium præfectum p.6.l.3. M. Antonius Cuccinus, quod itidem in Indice p.400.column.2.l.43 corrigatur p.18.l.8.Ioannes p 24 l.4.aſciuit p.25.l.5.antelucanis 12. vndiquaque p. 26 l. 16. TAM p. 36. l. 12. Stoica 13. Romana 23. ſuſtinet. è p. 37.l.23. ſupellectili p. 44. l.17. Regi ipſi p. 48. l. 9. nihilominus 26. conformans p. 46. l. 1. celebritate 26. coryli p. 53.l. 14.ſuſcepiſset 24. grauiſſimis p. 54. l.18. ætatem p. 55. l. 28 codicillis p. 56. l. 1. deficientibus p. 59. l. 7. cathedralis p. 64. l. 1 forſan p. 65. l. 6. regnante p.67.l.3. Stoicos 28. Calcaguinum p. 72. l.27. facilia p. 80. l.20. Caſtrorum Vice præfectus 22. Chriſtianiſſimis p. 88. l. 9. totos 20 Sabaudis p. 89. l. 24. ſhominibus p.90.l.24. delinquentes p. 91. l. 18. dexteritate 20. Rupellenſibus p.92. l. 26. in literas p.93.l.22.paſc.bat p.101 l.21. Auicennam p.102.l.3.perfunctus.à Ioanne p.104 l.24. peregerant p.114.l. 14. gentilitio p.115.l.7. è varijs 6. Molendinum 12 forſan p 116.l.11. nauârit p.117.l.4. Nobilis p.118.l.19. V.Cl. p.124 l.16. decies & ſepties 17. ſedem p.125. l.9. Salisburgenſis p.126.l.6. appellauerunt 7. Iure p. 127.l.22. neptem p.135. l. 19. ſacræ 27. ſæuo p. 137.l.27. afficiebatur p. 145.l.3. veruece 7. ſtudiorum 13 largiori 19. honoribus p.146.l.22. PATRVO p.153.l.2. græcis p.163. l. 7 reuerentia p.164 l. 19. Scherhagel p.165.l 8. Eleonora Pantagia 14 ſubciſiuis 26. Peregrinum p. 167.l.3. annumeratus p. 170. l. 26. Allobroges p. 180. l. 11. ſuggeſſit p. 181. l. 9. *Librum* 24 quamuis p. 183. l. 11, perferentur p. 185. l. 11. hæreſium 12. Panegyricum p. 189. l. 9. peragraſſet p. 197. l. 16. forſan p 198. l.3. habitis, Poematijs 21. Gallia virorum exemplo p.207.l.24. cl.Pignorij p.232 l.26. familiæ p.234.l.6. tamen p. 239. l. 14 ipſum libellis p.249 l.18. Erycij p.259.l.3. deſtinatus 4. Gymnaſio p. 276. l.26. inſito p. 289. l. 27. rebus ad fidem ſpectantibus 28. perſpiciatur p.294.l.12. perrexit p. 309. l.27. coryphæos p.312 l.13. *Patauino* p.317.l.14. euaſerunt p. 319.l. 18. dramatica p. 334. l. 26. chalcographos p.343 l.5. Thalia p.348.l.21. dotes p.352.l.26. acclamationibus p.355.l.27. confluxiſse p. 364.l.23. relinquatur p.366.l.11. apprehenſam p.375 l.21. tutelaris 26. Milliara p.376.l.15. excutiendo p.3 7.l.8. Romam denique, vbi p. 382. l. 3. Euganei p.383. l.27. inficiebantur p.385. l.6. Thoma Flangino 7. Dominico Zane p. 386.l. 12. prælegebantur 15. relinquuntur 25. ſuarum p.387.l.9. laudabiles conatus euertit p. 389 l. 19. arsepta Item pag.278. poſt Cetuti Epitaphium adde.

Hæc ejus monumenta leguntur.

Paraphraſis in Perſium.

Notæ in Virgilij Georgica.

Epitome Opuſculorum Plutarchi.

Commentar. in M. T. Cicer. Orationes Pro. Lege Manilia. Pro M. Marcello. Pro Cajo Rabirio. Poſt reditum in Senatum, Pro A. Licinio Archia Poeta.

Comment. in M.T.C. Dialogum de Amicitia.

Coment. in M. Æmilij Lepidi Coſ. Orationem.

Anagrammata.

Dialoghi Morali tradotti dal Franceſe nell'Italiano.

Idem Incertum Auctorem de Re Poetica vulgauit.

0022 34573